RESPONSIONUM AD OBIECTIONES ADUERSUS CONCORDIAM LIBERI...

Diego Alvarez, Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

NAZIONALE
VITT. EMANUELE
8
K
MA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

44 44
E D

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8.27.K.7

AD OBIECTIONES

LIBERI ARBITRII

Atque cum efficacia præuenientis gratiæ, prout à S. THOMA *& Thomiſtis defenditur, & explicatur,*

Bibl. Secr.

AVCTORE

Coll. Rom. Soc. Jesu ex legato Ill.mi Coerini

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Sumpt. Iacobi Cardon & Petri Cauellat.

M. DC. XXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

SACRO

THEOLOGORVM NEAPOLITANO COLLEGIO,

Eiuſque ſapientiſſimis magiſtris omnium virtutum ſplendore ornatiſſimis.

FRATER DIDACVS ALVAREZ Archiepiſcopus Tranen. & Salpenſis Prouinciæ Hiſpaniæ Ordinis Prædicatorum S. F. P.

NON immemor benignitatis, & beneuolentiæ veſtræ, ſapientiſſimi Magiſtri, qua me in veſtrum Sacrum Collegium cooptaſtis, cùm primùm præſens opus cœpi componere, vobis, qui

doctrinæ Sancti Thom. Præceptoris noſtri, & inſignis, ac fideliſſimæ Ciuitatis Neapolis Patroni æmulatores eſtis, dicare conſtitui; vt ſub veſtro nomine, & patrocinio in lucem prodiret, tanquam fructus vnius rami veſtro Sacro Collegio inſerti, vobis iure debitus. *Quis enim plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Ipſa etiam materia, de qua tractatur, ad id me impulit. Sciebam enim vos in doctrina Sancti Thomæ fuiſſe nutritos, cuius ductu ex veſtro Sacro Collegio quamplurimi viri inſignes extiterunt, qui publicè Sacram Theologiam cum magno audientium fructu docuerunt, & ſuis lucubrationibus illuſtrarunt. Ex eodem Sacro Theologorum Collegio duo Summi Pontifices, Sixtus videlicèt IV. & Sixtus V. ſex Cardinales, ſeptem Archiepiſcopi, triginta, &

quinque

Digitized by Google

quinque Epiſcopi, & alij Prælati quamplurimi litteris, & religione præclari ab anno 1513. vſque ad annum 1618. prodierunt. Vt ergo iis adderem meum qualemcumque laborem in explicanda, & defendenda ſanctiſſimi Præceptoris noſtri doctrina, præſertim circa materiam gratiæ, & liberi arbitrij, & concordiam vtriuſque, cum qua fere totius Theologiæ difficultates ſunt connexæ, poſt editos duodecim libros de Auxiliis diuinæ gratiæ, præſens opuſculum decreui typis mandare, vt eorum omnium, quæ in prædictis duodecim libris de Auxiliis ſcripſi, ſecundùm mentem duorum Eccleſiæ luminum, Sanctorum Auguſtini, & Thomæ, redderem rationem: iuxta illud Principis Apoſtolorũ, & coryphei Theologorũ præceptum: *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt ſpe:*

Suſcipite igitur venerandi Magiſtri eâ, quâ offertur animi propenſione præſentis munuſculi patrocinium: & doctrinam Sancti Thomæ, quæ in eo defenditur, veſtro fauore munite: & quem tanquam interpretem diuinæ voluntatis colitis, eundem tanquam eximium doctorem veritatis ſequimini. Veſtro quippe ſtudio, ſpero, eandem S. Præceptoris doctrinam illuſtrandam fore: & hanc noſtram laborioſam diligentiam fœlicem ſucceſſum habituram. Valete.

Dat. Trani Die XXV. Aprilis M.DC.XXII.

Digitized by Google

PIO LECTORI.

DISPVTATIO *de liberi arbitrij concordia cum infallibilitate diuinæ præſcientiæ, ac prouidentiæ* (STVDIOSE LECTOR) *antiquiſſima fuit, & inter priſcos etiam Philoſophos celebris, qui non modicam difficultatem in ea re exponenda, & componenda inuenientes, ac temerè ſupra humanas vires audentes, in varios errores, & inter ſe colluctantes inciderunt. Quidam enim impiè de Deo ſentientes prouidentiam eius, & ſcientiam circa res humanas abnegarunt, & dum homines voluerunt facere liberos, fecerunt ſacrilegos, quibus illud congruit, quod inſipientium nomine dicitur Iob. 22.* circa cardines cœli perambulat, nec noſtra conſiderat. *Et Pſalm.* 11. Labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt? *Alij verò de Deo meliora ſentientes, eius prouidentiæ perfectiſſimam virtutem (ipſa veritate coacti) confeſſi ſunt.* Ni-

hilominus tamen omnibus creaturis tam potenter dominari Deum ſunt arbitrati, atque ita omnia efficere, vniuerſa mouere, ac ſingula quæque diſponere, & gubernare, vt nihil contingentiæ in rebus, nihil libertatis in hominibus relinquerent.

Deinceps verò alij poſt Chriſti Euangelium prædicatum plus volentes ſapere, quàm oportet ſapere, circa arcana, & à ſæculis abſcondita in Deo myſteria prædeſtinationis, & gratiæ Dei per Ieſum Chriſtum, non ſecus atque illi Philoſophi in alterum ex duobus extremis declinantes in contrarios errores inciderũt. Nam Pelagius comprehendere non valens, quo pacto ſaluaretur in homine liberum arbitrium, ſi diuino indigeret auxilio, ſi abſque diuinæ gratiæ adiutorio non poſſet per ſe ipſum præſtare, quæ ad æternam ſalutem conſequendam neceſſaria erant: aſſeruit quidem, hominem eſſe liberi arbitrij, ſed neceſſitatem adiutorij diuinæ gratiæ abnegauit, contendens cum tali adiutorio libertatem arbitrij, quam experiebatur, cohærere non poſſe. Vnde & Chriſtũ

Domi

Dominum non vt redemptorem; ſed vt docto-rem, & egregium exemplar ſuſcipiendum eſſe, & venerandum aliquando affirmauit, ſicut refert S.P. Aug. lib. de grat. Chriſti contra Pelag. & Cœleſt. c. 2. Solent, *inquiens*, dicere nobis, in eo Chriſtũ, ad non peccandum præbuiſſe adiutorium, quia iuſtè ipſe viuendo, iuſtéque docendo reliquit exemplum.

Hæc hæreſis antiquis Patribus per multos annos ingens negotium faceſſit: ſed illorũ operâ, & gratiâ Dei per Ieſum Chriſtum, ac Sacrorum Conciliorum definitionibus, ac plurium Summorum Pontificũ decretis, non ſolùm ipſa destructa eſt; ſed eius etiam reliquiæ, ac fibræ, quæ in Gallia ad tempus permanſerant, ſunt penitus euulſæ: in quibus eliminandis S. P. Aug. ſecundus poſt Paulum gratiæ Dei per Ieſum Chriſtum eximius prædicator, & defenſor plurimũ laborauit, ſicut S. Proſper. libr. cõtra Collatorem. c. 1. teſtatur: Viginti amplius annis, *inquiens*, contra inimicos gratiæ Dei catholica acies huius viri

ductu pugnat,& vincit.

Lutherus verò,& eius ſequaces in alterum extremum Pelagio contrariũ declinantes, vſque adeo Chriſti gratiam,& diuinam prædeſtinationem extollebant, vt liberum hominis arbitrium tollerẽt, contendentes ita Deum in hominibus operari omnia eorum opera, vt humana libertas falſum ſibi titulum vſurpare impiè affirmarent.

Inter hæc duo extrema doctrina catholica procedit, quam S. P. Aug. in ſuis eruditiſſimis lib. præſertim de præd. Sanct. & de dono perſeuerãtiæ *docuit,& manifeſtiſſimis S. Scripturæ teſtimoniis confirmauit, cuius induſtriã,& ſapientiã Cæleſti. Papa commendans:* Auguſt. *(inquit)* ſanctæ recordationis virum, pro vita ſua, atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec vnquam hunc ſiniſtrę ſuſpicionis ſaltẽ rumor aſperſit: quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, vt inter magiſtros optimos, etiã à meis Prædeceſſoribus haberetur. *Vnde, vt benè adnotauit Illuſtriſs. Card. Bell.*

Digitized by Google

lib.2.de gra.&li. arb.c.11. Sedes Apoſtolica non tantùm ſemel; ſed etiam ſecundò, & tertiò aduerſus Pelagianorũ reliquias pro defenſoribus gratiæ, & prædeſtinationis ſententiam tulit, vt iam eius ſententia non quorumuis Doctorum opinio, ſed fides Eccleſiæ Catholicæ dici debeat.

Ea denique omnia, quæ S.Aug.in diuerſis libris,& epiſtolis aduerſus Pelagianos,& eorum reliquias lato ſermone conſcripſit, S.Th. miro ordine,profunditate,breuitate, & claritate ad ſtylum Scholaſticum reduxit, & aliquibus quæſtionibus, & articulis comprehendit,quam in duodecim libris de Auxiliis diuinæ gratiæ, iuxta legitimam (vt arbitror) vtriuſque S.Doctoris intelligentiam explicare,& defendere conatus ſum. Eamdem in his quatuor libris confirmo, reſpondens aliquibus dubiis poſtmodum propoſitis, & obiectionibus in contrarium nouiter excogitatis,quo facilius poſſis doctrinam S.Thomæ, & Thomiſtarum in hac materia exploratam habere. Vale in Domino ſemper.

Appro

Digitized by Google

Approbatio admodum R.P. FR. DAMIANI ALVAREZ *Sacræ Theologiæ Magiſtri.*

EGo Fr. Damianus Aluarez Sacræ Theologiæ Magiſter Ordinis Prædicatorum Reuerendiſſ. D. Fratris Didaci Aluarez Archiepiſcopi Tranenſis, & Salpenſis opus, cuius titulus eſt, *Reſponſionum ad obiectiones aduerſus concordiam liberi arbitrii cum diuina præſcientia, prouidentia, & prædeſtinatione, atque cum efficacia præuenientis gratiæ, prout à Sancto Thoma, & Thomiſtis defenditur, & explicatur*, ex commiſſione Archiepiſcopalis curiæ Tranenſis ſatis attentè perlegi, quòd mihi opus catholicum, pium, lectúque digniſſimum viſum eſt, in quo auctor roborat, atque confirmat omnia, quæ in libro ſuo de Auxiliis elegantiſſimè tractauerat, & eandem concordiam validiſſimis argumentis defendit. In quo nihil eſt Orthodoxæ fidei diſſonum, & ideo cenſeo dignum eſſe, quod typis excuſſum in lucem prodeat ad communem vtilitatem Scholaſticorum. Datum Trani die 24. Nouembris 1621.

FR. DAMIANVS ALVAREZ
qui ſupra.

Digitized by Google

Approbatio admodum R.P. FR. THOMÆ RVBINI, *Sacræ Theologiæ Magiſtri.*

EGo Fr. Thomas Rubinus Sacræ Theologiæ Magiſter Prouinciæ Sanctí Thomæ Ordinis Prædicatorum, ex ſpeciali commiſſione curiæ Archiepiſcopalis Tranenſis, librum, cuius titulus eſt, *Reſponſionum ad obiectiones aduerſus concordiam liberi arbitrij cum diuina præſcientia, prouidentia, & prædeſtinatione, atque cum efficacia præuenientis gratiæ, prout à Sancto Thoma, & Thomiſtis defenditur, & explicatur; Auctore Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo D. Fr. Didaco Aluarez Archiepiſcopo Tranenſi, & Salpenſi, ex Ordine prædicatorum aſſumpto*; auidiſſimè legi, perlegíque: in quo opere omnia conſonant ſanæ, & catholicæ doctrinæ, Sacræ Scripturæ, Sanctorum Conciliorum, & veræ Theologorum ſententiæ, quæ ad perfectam normam reducere Auctor conatur. Digniſſimum itaque opus iudico, ac arbitror, non ſolùm vt cunctis applaudentibus, gratiáſque Auctori agentibus, ſuſcipiatur qui tanquam ſcriba doctus protulit de ſui ingenij theſauro noua, & vetera, verùm etiam, vt ad omnium Theologorum communem vtilitatem, propriique Auctoris nominis celebritatem typis excuſſum in publicum prodeat. Datum Trani die 18. Menſis Nouembris 1621.

FR. THOMAS RVBINVS MAG. QVI *ſupra manu propriâ.*

Approbatio admodum R.P.
FR. IORDANI TARENTINI
Sacræ Theologiæ Magiſtri.

EX commiſſione Metropolitanæ Audientiæ Tranenſis, Ego Fr. Iordanus de Tarento Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magiſter perlegi librum, cuius titulus eſt, *Reſponſionum ad obiectiones aduerſus concordiam liberi arbitrii cum diuina præſcientia, prouidentia, & prædeſtinatione*, Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi D. Fratris Didaci Aluarez Archiepiſcopi Tranenſis, & Salpenſis, in quo nihil reperi, quod Sacræ Scripturæ, Sacris Conciliis, Sanctis Patribus: ac bonis moribus aduerſetur: opus profectò perutile verbi Dei concionatoribus, ſacrarum literarum ſtudioſis, ac Eccleſiaſticis, & Scholaſticis omnibus. Cúmque in eo nihil aduerterim, quod ſanam doctrinam non ſpiret, vel bonos mores non firmet; digniſſimum iudico, quod prælo mandetur. Et ita aſſero manu propria. Datum Trani in Conuentu Sanctæ Crucis die 10. Decembris 1621.

FR. IORDANVS *Tarentinus Mag.*

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE, in Sacra Theologia Magiſter, in Sancti Pauli Lugdunenſis Canonicus, atque à Domino DIONYSIO SIMONE DE MARQVEMONT, Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo in hac Lugdunenſi diœceſi in Librorum Cenſuram incumbere iuſſi: Fidem facimus nos hunc Librum cui inſcriptio eſt, *Reſponſionum ad obiectiones aduerſus concordiam liberi arbitrij, &c.* Authore F. DIDACO ALVAREZ, &c. euoluiſſe, nihilque aduerſus Sacra Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ dogmata inueniſſe, ſed omnia cùm ſubtiliter & acutè, tum eruditè explicata. Lugduni apud S. Paulum XVI. Calend. Octobr. M. DC. XXII.

DE VILLE.

Digitized by Google

R. D.D. DE MESCHATIN LA FAYE *huius libri imprimendi facultas.*

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, in ſuprema Dombarum Palamenti Curia Conſiliarius, Galliarum Primatiæ Officialis, & in Archiepiſcopatu Lugdunenſi Vicarius Generalis, liberum inſcriptum, *Reſponſionum ad obiectiones aduerſus concordiam liberi arbitrij cum diuina præſcientia, prouidentia, & prædeſtinatione, atque cum efficacia præuenientis gratiæ, prout à S. Thoma & Thomiſtis defenditur, & explicatur, Auctore Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſsimo D. Fr. Didaco Aluarez Archiepiſcopo Tranenſi & Salpenſi, ex ordine prædicatorum aſſumpto*: & à Theologis recognitum, typis mandari permittimus. Lugduni 19. Septemb. 1622.

INDEX

INDEX CAPITVLORVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

LIBRI PRIMI.

Procœmium totius operis. pag. 1.

Cap. I. *VTrum detur in Deo ſcientia media inter merè naturalem; & merè liberam comparatione futurorum contingentium conditionatorum, à creata voluntate dependentium.* 4

Cap. II. *An S. Thomas admiſerit in Deo ante omne liberum decretum voluntatis eius certam ſcientiam futurorum contingentium conditionatorum à creata voluntate dependentium, aut talem ſcientiam agnouerit, vel approbauerit, aut ſuppoſuerit?* 92

Cap. III. *Vtrum futura conditionata libera, vel contingentia, quæ re vera eſſent futura, ſi conditio poneretur in eſſe, cognoſcantur à Deo in*

ē decreto

decreto ſuæ voluntatis, quo ſtatuit, vt ſint futura, poſita conditione. 115

Cap. IV. *Vtrum re vera ſint in Deo conſtituenda decreta conditionata, quibus ſtatuerit, quid in particulari eſſet futurum ex hypotheſi, quod talis, vel talis conditio poneretur in eſſe, & qualiter intelligendum ſit, & explicandum hoc decretum.* 127

Cap. V. *An futura contingentia conditionata ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ habeant in ſe ipſis actualem exiſtentiam ex hypotheſi in æternitate, ratione cuius poſſint ante idem decretum certè à Deo cognoſci.* 147

Cap. VI. *Vtrum Deus per ſcientiam liberam ſit cauſſa efficiens rerum.* 195

Cap. VII. *Vtrum Deus per intellectum, & voluntatem immediatè ſit cauſſa efficiens rerum; an verò ſit in illo conſtituenda tertia potentia exequutiua, per quam immediatè res producat.* 242

Libri

LIBRI SECVNDI.

Procemium libri ſecundi. 256.

Cap.I. *Vtrum Deus abſoluto, & æterno decreto, & efficaci, aut præuia motione omnes noſtras bonas operationes prædefinierit, ac prædeterminauerit antecedenter in ſigno rationis ad omnem præſcientiam liberæ cooperationis noſtri arbitrij futuræ, etiam ex hypotheſi.* 258

Cap.II. *Vtrum virtute abſoluti decreti voluntatis diuinæ, & motionis efficacis præuenientis gratiæ, ſequatur neceſſariò conſenſus voluntatis neceßitate ex ſuppoſitione, ſiue infallibilitatis, quæ alias dicitur neceßitas conſequentiæ.* 379

Cap. III. *Vtrum in inſtanti temporis, quo voluntas piè operatur, moueatur duplici motione actuali, altera qua determinetur à Deo ad piè operandum, altera qua voluntas ſe liberè determinet, an verò vnica ſimpliciſſima determinatione determinetur à ſe ipſa, & à Deo.* 390

Cap.IV. *Vtrum diſſenſus liberi arbitrij ſtet ſimul cum præueniente gratia efficaci mouente ad conſenſum.* 399

Cap. V. *Vtrum illi quibus æqualem gratiam præuenientem*

uenientem Spiritus ſanctus impartitur, æqualiter ſemper cum illa conentur. 448

Cap. VI. *Vtrum Deus ſolum ſub conditione paratus ſit concurrere cum cauſsis liberis, & contingentibus, ſi nimirum ipſe voluerit operari.* 456

Cap. VII. *Vtrum efficacia auxilij præuenietis gratiæ pendeat à ſolo Deo, atque ab abſoluto decreto voluntatis eius, qua vult, vt voluntas hominis, quam eodem auxilio mouet, conuertatur, vel piè operetur.* 461

Cap. VIII. *Vtrum donum perſeuerantiæ in ratione doni perſeuerantiæ, & efficacia illius pendeat ex libera cooperatione noſtri arbitrij cum eo.* 478

Cap. IX. *Vtrum donum perſeuerantiæ à dono confirmationis in gratia realiter diſtinguatur, an verò ſint eſſentialiter idem donum ſolùm accidentaliter diſtinctum.* 518

Cap. X. *Quid per infuſionem intelligant Concilia, & Patres, cùm docent, pias operationes fieri in nobis per inſpirationem, & infuſionem, vel operationem Spiritus ſancti.* 537

LIBRI

LIBRI TERTII.

Procemium, in quo agitur de cauſſalitate, qua liberum arbitrium cum gratia præueniente actus ſupernaturales producit. 557

Cap. I. *Vtrum ſuppoſitum, vel eius potentia eleuata per habitus infuſos ſit principalis cauſſa proxima actus ſupernaturalis, an merum inſtrumentum.* 559

Cap. II. *Vtrum vitalitas actus ſupernaturalis procedat efficienter, vt quo ab habitu, vel auxilio ſupernaturali; an verò à ſola potentia, ſecundùm ſuam innatam, & naturalem virtutem.* 581

Ca. III. *Vtrum liberum arbitrium creatum ſit directè, & propriè cauſſa, quòd influxus gratiæ hic, & nunc, & cum tali intentione exiſtat.* 615

Cap. IV. *Vtrùm auxilium actuale præuenientis gratiæ excitantis phyſicè concurrat cum libero arbitrio ad productionem conſenſus, an ſolùm moraliter.* 627

Cap. V. *Vtrum in eo, qui non habet auxilium efficax, prædeterminans ad conſenſum, ſoluetur vera ratio auxilij ſufficientis.* 653

Cap. VI. *Vtrum efficacia auxilij præuenientis gratiæ pendeat ex aliqua diſpoſitione negatiua,*

vel non reſiſtentia liberi arbitrij creati. 701

Cap. VII. *Vtrum in poteſtate hominis ſint auxilia prævenientis gratiæ; ita vt poſſit habere illa, vel obtinere à Deo, aut de facto obtineat, quoties ſibi placuerit.* 715

Cap. VIII. *Vtrum gratia nobis collata ex meritis Chriſti, de qua Scriptura Sacra, Concilia, & Patres contra errorem Pelagianorum loquuntur, diſtinguenda ſit in gratiam ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalem, & gratiam naturalem ſecundùm ſubſtantiam, à dono creationis diſtinctam, an verò omnis gratia redemptoris ſit ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis ordinis.*

LIBRI QVARTI.

Procemium libri quarti. 778

Cap. I. *Qualiter intelligenda ſit illa definitio, ſeu deſcriptio liberi arbitrij, videlicet liberum arbitrium eſt, quod poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, poteſt agere, & non agere.* 780

Cap. II. *Vtrum neceſſitas actus conſentiendi ex ſuppoſitione abſoluti decreti voluntatis diuinæ, & auxilij efficacis prævenientis gratiæ,*

tiæ, quæ alias dicitur neceſſitas in ſenſu compoſito, ſeu conditionata, ſtet ſimul cum libertate eiuſdem actus. 808

Cap. III. *Vtrùm de potentia Dei abſoluta fieri poſſit, vt voluntas ſe determinet, vel determinetur à Deo per iudicium rationis indifferens ad volendum aliquod bonum particulare; & nihilominus ex neceſſitate abſoluta velit illud abſque vſu libertatis.* 821

Cap. IV. *Quid intelligat Sanctus Anſelmus per neceſſitatem præcedentem, ſeu antecedentem, quæ libertati repugnat, & per neceſſitatem conſequentem, quæ libertatem non lædit.* 847

Cap. V. *Qualiter, & in quo ſenſu Sanctus Auguſtinus, & Thomas vtantur illa diſtinctione neceſſitatis antecedentis, & conſequentis, ſiue in ſenſu compoſito, & diuiſo ad concordandam libertatem arbitrij cum neceſſitate præcedente, ſiue ex ſuppoſitione.* 875

Cap. VI. *Vtrùm determinatio, ſeu influxus, & cooperatio liberi arbitrij cum auxiliis præuenientis gratiæ, vt emanat à libero arbitrio ſit effectus Dei, ſiue operationis diuinæ in genere cauſſæ verè efficientis, ſeu phyſicæ: An ſolùm in genere cauſſæ moralis.* 888

Cap.VII. *Proponitur, & explicatur diſcurſus vtriuſque concordiæ, oſtenditúrque differentiam inter earum defenſores totam conſiſtere circa vnicam propoſitionem capite præcedenti ſtabilitam, cum qua aliæ ferè omnes, in quibus diſſentiunt, antecedenter ſunt, vel conſequenter connexæ.* 897

Finis Indicis Capitulorum.

Digitized by Google

RESPONSIONVM AD OBIECTIONES ADVERSVS CONCORdiam liberi arbitrij cum diuina præſcientia, prouidentia, & prædeſtinatione,

Atque cum efficacia præuenientis gratiæ, prout à S. Thoma, & Thomiſtis defenditur, & explicatur,

Liber Primus.

In quo agitur de ſcientia Dei præſertim comparatione futurorum contingentium conditionatorum, quæ à voluntate creata dependent.

PROOEMIVM.

POSTQVAM opus noſtrum de Auxiliis diuinæ gratiæ in lucem prodiit, multi Doctores nō contemnendæ auctoritatis diuerſos tractatus euulgarunt, in quibus præcipua fundamenta, quæ circa concordiam liberi arbitrij cum gratiæ donis, iuxta doctrinam Sanctorum Auguſtini, & Thomæ, & diſcipulorum vtriuſque ſtabilita ſunt; argumentis quàm plurimis, & obiectionibus impugnabantur:

bantur: quibus neceſſarium duximus ſatisfacere, vt veritas ipſa lucidior appareat, & nouitiis Theologis peruia. Id quod auxilio gratiæ Dei, qui linguas infantium facit diſertas, innixi, hoc breui opuſculo facere aggredimur; Sancti Antiſtitis Proſperi Aquitanici ſequuti veſtigia, qui poſtquam Beati Auguſtini Epiſcopi doctrinam circa gratiam, & liberum arbitrium, præſertim aduerſus Collatorem defendit; ad capita Gallorum, ad obiectiones Vincentianas reſpondit, & ad excepta Genuenſium, vt in eius lib. videre licet.

II. Modus autem procedendi in præſenti opere hic erit, vt in primis corroboremus rationes potiſſimas, quibus ſententia noſtra in libris de Auxiliis fuit ſtabilita, vt ſolutiones, quæ ab auctoribus doctrinæ contrariæ adducuntur, referamus, & impugnemus. Deinde obiectiones, quæ contra ſententiam noſtram: immo verius Sanctorum Auguſtini, & Thomæ afferuntur, diſſoluere conabimur. Eo, vel maximè, quia nobis, & Thomiſtis multa tribuuntur, quæ à mente noſtra, & illorum ſunt omnino aliena, vt ex diſcurſu præſentis operis patebit.

III. Quia verò primum, & potiſſimum fundamentum aduerſæ concordiæ innititur in ſcientia illa media inter merè naturalem, & merè liberam, quam ante omne liberum decretum in Deo conſtituunt; ideo in primis de illa iterum agendum eſt. Circa quam ſeptem ſunt per ordinem examinanda.

Primò. Vtrum detur in Deo ſcientia media inter merè naturalem, & merè liberam.

Secundò. An S. Thomas admiſerit in Deo ante omne liberum decretum voluntatis eius certam ſcientiam futurorum contingentium conditionatorum à creata voluntate dependentium, aut talem ſcientiam agnouerit, vel approbauerit, aut ſuppoſuerit.

Tertiò. Vtrum futura conditionata libera, vel cõtingentia quæ reuera eſſent futura, ſi conditio poneretur in eſſe; cognoſcantur à Deo in decreto ſuæ voluntatis, quo ſtatuit, vt ſint futura ex hypotheſi, quoad purificetur cõditio.

Quartò. Vtrum reuera ſint in Deo conſtituenda decreta conditionata, quibus ſtatuerit, quid in particulari eſſet futurum ex hypotheſi, quod talis, vel talis conditio poneretur in eſſe, & qualiter intelligendum ſit hoc decretum.

Quintò. An futura contingentia conditionata ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ habeant in ſe ipſis actualem, & realem exiſtentiam ex hypotheſi in æternitate, ratione cuius poſſint ante idem decretum certò à Deo cognoſci.

Sextò. Vtrum ſcientia Dei libera ſit cauſa efficiens futurorũ contingentium, antecedenter ad præſcientiam cooperationis noſtri liberi arbitrij futuræ ex hypotheſi, quod in talibus circumſtantiis conſtituatur.

Vbi oſtenditur, hanc cauſalem eſſe veram, quia Deus ſcientia libera præſciuit talem actum bonum futurum eſſe per concurſum liberi arbitrij: ideo futurus eſt; & non è contra, quia futurus eſt per liberum arbitrium, ideo ſcitur à Deo, antequam fiat.

Digitized by Google

Septimò. Vtrum ſcientia ipſa Dei libera immediatè per ſe ipſam abſque media aliqua alia potentia exequutiua ſit cauſa efficiens rerum.

Et quoniam hæc omnia pertinent ad eandem diſputationem ſeptimam de Auxiliis, in qua ſcientiam mediam impugnauimus, ideo in hoc primo libro ſimul diſcutienda ſunt, vt poſtmodum ad alias difficultates in ſubſequentibus Capitulis, circa reliquas diſputationes mouendas gradum faciamus.

Vtrum detur in Deo ſcientia media inter merè naturalem, & merè liberam comparatione futurorum contingentium conditionatorum, à creata voluntate dependentium.

CAPVT I.

I. SENSVS præſentis difficultatis eſt: Vtrum Deus ante liberum decretum ſuæ voluntatis prædefinientis, vt voluntas operetur talem actum ex hypotheſi, quòd talis, vel talis conditio ponatur in eſſe, cognoſcat certò & infallibiliter futura contingentia conditionata à libero concurſu creatæ voluntatis dependentia. Et, vt clariùs punctum difficultatis innoteſcat, quæſtio eſt, vtrum ante idem decretum ſit ſcibile in quam partem ex ſua innata libertate ſe determinabit, vel eſſet determinatura creata voluntas ex hypotheſi, quod in talibus circumſtantiis conſtitueretur, & tale vel tale obiectum

P. Suarez to.5. de gratia Prolog. 2.c.1.n.2.& 3.& tot.c.5. & alij.

obiectum proponeretur illi. Partem affirmatiuam nouiſſimè defendunt quidam Doctores Theologi, quam probant ſequentibus argumentis.

Primò adducunt in fauorem ſuæ ſententiæ quàm plurimos Doctores, tam ex modernis à 40.annis, & infra, quàm ex antiquis: inter modernos refertur Cardin. Toletus *ſuper Luc.c.*10. *annotat.*18. Bella.*lib.*2.*de Amiſſ.grat.c.*17.*ad* 1.*&* latius *lib.* 1. *de grat. & lib. arb.c.* 12.*&* 13.*& lib.* 4. *c.* 15. Fonſeca *lib.* 6. *Metaph. c.* 11. *q.*4.*ſect.*8. Molina *in concord. diſput.* 17.*ad.artic.*13. Valentia 1.*p.q.* 14.*art.*13. *punct.* 1.& ibi Vaſq. *diſp.* 67. Leſſius *in Opuſc.de Auxiliis c.*19. Benedict. Pererius *lib.*16.*in Geneſ.cap.*11.*diſputat.*7.circa illa verba: *Non deſiſtent à cogitationibus ſuis.* Maldonat. *Matth.*11. & Barradas ad eundem locum *tom.* 3. *lib.*2.*cap.*11. Albertinus *in ſuis Corol.in* 3.*q.*3.*Theolog.dub.*1.Ioan. Lorin. *Actor.*16. *ad verſ.*6. II.

Deinde allegant pro eadem ſententia alios auctores modernos. Hi ſunt Algarb. Epiſcopus *tract. de Auxiliis diſput.*2.*p.*3.*nu.*23. *& diſput.* 3. *p.*4. *nu.* 6. Diotaleuius in opuſculo de hac ipſa ſcientia. Et latè Alexander Peſantius 1.*p. q.*14. *art.*13.*præſertim diſput.* 3. *& vlt.* P. Lorca 1. 2. *tom.*1. *diſput.*4. *de actibus humanis* §. *In ſecundo puncto*. circa finem, & Ludouicus Thena *ſuper Epiſt. ad Heb.cap.*4.*difficult.*6.*n.* 12. Item Ioan. Alfonſus Curiel. *in lib. controuerſiarum in* 7. *aliàs* 1. ad locum Sapient. 4. *Raptus eſt,&c.* Alphonſus Mendoza *in Quolibet.*7.*Scholaſt.Nulla ratione* (ait) *neganda eſt, in Deo certa,infallibilis,* III.

& determinata cognitio illorum euentuum conditionatorum, & oppoſitum, qui aſſerunt, plurimum derogant theſauris ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, & ipſius capaciſſimæ cognitionis immenſitati. Corduba *libro* 1.*ſuarum quæſtionum q.* 55.*dub.* 10. §. *Sed nota.* Zumel 1. *p. q.* 14. *art.* 13. *Diſp.* 8. *concluſ.* 1. Sotum *lib.* 3. *Summular. cap.* 8. *lect.* 3. Driedonem *in concord. p.* 1. *c.* 4. *ad* 3. Ruard. *art.* 7. Vualden. *in doctrinal. fid. cap.* 23. & 25. Vbi inter alia multa habet hæc notanda verba. *Certò ille, qui facit concordiam in ſublimibus, non faceret illam concordiam inter neceſſitatem, quam Aug. appellat extrinſecam, & Anſelmus præcedentem & liberum arbitrium.*

IV. Ex antiquis verò Theologis referunt Sanctum Thomam de quo infra,& Doctores, qui negant Deum cognoſcere futura libera in efficaci propoſito ſuæ voluntatis, vt ſunt Marſilius *in* 1. *q.* 4. Ocham *diſtinct.* 38. *q.* 1. *& ibi* Gabr. *q.* 1. *art.* 2. & præſertim Greg. *q.* 2. *art.* 2. Vbi contra Scotum dicit,tolli libertatem, ſi futura contingentia cognoſcuntur à Deo, vt determinatè vera, vel falſa. In fauorem eiuſdem opinionis vocant illos doctores, qui dicunt, aliquam præſcientiam ad prædeſtinationem ſupponi, vt Ægidius in 1. *d.* 40. *q.* 2. *art.* 2. Id enim non videtur poſſe intelligi, niſi de hac præſcientia conditionata: nam abſoluta, vel ſequitur prædeſtinationem, vel eſt ipſa prædeſtinatio. Et hoc modo allegatur pro hac ſententia Ioannes Arboreus *tom.* 1. *Theoſophiæ lib.* 4. *cap.* 11. Vbi exponens vocationem,quæ ab Auguſtino vocatur ſecundum propoſitum, dicit:

Hoc

Hoc propoſitum ad præſcientiam, & prædeſtinationem Dei pertinet, nec prædeſtinauit aliquem, niſi quem præſciuit crediturum, & ſequuturum eſſe vocationē. Hæc enim præſcientia, cùm ponatur antecedere vocationem, & *propoſitum* eius, non poteſt eſſe, niſi conditionata. Allegatur etiam Argentina *in* 1. *d.* 40. *art.* 3. *ad* 6. *contra* 1. *concluſ.* quia dicit defectum contingentem poſſe certò cognoſci ab eo, qui omnes cauſas comprehenderit, & omnia, quæ poſſunt illas impedire, vel non impedire.

Ex his ergo omnibus tale deſumitur argumentum. Sententia quæ aſſerit, ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ eſſe in Deo conſtituendam ſcientiam mediam, qua certò, & infallibiliter cognoſcat futura omnia contingentia conditionata, quæ abſolutè non ſunt futura, eſſent tamen futura, ſi purificaretur conditio, longè ſuperat contrariam in numero, & auctoritate Theologorum, non ſolùm recentiorum, ſed etiam antiquorum Scholaſticorum: Ergo non debet noua reputari, aut tamquam falſa, vel impoſſibilis reiici.

Secundò. Arguit repetendo loca ſcripturæ, quæ in opuſculis *l.* 2. de ſcientia Dei prius attulerat, præſertim illud Matth. 11. & Lucæ. 10. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone facta eſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Et 1. Regum. 23. *Si tradent me Ceilitæ, & viros, qui ſunt mecum in manu Saul: & dixit Dominus, tradent.* Poſtea verò fugiente Dauid, nec Saul obſedit ciuitatem, nec Ceilitæ tradiderunt Da- V. *Prolog.* 2. *c.* 2. *&* 5.

 uid

uid. Fuit ergo illa reuelatio purè conditionalis, duáſque contingentes propoſitiones conditionales continuit. Vna fuit: *Si Dauid perſeuerauerit intra Ceilam, Saul deſcendet ad obſidendam ciuitatem.* Altera, *Si Saul deſcenderit, & obſederit ciuitatem, viri Ceilæ tradent Dauid.* Optimè enim ſciebat Deus veritatem illarum propoſitionum, aliàs non fuiſſet infallibile diuinum reſponſum.

VI. *Cap. 5. præallegato n. 12.* Tertiò: Argumentatur ad hominem: Nam quidam ex impugnatoribus ſcientiæ mediæ diſputans de ſcientia eadem duplex Dei decretum diſtinguit: vnum formale, & aliud virtuale: formale per ſe ſatis clarum eſt: virtuale verò eſſe dicit, quod in alio virtute continetur, quia in obiecto eius virtute, ſeu implicitè clauditur, ſicut in voluntate (ait) comedendi carnes in die veneris includitur virtute voluntas offendendi Deum. Cùm ergo ipſe ſupponat hæc decreta virtualia in Deo, profecto negare non poteſt, quin ſi Deus abſolutè prædefiniuit, ac voluit, vt in tali opportunitate, & occaſione, ſi occurreret, homo haberet conſenſum in obiectum, cui inſeparabiliter eſt annexa malitia, negare non poteſt, quin habuerit virtuale decretum ipſiuſmet malitiæ: nam virtute continetur in illo obiecto formaliter volito. Admittere autem talem voluntatem in Deo, etiam virtualem, derogat diuinæ bonitati: Ergo.

Confirmant primò, & vrgent hoc argumentum ex teſtimoniis omnium Patrum, qui in Deo ponunt hanc ſcientiam conditionatam, etiam circa peccatum, & actum malum & circa

Digitized by Google

ca omiſſiones, etiam malas: non enim poſſunt talia teſtimonia intelligi de præſcientia ſupponente decretum prædeſtinans huiuſmodi actus, quia hoc, & aliis eorum ſententiis, & veritati multum repugnat: Ergo, ſicut illa teſtimonia cum aliis ex Scriptura adductis de actibus peccatorum, probant dari in Deo hanc ſcientiam; ita probant non fundari in antecedente decreto, quia permiſſiuum purum non ſufficit, niſi vel ſupponat aliunde eandem præſcientiam, vel aliquam voluntatem abſolutam, ac prædeſtinantem includat.

Secundò: Id ipſum confirmant in hunc modum, quia Patres admittunt, & ſupponunt hanc conditionatam præſcientiam peccati futuri ſub conditione, etiam in electis, in quibus non permittit conditionem impleri, ne peccatum ſub conditione præuiſum impleatur, & hoc attribuunt magnæ gratiæ Dei: Ergo ſupponunt, illud peccatum non fuiſſe futurum ex decreto ipſius Dei, ſed ex pura fragilitate ipſius hominis, cui ſubuenit gratia: nam homo ex ſe non indigebat illa gratia, niſi à Deo ipſo in illo conditionato diſcrimine conſtitueretur. Vnde cùm Deus in ſecundo illo ſigno determinat tollere homini vitam, ne peccet, non tam illi gratiam concedit, quàm impedit, ne maleficium, quod erga illum cogitauerat, compleatur: quod eſt ſatis violentum remedium: magiſque Deo dignum fuiſſet non imponere illi homini talem neceſſitatem peccandi, etiam ſub conditione. Non eſt ergo ille modus prouidentiæ Dei conſentaneus, ac ſubinde non eſt ille

ſenſus Patrum, ſed planè ſupponunt hominem ex ſe, & cum communi concurſu de ſe indifferente fuiſſe peccaturum, ſi viueret, & ideò ex miſericordia præuenitur, vt moriatur potius, quàm poſtea peccet.

VII. Quartò. Sic argumentantur. Sicut Deus multos rapit, quos præſcit fuiſſe peccaturos, ſi viuerent; ita etiam multos in vitam conſeruat, præſciens ſimiliter eſſe peccaturos, quod euidenter docet Aug. in eiſdem locis *de Corrept. & grat. c. 8. & de dono perſeu. c. 9.* Ergo ſi primum cognoſcit in decreto cõditionato, ita etiam hoc poſterius. Ergo ſicut Deus rapit illum, ne cadat, ita hunc conſeruat, vt cadat: hoc autem abſurdiſſimũ eſt, & contra Aug. *lib. 1. contra Iul. c. 8. in fine* dicentẽ. *Non ideo creat pecora in armentis, & gregibus impiorum, vt dæmonibus immolentur, quamuis hoc eos nouerit eſſe facturos.* Quod ideo verum eſt, quia Deus non decreuit, vt impij immolarent pecora dæmonibus, nec facit, vt id faciant. Nã ſi hoc ex ſe, & abſoluta voluntate decreuiſſet, profectò etiam crearet armenta, vt illa ſua voluntas impleretur. Ergo ſi Deus præſciret hominem, ſi viuat, commiſſurum eſſe actum peccati, quia ipſe Deus ita determinauit ſub eadem conditione, quando poſteà vult antecedẽs impleri, id eſt, hominem viuere, vellet, vt homo ille cadat, vt efficaciam ſui primi decreti in illo oſtendat: eſt ergo indignum Deo talia decreta ipſi tribuere.

Eodẽ c. 5. nu. 14.

Auguſt.

Quintò. Si infallibilitas ſcientiæ conditionatæ fundatur in decreto conditionato, quo ſtatuit, vt voluntas cooperetur talem actũ, ſi conſtituatur in talibus circumſtãtiis, ſequitur, quod

propo

Digitized by Google

propoſitio conditionalis,& conſequenter ſcientia Dei ſit neceſſaria ex vi illationis, ac per conſequens pertineret ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ omnino neceſſariam. Ergo nullum ſupponit decretum Dei liberum, ſicut ſcientia huius conditionalis, ſi ſol creatus fuerit, illuminabit, vel ſi voluero creare mundum, incipiet eſſe, & quælibet alia ſimilis, quæ certò eſt Deo cognita ante omne decretum liberum. Non eſt autem huius neceſſaria illa cōditionalis, ex vi illationis, ſi dedero huic homini motionem prædeterminantem, conſentiet: ergo etiam illa non ſupponit decretum liberum conditionatum, ſed potius in ſuo obiecto includit illud, non vt iam exiſtens quoad liberam determinationem cum reſpectu rationis, ſed vt poſſibile noſtro modo concipiendi: ſicut intelligimus nunc fuiſſe in Deo poſſibile decretum liberum creandi alium mundum, quod de facto non fuit.

Sextò. Nam ex contraria ſententia ſequuntur duo incommoda, vnum in re ipſa, & contra doctrinam certam; aliud in ſua ſchola, & contra principia in ea recepta ante hanc controuerſiam. Primum eſt, quòd reuera Deus non haberet præſcientiam contingentium, ſed neceſſariorum, quia vt illa futura præſcire poſſit, quæ ex ſe, & in ordine ad cauſam proximā eſſent contingentia, facit, vt neceſſariò eueniant, vt ſic illa præſcire poſſit. Vnde quidam ex dictis Theologis non dubitauit dicere, Deum non minus euidenter cognoſcere futurum effectum in voluntate creata à ſe prædeterminata, quàm in cauſa naturaliter agente. At hoc dici non poteſt. Ergo neque *Prolog. 2. c. 9. num. 5.*

neque primum audiendum eſt.

Secundum inconueniens eſt, quod ſi vera eſt illa ſententia, fruſtra laborauit Diuus Thomas in explicando modum, quo Deus præſcit futura contingentia abſoluta per præſentiam æternitatis; immeritóque dixiſſet, non poſſe cognoſcere illa in cauſa: nam licet non cognoſcat in cauſa proxima nudè ſumpta, quia ſic non eſt cauſa completa; cognoſcit tamen in cauſa completa per determinationem impreſſam à cauſa prima, quam determinationem futuram eſſe, in ſua voluntate cognoſcit. Nec eſſet vlla differentia in cognoſcendis futuris, quæ à ſola Dei voluntate pendent, & quæ pendent à voluntate creata: nam omnium cognitio ad ſolam Dei voluntatem reſoluitur.

VIII. His tamen non obſtantibus dicendum eſt, ſicut *diſputat.* 1. *de Auxiliis* prædiximus, non eſſe ſcibile, etiam à Deo ante omne liberum decretum voluntatis eius, in quam partem determinatè ſe infallibiliter flectet creata voluntas ex hypotheſi, quod in talibus circumſtantijs conſtitueretur, & tale obiectum proponeretur eidem. Sed ſolùm eſſe ſcibile, quid poſſet facere, ſi vellet. Probatur rationibus adductis in eadem *diſput.* 7. *de Auxiliis*, ex quibus nonnullæ ſunt in præſenti perſtringendæ, vt expendamus, an ſolutiones, quæ illis adhibentur, ſatisfaciant.

Prima ratio eſt, quam *diſp.* 7. *præallegata num.* 18. aſſignaui. Nihil poteſt concipi, vt re vera futurum abſolutè, antequam præintelligatur decretum Dei abſolutum, quo præuoluit, vt futurum

rum illud fiat; eo quòd omnis effectus ad extra pendet intrinſecè à Deo, eiuſque abſoluta voluntate, tanquam à prima cauſa efficiente: nullus autem effectus eſſe poteſt antecedenter ad influxum, & cauſalitatem ſuæ cauſæ, præſertim primæ, à qua omnis efficientia aliarum cauſarum procedit; ergo antecedenter ad liberum decretum conditionatum eiuſdem voluntatis diuinæ, quo prædefiniuit, vt ſi voluntas conſtituatur in talibus circumſtantiis, & proponatur illi tale obiectum, amet illud: verbi gratia, non erit ſcibile, quod amabit illud. Aliàs in tali hypotheſi actus ille procederet à creata voluntate, abſque voluntate, & cauſalitate diuina; ergo antecedenter ad prædictum decretum Dei conditionatum non eſt ſcibile in quam partem determinatè ſe flectet creata voluntas; ergo ante idem decretum non datur in Deo certa ſcientia futurorum contingentium conditionatorum, quæ à libero arbitrio creato dependent.

IX. *Prologom. 2. c. 9. n. 7. & 8.*

Ad hoc argumentum, quod efficaciſſimum eſt, duplicem ſolutionem adhibent. Primò reſpondent non ſequi ex eorum ſententia aliquid eſſe futurum etiam ſub conditione ſine voluntate Dei, & aſſignant rationem, quia licèt illa ſcientia conditionata non ſupponat decretum aliquod liberum præexiſtens in Deo; includit tamen in ipſa hypotheſi decretum liberum ponendum in re, vt ab illo eſſe poſſit effectus, qui dicitur ſub conditione futurus, quia ab illo eſſentialiter pendet. Et addunt, quod aliud eſt ponere in obiecto ſcientiæ voluntatem liberam Dei, aliud ſupponere il- *Cap. 1. eiuſd. Prologom. n. 6. & c. 4. n. 7.*

lam

lam in ipſo Deo; quaſi in ſubiecto; quis enim dubitet per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ præſciuiſſe Deum in ſua æternitate prius ratione, quàm vellet creare mundum, ſe poſſe voluntariè, ac liberè creare mundum; quomodo enim poſſet velle illum creare, niſi præſciret ſe poſſe id facere, & voluntatem ſuam eſſe efficacem, vt ſi voluerit ad id ſe ipſum determinare, id faciet? illa ergo præſcientia includit in ſuo obiecto volitionem liberam Dei, ſub illa conditione, ſi determinetur, licèt nondum ſupponat illam determinatam. Sunt ergo illa duo valde diuerſa: Vnde in præſenti ſententia ſenſus eſt, prius ratione, quàm Deus ſupponatur habere in ſe decretum liberum, ac determinatum, quòd voluntas creata velit præſcire, quid hæc volũtas in tali opportunitate, aut circunſtantiis volitura ſit, ſi Deus etiam ipſe voluntate ſua libera offerat ſufficientem, ac neceſſarium concurſum ex parte ſua, etiam ſi nondum intelligatur Deus habere tale decretum offerendi, vel non offerendi concurſum. Et idem repetit *c.4.num.7.*

X. *Impugnatio.* Hæc tamen ſolutio vim argumenti non euacuat, & ſupponit illud, quod probandum erat, & de quo eſt ipſa controuerſia, quod nimirum data illa hypotheſi, voluntas creata ſit potius conſenſura, quàm diſſenſura, quòd tamen ante omne liberum decretum voluntatis Dei præordinantis, vt ex hypotheſi prædicta conſentiat: certum & infallibile eſſe non poteſt: cùm voluntas adhuc in eiſdem circumſtantiis conſtituta ſit indifferens ad vtrumque. A cauſa autem indifferenti inquantum indifferens non exit determi

terminatus effectus, niſi ab aliquo alio determinetur, vt 1. *p.q.*19.*artic.* 3. *ad* 5. docet Sanctus Thom. Cùm ergo ſub illa conditione voluntas creata non determinetur à Deo iuxta ſententiam quam impugnamus, neque ab obiecto, quia vt docet S. Thom. 1. *p.q.*105. *art.* 4. *& q.* 106. *artic.* 2. *& q.* 111. *artic.* 2. nullum bonum, etiam vniuerſale propoſitum voluntati, dum eſt in via, determinat illam quantum ad exercitium actus: nec etiam determinatur à circumſtantiis loci, & temporis vel ab auxiliis præuenientis gratiæ in quibus, vel cum quibus ſupponuntur in ipſa hypotheſi conſtituta, vt ſupponunt auctores ſententiæ contrariæ. Ergo in eorum opinione nulla aſſignatur, ſed neque aſſignari poteſt maior ratio, quare, ſi voluntas poneretur in eiſdem circumſtantiis, ſit potius conſenſura, quàm diſſenſura.

Sed dicunt, quòd voluntas ipſa creata, quia eſt potentia libera ex ſua innata libertate ſe determinabit ſub illis circumſtantiis ad volendum illud obiectum, quia ita ſibi placet: & hanc determinationem futuram ex hypotheſi, certò cognoſcit Deus per ſcientiam mediam. Hæc tamen ſolutio videtur omnino voluntaria, & ſupponere ſimiliter id, de quo eſt controuerſia, quia nullam aſſignat rationem, propter quam voluntas creata, ſi ponetur in illis circumſtantiis, potius ſit præſtitura conſenſum, quàm diſſenſum. Etenim voluntas habet quidem ex ſe ipſa, hoc eſt, à principio intrinſeco, quod poſſit ſe determinare in illis circumſtantiis ad vnam vel alteram partem, cùm ſit indifferens ad vtramque: XI.

non

non tamen habet ex ſua intrinſeca facultate, quod ſe actualiter determinet ad talem actum particularem potiùs, quàm ad oppoſitum, aliàs enim in eiſdem circumſtantiis poſita eſſet per naturam ad vnum determinata, quod tamen repugnat eius libertati.

Idem argumentum fieri poteſt contra id, quod in eadam ſolutione aſſeritur, videlicet in ipſa hypotheſi includi liberum decretum Dei ponendum in re, vt ab illo eſſe poſſit effectus, qui à Deo, & à libera cooperatione arbitrij pendet. Etenim cùm volũtas Dei etiã poſitis illis circunſtantiis ſit libera, & ab eius libero decreto pendeat concurſus eius potiùs ad iſtum actum liberi arbitrij, quàm ad oppoſitum; nulla poteſt aſſignari ratio antecedenter ad omne eius liberum decretum in ipſo Deo exiſtens, propter quam debeat concurrere cum voluntate creata potius ad conſenſum, quàm ad diſſenſum. Non enim poteſt dici, quòd decretum Dei, vel eius concurſus ad extra determinetur ab illis circunſtantiis ad cauſſandum cum voluntate actum volitionis, potius quàm nolitionis, aliàs præiudicaretur libertati voluntatis diuinæ, imò & perfectioni concurſus illius, vt latiſſimè oſtendi *diſp. 21. de Auxiliis concluſ. 1. & 2.* Minus etiam dici poteſt, quod determinetur à concurſu voluntatis humanæ: aliàs enim Deus non operaretur omnia *ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*, vt Apoſtolus ait, ſed potius dicendùm eſſet, quòd Deus operatur actus noſtros liberos ſecundùm conſilium, & determinationem voluntatis humanæ, & conſequenter iſta cauſſalis vera eſſet:

1 Ephes. 1.

Quia

Quia homo vult, Deus vult; & ſimiliter iſta: Quia homo operatur talem actũ, Deus cooperatur eundem actum; quod tamẽ admitti non poteſt, vt *diſp.99* & 100. *de Auxiliis* oſtenſum eſt.

XII. Nec ſatis eſt reſpondere, quòd Deus vniuerſali ſuo & libero decreto, quo voluit cauſſas ſecundas liberas creare, & eas ſinere, vt operentur liberè, quod voluerint, eo ipſo obtulit eis ſuum concurſum generalem ad eos actus producendos, ad quos potentiæ liberè ſe voluerint determinare. Contra hoc enim eſt: nã repugnat perfectioni cauſſalitatis diuinæ, & eius omnipotentiæ, quòd producat cauſſas ſecundas, ita liberas, vt earum determinatio, & actualis concurſus non dependeat ex libera prædeterminatione, & cauſſalitate Dei, tanquam à prima cauſſa efficiente, vt voluntas creata ſe determinet ad operandum, & operetur talem actum; aliàs enim liberum arbitrium creatum eſſet primum liberum ſimpliciter, primum ſe mouens, & primum ſe determinans, & ita darentur duo prima principia, vt in 2. *ſententiarum diſtinctione* 37. *q.*2. *art.* 2. arguit Sanctus Thomas: quod tamen etiam de potentia Dei abſoluta fieri non poteſt, aliàs Deus pugnaret contra ſe ipſum, & à ſua corona, & ſupremo dominio, & cauſſalitate eximeret determinationem actualem, & concurſum liberi arbitrij creati, quod eſt nobiliſſimum inter omnes creaturas. Videantur, quæ circa hoc diximus *diſp.*117. *de Auxiliis.*

Secunda ſolutio eorum eſt, quod ſi argumentum coarctetur ad voluntatem Dei prædeterminantem, ita, vt illatio ſit, ſequi ex eorum

ſententia aliquid eſſe futurum ſine voluntate Dei prædeterminante, concedunt ſequelam: eſt enim (inquiunt) conſequens veriſſimum, non ſolùm in conditionatis futuris, ſed etiam in abſolutis, vt ſatis nos docent actus peccatorum, etiam vt tales actus ſunt, & liberè fiunt. Neque hoc eſt contra Dei omnipotentiam, vel abſolutum dominium, quia talis effectus non eſt futurus ſine influxu omnipotentiæ Dei, nec ſine voluntate ſua, qua vult, & voluntatem creatam ſinere liberè operari, & cũ illa concurrere. Poſſetque ſi vellet illũ actum impedire, aliter ſe habendo cum voluntate creata. Si autẽ vult illam indifferentem ſinere, neceſſe eſt, vt, quod voluerit ipſa, operetur, & conſequẽter etiam neceſſe eſt, vt Deus præſciat, quid ipſa voluntas creata, ſic conſtituta operatura, & volitura ſit. Ex quo inferunt totam differentiam inter nos, & illos in eo conſiſtere, quia nos volumus, quod concurſus, & determinatio creatæ voluntatis in quibuſcunque circumſtantiis conſtituatur, pendeat ex decreto, & voluntate Dei prædeterminante: ipſi autem exiſtimant à tali decreto pendere non poſſe ſalua arbitrij creati libertate, & actuali vſu illius: ſed ſolùm pendere à decreto Dei, & eius influxu ſimultaneo, quo cum voluntate creata concurrit ad actum: ſi voluntas creata velit ſe ad illum determinare; non tamen decreuit, vt velit.

XIV. Hæc etiam ſolutio videtur minus ſufficiens, quàm præcedens, & in eadem prorſus incidit inconuenientia, quæ in impugnatione ſo-

lutionis

lutionis præcedentis, & aliis in locis inſinuata ſunt: Quia negari non poteſt Deum abſoluto, & efficaci decreto prædeterminare omnes actus liberos bonos, qui in tempore fiunt, eos præſertim per quos prædeſtinati ad vitam perducuntur æternam, vt *diſp.* 22. *&* 23. *de Auxiliis* oſtenſum eſt. Vnde antecedenter ad liberum decretum diuinæ voluntatis prædeterminantis ſub conditione ex parte obiecti voliti, quod, ſi voluntas creata conſtituitur in talibus circumſtantiis conſentiat tali obiecto ſibi propoſito, non eſt ſcibile, etiam à Deo, quòd ſit præſtitura conſenſum, potiùs quàm diſſenſum.

Differentia ergo potiſſima inter nos, & illos, quantum ad iſtud punctum, de quo diſputamus, vt clarioribus verbis, & abſque vlla prorſus ambiguitate illam explicemus, in hoc conſiſtit, quia nos contendimus determinationem ipſam, & actualem concurſum liberum creatæ voluntatis pendere intrinſecè ex decreto abſoluto, & efficaci voluntatis diuinæ tanquam à prima cauſſa verè efficiente, vt voluntas creata ſe determinet ad talem actum, & non ſolùm, vt à cauſſa alliciente, inuitante, ſuadente, aut quolibet alio modo, etiam interius ſolùm moraliter trahente. Illi verò exiſtimant ſolùm pendere à decreto, & voluntate Dei, vt à cauſſa morali alliciente, inuitante, & ſuadente, & à concurſu eius ſimul tanto, quo vult cum creata voluntate concurrere ad talem artem, ſi ipſa voluerit ſe ad illum determinare, vt capitulo vltimo huius operis fiet manifeſtum.

Secundò probatur noſtra ſententia alio argumento; XV.

gumento, quod *diſputat. 7. de Auxiliis num.* 16. propoſuimus: Si Deus futura contingentia conditionata à libera voluntate dependentia cognoſceret, vt determinatè vera ante omne liberum decretum voluntatis ſuæ, ſequeretur, quòd cognoſceret illa, vt ex ſe omnino neceſſaria: vel reuocanda erunt in aliquam aliam cauſſam extrinſecam, & infallibiliter determinantem voluntatem hominis ad talem actum: conſequens eſt falſum, nam id, & repugnaret libertati, & in operibus pietatis repugnaret etiam efficaciæ diuinæ gratiæ: Ergo. Sequela probatur. Conſtituamus (verbi gratia) Petrum, & Paulum præuiſos ſub eſſe poſſibili cum tali vocatione, & omnibus circumſtantiis eius, vt ex vi libertatis de vtroque præuideri in quodam priori ſigno rationis, poſſe conſentire, vel diſſentire, in poſteriori autem ſigno, & ante decretum Dei Petrum videri conſenſurum, & Paulum non conſenſurum: Peto vnde prouenire poſſit hæc diuerſitas. Non enim ex Deo, cũ ſupponatur nullum habuiſſe decretum, quo ſtatuerit aliquid circa futuros actus vtriuſque. Nec etiam poteſt prouenire talis diuerſitas ex ipſis voluntatibus humanis, cùm ſint æquè indifferentes de ſe. Nec ex obiecto, cùm ſupponatur eſſe idem, & licet eſſet diuerſum, non efficaciter mouet. Ergo oportet id referre, vel in aliquam proprietatem indiuidualem talis perſonæ, vel in aliquam conſtellationem cœleſtem, vel aliquid aliud ſimile.

XVI. *Solutio Suarez.* Ad hoc arg. reſpondent neutrum ſequi ex eorum ſententia. Nõ quidem primum, quia licèt hæc ſint contingenter futura, habere poſſunt

ſunt determinatam veritatem, non quia per ſe neceſſaria ſint ſimpliciter, ſed quia ita futura ſunt. Vnde ad ſummũ reſultat neceſſitas ſuppoſitionis, qua dicitur, id quod eſt neceſſariò eſſe. Sic enim etiam, quod futurum eſt, neceſſariò erit. Neque etiam ſequitur ſecundum; quia voluntas humana, vt ſe determinet, non indiget cauſſa extrinſeca determinante, neque alia extrinſeca cauſſa, & propriè, & phyſicè cooperante, præter Deum. Et ad exemplum in argumento propoſitum de duabus voluntatibus Petri, & Pauli reſpondent, quòd, aut poſtulatur ratio diuerſi euentus, aut ratio præſcientiæ illius ex parte Dei. Prior ratio propria, & proxima eſt liberum arbitrium, vel ſolùm in malis, vel adiutum in bonis. Neque contra hoc obſtat, quod illæ voluntates in priori ſigno ſint æquè indifferentes: nam potius ex hac ipſa indifferentia naſcitur, vt vnus ſic, alius ſic operetur pro ſuo arbitrio, etiam cæteris omnibus antecedentibus exiſtentibus paribus, quia hoc ipſum poſtulat libertatis dominium. Fruſtra ergo obiicitur, vel cogitatur eſſe neceſſarium recurrere ad conſtellationem, vel indiuiduationem, ſeu complexionem: nam liberum arbitrium his hominibus dominari poteſt, ſi velit: ex intrinſeca ergo poteſtate illius futura eſſe poterit illa diuerſitas. Suppoſito autem, quòd ſit futura, non oportet ex parte Dei aliam rationem reddere, vt cognoſci poſſit, niſi quia infinitam vim habet cognoſcendi, & omnem veritatem in ſe ipſa intuendi ſine vllo diſcurſu formali, vel virtuali, ſed per ſolam ſimplicem veritatis contemplationem.

Prologom. 2. c. 9. n. 10.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

XVII. *Impugnatio.* Hæc etiam ſolutio propoſitam difficultatem non ſoluit: iã enim ex profeſſo oſtendimus *diſp. 13. de Auxiliis*, quòd ante omne liberũ decretum voluntatis diuinæ propoſitiones de futuro contingenti, etiam conditionato non habent determinatam veritatem, nec determinatam falſitatem, ſed ſunt indifferentes ad vtramque partem contradictionis, vel contrarietatis. Vnde, vt cauſſa libera & contingens reducatur ad actum determinatum, oportet, quod præmoueatur, & determinetur à Deo, vt à prima cauſſa verè efficiente. Et cùm dicitur in ſolutione, quòd ratio propria, & proxima diuerſi euentus in caſu propoſito eſt liberum arbitrium, vel ſolum in malis, vel adiutum in bonis; hoc poteſt dupliciter intelligi. Primò de adiutorio tantum ſimultaneo, quo Deus concurrit cum voluntate ad actum bonum, ſi ipſa vult illum procedere: & hoc non ſufficit, vt actus bonus ſit infallibiliter futurus ex hypotheſi: quia per tale adiutorium, & concurſum ſimultaneum Deus non efficit, vt voluntas ſe determinet ad eundem actum. Neque id habet voluntas ex ſua facultate intrinſeca, ſed ſolum competit illi ex ſua natura, quòd poſſit ſe determinare ad quam voluerit partem, vt ſupra oſtenſum eſt. Ergo niſi à Deo determinetur non erit certum, & infallibile, quod operabitur talem actum potiùs, quàm oppoſitum; vel reducenda erit actualis determinatio vnius pro alio ad aliam cauſſam extrinſecam; vt argumentum probat. Iam enim ſupra diximus, quod ex ipſa indifferentia voluntatis vtriuſque procedere non poteſt, vt à prima radice,

dice, & cauſſa, quòd vnus operetur vnũ actum in caſu poſito; alius verò operetur actum contrarium omnibus antecedentibus exiſtentibus paribus in vtroque; ſed ſolùm naſcitur ex eadem indifferentia, quod vterque poſſit ſe determinare ad quam maluerit partem. Quòd autem vnus ſe determinet ad iſtam partem, alius verò ad oppoſitam, oriri non poteſt tanquam ex prima radice & cauſſa ex ipſa natura liberi arbitrij vtriuſque, cùm liberum arbitrium in vtroque ſit æquale, & vtrique commune; ex his autem, quæ communia ſunt duobus, oriri non poteſt tanquam à prima radice differentia inter vtrumque, vt expreſsè docet Sanctus Auguſtinus agens de hac eadem materia *lib. de prædeſt. Sanct. cap. 5.*

Et quamuis liberum arbitrium ſolum ſit cauſſa peccatorum abſolutè loquendo, nihilominus impoſſibile eſt, quòd operetur ſine Deo actus peccatorum in quantum actus, & entia ſunt; ſed neceſſarium eſt; quòd tales actus in quantum ſunt entia, & bona quædam in genere naturæ procedant etiam efficienter à Deo, atque ex monitione ipſius per concurſum generalem, vt ex profeſſo oſtendimus *diſp. 24. de Auxiliis, & 1. 2. q. 79. art. 1. diſput. 167. &* 168.

Tertiò probatur noſtra ſententia. Deus ante omne liberum decretum ſuæ voluntatis non cognoſcit eiuſmodi futura conditionata propter exiſtentiam, ſiue in coëxiſtentia, quam habent in æternitate: tum quia vt *c. 4.* patebit, non coëxiſtunt æternitati, cùm nunquam ſint habitura eſſe in propria menſura: tum etiam, nam au-

ctores, cum quibus diſputamus, ſentiunt, etiam abſolutè futura non coëxiſtere æternitati præſentialitate reali, & actuali, antequam in ſe ipſis exiſtant in tempore: ſed ſolùm in eſſe obiectiuo, vt *diſputat.* 8. *de Auxiliis* viſum eſt. Nec etiam ea cognoſcit in aliquo decreto ſuæ voluntatis; nam ſcientia media futurorum conditionatorũ antecedit in ſigno rationis eiuſmodi decretum, vt ipſi affirmant. Neque etiam ea cognoſcit in ideis; nam ideæ diuinæ ante liberam determinationem voluntatis Dei, non magis repræſentant actu euentum illum liberum eſſe futurum data illa hypotheſi, quàm non eſſe futurum: aliàs Deus ſua omnipotentia non poſſet facere vt poſita in eſſe tali conditione, nempe tali excitatione, voluntas creata conſentiat in tale obiectum, aut etiam diſſentiat, prout Deo placuerit, quod tamen non videtur poſſe admitti; nam aliàs voluntas creata fortior eſſet & magis efficax voluntate diuina, quod eſt impoſſibile. Dicit enim Auguſtinus: *Tunc in clariſſima luce ſapientiæ videbitur quod nunc piorum fides habet antequam manifeſta cognitione videatur, quàm certa, & immutabilis, & efficaciſſima ſit voluntas Dei; quàm multa poſſit, & non velit: nihil autem velit quod non poſſit, quamque ſit verum, quod in pſalmo canitur: Deus autem noſter in cœlo, & in terra omnia quæcunque voluit, fecit. Quod vtique non eſt verum, ſi aliqua voluit & non fecit. Et quod eſt indiginius, ideo non fecit; quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit. Non ergo fit aliquid, niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo, vt fiat:*

Auguſt. in Ench. ad Laur. c. 95.

Pſal. 113.

ſiat: vel ipſe faciendo. Et infra: *Cui proculdubio, quàm facile eſt, quod vult facere, tam facile eſt, quod non vult eſſe, non ſinere. Hoc niſi credamus, periclitatur ipſum noſtræ fidei confeſſionis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, niſi quia quidquid vult poteſt, nec voluntate cuiuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Et de correptione, & gratia cap. 14. *Cui volenti ſaluum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium. Sic enim velle, vel nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. De his enim qui faciunt, quæ non vult, facit ipſe quæ vult.* Et infra concludit: *Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cælo, & in terra omnia, quæcunque voluit, fecit, & qui etiam illa quæ futura ſunt fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quo minus faciat ipſe, quod vult, quando quidem etiam de ipſis hominum voluntatibus, quod vult facit.* Ex quibus etiam concludit: *Quod ſine dubio habet humanorum cordium, quò placeret inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* Et in fine eiuſdem capitis. *Magis* (inquit) *habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas.* Nec item cognoſcit eiuſmodi futura conditionata in prædeterminatione voluntatis creatæ: nam auctores contrariæ ſententiæ eiuſmodi prædeterminationem non admittunt, vt *lib. 3. de Auxiliis diſp. 22. &* 23. viſum eſt. Demum aſſignari non poteſt iuxta ſententiam aduerſam aliquid certum, aut firmum fundamentum, in quo Deus ante ſuum liberum

decretum cognoſcat talem euentum determinatum eſſe futurum ex libera determinatione creatæ voluntatis, ſi talis conditio poneretur in eſſe; non ergo cognoſcit ante idem decretum hæc conditionata; vt futura determinatè, ſed vt indifferentia ad vtrumlibet.

XIX. *P. Leſſius lib. de gratia efficaci c. 20. n. 8. Prima ſolutio.* Ad hoc argumentum, multæ, ſed planè inſufficientes adhibentur ſolutiones. Prima eſt; Deum certò cognoſcere eiuſmodi futura cōditionata in præsētia æternitatis, ſeu quia in æternitate præſentia ſunt; quod explicant non de præſentialitate actualis coëxiſtentiæ, ſed obiectiuâ, quæ, vt aiunt, non minus in futuris ex hypotheſi, quàm in abſolutè futuris locum habet. Et aſſignant rationem, quia, cùm viſio diuina menſuretur æternitate, neceſſariò ambit omne tempus anticipans omnia, quæ per totum tempus fiunt, & ex quauis hypotheſi fierent. Vnde hæc omnia ab æterno ſunt illi præſentia, ita vt ictu ſuæ viſionis, vel luminis omnia illa veluti tangat, & feriat: ſicut obiectum præſens oculorum aſpectu tangi dicitur. Dum enim ſe extendit ad omne tempus futurum, non ſolùm videt, quid re ipſa per totum tempus, & ſingulas eius partes fiat; ſed etiam quid hac, vel illa hypotheſi poſita fieret: vnde hæc omnia ſunt illi præſentia, præſentialitate obiectiua, tanquam ex hypotheſi exiſtentia. Addunt quóque hanc rationem cognoſcendi re ipſa non differre ab ea, qua dicitur, Deum ex vi infinita ſui luminis cognoſcere hæc futura in ſeipſis ſecundùm eſſe ſuum determinatum, quod haberent poſita hypotheſi extra ſuas cauſas. Hoc enim eſſe eſt illi præſens obiectiuè

ctiuè ab æterno.

Hæc tamen ſolutio videtur petere principium,& ſupponit illud de quo eſt controuerſia: Contendimus enim,ex hypotheſi,quod voluntas creata conſtituatur in talibus circumſtantiis, & proponatur illi tale obiectum,non ſequi ante liberum decretum diuinæ voluntatis determinantis alteram partem,quod ſit potiùs determinatè conſenſura, quàm diſſenſura, cùm in eiſdem circumſtantiis ſe habeat indifferenter ad vtrumlibet, nec poſſit determinatio ad alteram partem prouenire tanquam ex prima radice, & cauſſa ab innata eius libertate, ſed neceſſariò debeat, vt ad primam cauſſam reuocari ad liberum decretum voluntatis diuinæ: quoniam, vt ex Commentatore docet Sanctus Thomas, ab eo quod eſt ad vtrumlibet non ſequitur aliqua actio, niſi ab aliquo alio determinetur ad talem effectum, & ex hoc principio in eadem *prima parte q.*14. *art.* 13. concludit, quod futurum contingens, vt eſt in ſua cauſſa contingenti, non ſubditur per certitudinem alicui cognitioni:quia cauſſa contingens ſe habet ad oppoſita. Vnde Sanctus Auguſt. lib. primo de anima, & eius origine cap. 12. *ipſa* (inquit) *exinanitur præſcientia omnino, ſi quod præſcitur, non erit. Quomodo enim dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum.* Et idem dicit lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap.4. Proportionabiliter ſentiendum eſt in præſenti. Quomodo enim dicitur præſciri determinatè futurũ ex hypotheſi,quod ex eadẽ hypotheſi nõ eſt determinatè futurum?

XX. Impugnatio.

S. Th. 2. *p.q.* 19. *art.*3. *in* 5. *argum. & eius ſolut. Commentator* 2. *Phyſ. textu* 48. *S. Auguſt.*

Quòd verò in eadem ſolutione addunt,nempe, XXI.

pe, Deum cognoſcere futura conditionata ex vi infinita luminis intellectus diuini, eiſdem rationibus impugnatur. Nam infinita perfectio luminis diuini non ſe extendit ad cognoſcendum, vt determinatè futurum ex hypotheſi, id quod re vera data illa hypotheſi non eſt determinatè futurum; ſed ante decretum voluntatis diuinæ prædefinientis actum futurum ex hypotheſi nõ eſt ille actus determinatè futurus, etiam data illa hypotheſi, ergo: Minor probatur in hoc cõditionato, ſi inciderit Petro talis cogitatio, aut proponeretur illi tale obiectum in talibus circumſtantiis, conſentiet in illud. Etenim ſi aſſeratur hoc conditionatum eſſe ante decretum diuinæ voluntatis determinatè verum; ſequitur, quod poſita in eſſe illa conditione, non poſſet Deus ſua potentia abſoluta facere, vt Petrus diſſentiat illi obiecto ſibi propoſito. Si autem aſſeratur, illud conditionatum eſſe determinatè falſum, ſequitur, quod Deus adimpleta conditione, de potentia abſoluta facere non poſſit, vt Petrus conſentiat illi obiecto ſibi propoſito, quorum vtrumque videtur repugnare omnipotentiæ, & libertati diuinæ. Si enim Petrus adimpleta illa conditione poteſt conſentire, & diſſentire, prout ſibi placuerit, cur Deus non poterit efficere, vt data illa hypotheſi Petrus conſentiat vel diſſentiat, prout ſuæ diuinæ voluntati placitum fuerit.

Argumentũ efficax.

XXII. Nec ſatis eſt reſpondere, Deum abſolutè quidem efficere poſſe, vt Petrus conſentiat, vel diſſentiat, quia poteſt illum conſtituere in circunſtantiis, in quibus à Deo præſciatur conſenſu-

rus,

ſurus, aut diſſenſurus: ſed tamen ex ſuppoſitione, quòd conſtituit illum in talibus circunſtantiis, in quibus per ſcientiam mediam præſcit, illum eſſe conſenſurum ex hypotheſi, fieri non poteſt, vt faciat illum diſſentire. Neque id derogat diuinæ omnipotentiæ, cùm non proueniat ex eius impotentia, ſed ex parte obiecti, quod non eſt factibile; eo quòd implicat, Deum præſcire actum illum eſſe futurum ex hypotheſi, & tamen non ſit futurus data illa hypotheſi; ſicut implicat, hæc duo ſimul eſſe vera, quod ſcilicet ego videam tali momento Petrum currere, & hoc non obſtante, Petrus eodem momento non currat. Hæc enim reſponſio videtur petere principium, & ſupponere id quod probandum erat, & de quo eſt controuerſia, nempe conſenſum illum Petri, v.g. eſſe determinatè futurum, ex eo quod talis cogitatio in talibus circunſtātiis illi incideret, & eadem difficultas procedit de diſſenſu. Iam enim ſupra oſtenſum eſt, ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ, neutrum ex illis duobus actibus contrariis eſſe determinatè futurum, eo ipſo, quod conditio impleatur, ſed ſolùm poſt decretum Dei prædefinientis, vt talis actus determinatus ſit futurus, ſi conditio impleatur. *Impugnatio.*

XXIII. *Secunda ſolutio.* *Impugnatio.*

Secunda ſolutio eſt, Deum ante omne decretum ſuæ voluntatis certò cognoſcere hæc futura conditionata in ipſa veritate obiecti per ſimplicem intuitum rei, quæ futura eſt, vel abſolutè, vel ex hypotheſi. Hæc etiam ſolutio eaſdem prorſus patitur difficultates, quas præcedens, & eiſdem rationibus impugnari poteſt. Et quoniam

Digitized by Google

niam in *lib.2. de Auxiliis diſp.* 13. ex profeſſo oſtendi, ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ nullam propoſitionem de futuro contingenti, etiam conditionato eſſe determinatè veram, aut determinatè falſam: ſed indifferenter ſe habere ad vtrumlibet: ideo non oportet in præſenti, argumentis illic adductis hanc ſolutionem impugnare. Expendat Lector Scripturæ teſtimonia, Conciliorum, & Sanctorum Patrum, præſertim Auguſtini, & Thomæ, Proſperi, & Hilarij, quæ *diſp.7.& 13.de Auxiliis* adduxi, & colliget ipſos ſcientiam mediam non agnouiſſe, ſed potiùs tanquam impoſſibilem impugnaſſe. Hæc autem omnia patebunt amplius ex ſolutionibus argumentorum.

Reſponſio ad obiectiones ex auctoritate plurium Scholaſticorum petitas.

XXIV. AD primum argumentum, quod attinet ad Doctores in capite eiuſdem argumenti *n.* 2. allegatos, qui à quadraginta annis, & infra de hac ſcientia media ſcripſerunt, non oportet reſpondere. Nam, vt aliqui ex ipſis fatentur, ipſi fuerunt primi, qui noſtris temporibus prædictam ſcientiam mediam introduxerunt non intelligentes, qualiter abſque illa conſiſtere poſſet libertas noſtri arbitrij, & actualis vſus illius cum infallibilitate diuinæ praeſcientiæ, prouidentiæ, & prædeſtinationis: nec non cum efficacia auxiliorum præuenientis gratiæ. Accedit, nam inter eos non eſt conuenientia in modo explicandi, & defendendi ſcientiam illam mediam, nam

quidam ſentiunt, pertinere ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: quidam verò ad ſcientiam viſionis, quidam aſſerunt cognoſci à Deo in ipſa veritate, quam præſupponunt habere ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ eiuſmodi futura contingentia conditionata à creata libertate dependentia: alij quòd cognoſcuntur in actuali exiſtentia, quam habent ex hypotheſi in æternitate. Alij putant, quòd cognoſcuntur in actuali exiſtentia, quam habent ex hypotheſi in æternitate, alij putant, quòd cognoſcuntur in ſupereminenti Dei comprehenſione, qua voluntatem creatam cognoſcit: & ideo certò ſcit ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ, in quam partem ſe liberè determinabit creata voluntas ex hypotheſi, quod conſtitueretur à Deo in iſtis, vel illis, vel etiam aliis infinitis circunſtantiis. Sed, quoniam non eſt noſtri inſtituti expendere quid iſte, vel ille Auctor ex prædictis ſenſerit, ſed quid iuxta doctrinã Sanctorum Auguſtini, & Thomæ, & aliorum Patrum, nec non antiquorum Scholaſticorum ſentiendum ſit, & dicendum: ideo in his non eſt multum immorandum.

His omnibus accedit, quòd multi ex aſſertoribus ſcientiæ mediæ fatentur, talem ſcientiam fuiſſe incognitam Scholaſticis antiquis, & Sanctis Patribus, præſertim Auguſtino. Nam vnus illorum profitetur, ſe primum in Deo ſcientiam quandam de actibus liberis ſub conditione futuris excogitaſſe: quam dicit eſſe mediam inter ſcientiam Dei naturalem, & liberam. Alius ait: *Quòd antiqui Scholaſtici, qui hactenus ſcripſerunt, tantùm*

Fonſeca q. 6. metaph. ſect. 8.
Vaſquez 1. parte q. 14. diſp. 67. in fine.

tantùm meminerint ſimplicis ſcientiæ viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, parum intereſt: tum quia illi de hac ſcientia ſub conditione nihil omnino diſputarunt, aut meminerunt. Alius verò poſtquam retulit ſuam ſententiam circa concordiam gratiæ, & liberi arbitrij, quæ in ſcientia illa media fundatur, atque aliis eius principiis, ſubdit: *Quæ ſi data explanatáque ſemper fuiſſent, fortè neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta; neque Lutherani tam impudenter arbitrij noſtri libertatem fuiſſent auſi negare, ob tendentes cũ diuina gratia, præſcientia, & prædeſtinatione cohærere non poſſe; neque ex Auguſtini opinione, concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuiſſent turbati, ad Pelagianóſque defeciſſent: facilèque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epiſtolis Proſperi, & Hilarij fit mentio, fuiſſent extinctæ.* Et infra ſubdit: *Neque verò dubito quin ab Auguſtino, & cæteris Patribus vnanimi conſenſu comprobata fuiſſet hæc noſtra de prædeſtinatione ſententia, ratióque conciliandi libertatem arbitrij cum diuina gratia, præſcientia, & prædeſtinatione, ſi eis propoſita fuiſſet.* Sentiunt ergo rationem concordiæ per ſcientiam mediam non fuiſſe à Sãctis Auguſtino, & Thoma, & cæteris Patribus, atque Scholaſticis antiquis cognitam: qui tamen abſque huiuſmodi ſcientia media libertatem arbitrij cum infallibilitate diuinæ prædeſtinationis ſemper concordarunt.

Molina in concord. q. 23. a. 4. diſp. 1. memb. vlt. §. Nos pro noſtra. p. 387. in impreſſ. Antuerpiæ.

In fine eiuſdem diſp.

XXV. Vnde quidam Doctor eiuſdem familiæ loquens de huiuſmodi futuris conditionatis: *Neceſſe eſt* (inquit) *in ſigno rationis ſupponere liberam quandam Dei conditionalem prædefinitionem, qua poſita nouit, quid eſſet facturus in tali rerum concurſu,*

Henriquez lib. vlt. de fine hominis c. 4. n. 2. in textu.

curſu , & occaſione. Et iterum ait : *Rectè concors Theologorum ſententia docet, Deum habere prædeterminationem bonorum efficacem, ex prouidentia perfecta ab æterno , in qua , & per quam tanquam per rationem certò omnia ſciat.* Et c.5.allegat pro hac ſententia pluſquàm viginti Doctores, tàm ex antiquis, quàm ex modernis. Et cap. 6. ſequenti nu.2. in textu proponit, & ſoluit argumentum potiſſimum contrariæ ſententiæ. Sic enim ait : *Obiiciunt quidam : ſi cauſſa efficax, & ſuppoſitio,ex qua infallibiliter ſequitur effectus, eſt iam poſita in actu , nec ea eſt , aut vnquam fuit in libertate mea: quî fieri poteſt,vt effectus & actus ſic à Deo prædefinitus antecedente voluntate, & mandandus exequutioni cum efficaci auxilio proueniente , manet nunc in libertate noſtra voluntatis? Quibus reſp.1. antecedens eſſe cauſſam rei , non vtcunque,ſed rei cum ſuo modo libero : atque ita infert effectum liberum,alioquin Deus non aſſequeretur modum quem ſua prouidentia , & ſuaui motione intendit: nempè, vt effectus in exercitio liberè fiat per cauſſam proximam.* Hæc ille. Et in toto illo capite ſoluit alia argumenta conſimilia.

Cap.5.eiuſdē lib.in fine textus in commento lit.G.

Quod dictum eſt de prædictis Doctoribus, dicendum eſt de aliis,qui fuerunt eorum diſcipuli, & doctrinam, quam ab ipſis acceperunt, euulgauerunt poſtea:quibus omiſſis ad examinandum alios teſtes, quos auctor adducit pro ſua ſententia , oportet accedere.

Et quidem Magiſter à Lorca in illa *diſp.4.de actibus humanis* nullo modo fauet auctori, ſolùm enim habet hæc verba pag. 241. *Reſpondetur, Deum præſcire quid voluntas operabitur his,* XXVI.

M. à Lorca.

vel illis obiectis, vel cogitationibus occurrentibus, ſed id non præſcit in aliqua determinatione ipſius voluntatis præcedente operationem, ſed quia prævidet operationem ipſam, vt futuram condi- tionaliter: Præſcit enim Deus futura contingentia conditionata, vt ſub conditione præſentia. Quibus verbis ſolùm docet, Deum præſcire futura contingentia conditionata, quæ re vera eſſent futura poſita conditione, quod non negatur: non tamen ait, Deum hæc præſcire ante omne liberum decretum ſuæ voluntatis; de hoc enim eſt controuerſia: Quin potius, ex his quæ aliis in locis docet, conſtat ipſum loqui de ſcientia, quæ ſequitur aliquod decretum diuinæ voluntatis. Etenim auctores ſcientiæ mediæ antecedétis omne liberũ decretum voluntatis diuinæ ex eo illam ſtatuere conantur, quia exiſtimant per abſolutum, & efficax Dei decretum, & phyſicam prædeterminationem deſtrui libertatem arbitrij, & actualem vſum illius. Et ideò cenſent auxilium præuenientis gratiæ ſolum eſſe efficax ab effectu, qui ſimul à libera cooperatione arbitrij pendet, à Deo præcognita per ſcientiam mediam, in qua tamquam in prima radice certitudo, & infallibilitas, (vt ipſi aſſerunt) diuinæ prædeſtinationis, quantum ad effectus aſſequutionum fundatur. Hanc autem ſententiam ex profeſſo impugnat idem Magiſter à Lorca *diſputatione* 19. *de gratia* §. *verum enim verò*, vbi ſic ait: *Certiſſima eſt oppoſita ſententia, & incunctanter aſſerendum, eſſe aliquod auxilium Dei in ſe efficax, quo ipſe præueniens voluntatem efficit, vt infallibiliter operetur, non affir-*

mando quid ſit hoc auxilium, vel ad quos actus requiratur. Hæc eſt concors ſententia Theologorum, quam expreſſe docent recentiores, qui de his auxiliis explicatius diſſeruerunt. Sotus 1.de natura, & gratia cap.16.Vega lib. 6. à cap. 6. vſque ad 9. Driedo lib. de concord. prædeſtinationis & lib. arbit. cap. 2. parte 2. & 3. & 1.de gratia & lib. arbitr.cap.4. & lib.2.cap.2. Decanus Louani. art. 7.propoſit.7. Hæc ille. Quod etiam probat ex multis teſtimoniis Sacræ ſcripturæ, & S. Auguſtini, & reſpondet argumentis, quæ in contrarium obiiciũtur,& diſputatione 21.§.dico ſecundo. ſic ait: *Poſſibile eſt, & exiſtimandum ſæpe fieri, vt Deus efficaci phyſica motione prædeterminet voluntatem, & hac ratione efficiat, vt operetur ſalua, & illæſa libertate.*] Et ſubdit, hanc eſſe indubitatã doctrinam S.Thom. Ex quibus omnibus paucis interiectis ſic concludit. *Ex quo infero nimis excedere eos, qui inſuperabili contentione defendunt, hanc prædeterminationem auferre libertatem & ſententiam, quæ illam aſſerit, nihil, aut parum à Caluino differre. Cùm enim euidens ſit, eſſe Sancti Thomæ doctrinam, & plurium ex antiquis Scholaſticis, nulla ratione timendum eſt, aliquid ei ineſſe periculi; ſed potius credendum eſt, eſſe fidei catholicæ conſonum.*]Hæc Mag. à Lorca.

Magiſter Zumel abſque vllo prorſus fundamento allegatur prò ſententia oppoſita, cùm in eodem loco ſuperius adducto validiſſimè impugnet ſcientiam iſtam mediam, de qua agitur, & argumenta, quæ à defenſoribus illius adducuntur, proponit, & diſſoluit ex profeſ- XXVII. *Magiſter Zumel. 1.par.q.14. art. 13. d.8. in fine.*

ſo, ſic concludens: *Tandem hæc omnia argumenta tam longè diſtāt à conſtitutione huius ſcientiæ mediæ, & à probatione eius, quantum diſtat à veritate ſcientia media, quam iſti fingunt.* Vnde eadem 1. *parte q.* 19. *art.* 8. *diſp.* 1. probat ex profeſſo, quod prædeterminatio efficax, & abſoluta diuinæ voluntatis ſtet ſimul cum contingentib. effectuum, & eorum libertate, & argumenta, quæ in contrarium obiiciuntur, diſſoluit. Cum iſta verò doctrina non ſtat ſimul, nec defendi poteſt ſcientia media, de qua loquimur, ſiue de nomine ſcientiæ mediæ ſit ſermo, ſiue de re ipſa, quæ hoc nomine ſignificatur. Denique in diſputationibus variis ad primam partem *tom.* 1. *dub.* 5. *conc.* 2. *p.* 116. in impreſſione Lugdunenſi 1609. admittit in Deo decreta libera, tàm circa contingentia futura abſolutè, quā circa futura conditionata, quæ ordine rationis præcedant ſcientiam futurorum contingentium. Sic enim ait: *Negari non poteſt vlla ratione quin in Deo fuerint multa decreta libera, non ſolum circa futura abſoluta, ſed etiam circa futura conditionata.* Et *conc.* 5. *pag.* 123. ſubdit: *Non eſt improbabilis ſententia, ſed valde rationabilis, dicere Deum certò, & infallibiliter cognoſcere futura conditionata, non quidem in decreto aliquo abſoluto futuritionis eorum, cùm ipſa futura non ſint, ſed in decreto includente conditionem in obiecto, & hoc non eſt fingere huiuſmodi decreta, ſed probabiliter, & rationabiliter veritatem affirmare ad infallibilem certitudinem futurorum conditionatorum, quæ à voluntate creata quacunque, ſeu à poſſibili eſſent futura, ſi collocaretur ſub hac, vel illa conditione, aut ſi crearetur*

Digitized by Google

retur his, aut illis occaſionibus, & circunſtantiis oblatis. Hæc aſſertio eſt contra eos, qui prædefinitiones Dei, etiam circa actiones ſupernaturales, & diuinas repellunt.] Et in fauorem eiuſdem ſententiæ adducit Scotum in 1. *diſtinctione* 39. §. *Viſo de contingentia rerum.* Alexandrum Alenſem 1. *parte quæſt.* 24. *memb.* 7. & Riccardum in 1. *diſtinct.* 38. *art.* 1. *q.* 5. & argumenta, quæ in contrarium obiiciuntur, diſſoluit: quod etiam facit eodem 1. *tom. diſp.* 1. *concluſ.* 1. *pag.* 10. Vbi ſic ait: *Certitudo diuinæ præſcientiæ inter plures rationes ſuæ infallibilitatis vnà deſumitur à priori ex decreto ipſius, quod decreto omnia in tempore ventura, & producenda definiuit, &c.* Et ſtatim ſubdit: *Hæc aſſertio mihi eſt certiſſima, & ſuppono eam eſſe D. Thomæ, & ſuorum diſcipulorũ, quẽ D. Hilar. lib.* 9. *de Trinitate apertè inſinuauit dicens: Quæ Deus facere decreuit, in ſua voluntate cognouit. Hanc etiã ſententiam poſſumus deducere ex doctrina D. Auguſtini lib.* 6. *de Trinitate c.* 10. *& lib.* 15. *cap.* 12. *& lib.* 5. *de Ciu. Dei, c.* 9. Hactenus Magiſter Zumel. Ex quibus omnibus, & ex his, quæ Salmanticæ pluries cum eo de hac materia priuatim diſcurrendo, ab ipſo audiui, manifeſtè conſtat, ipſum ſententiam noſtram ſemper tenuiſſe, & ſcientiam mediam in re ipſa, & non ſolum nomen impugnaſſe.

Allegatur pro ſcientia media Sotus *lib.* 3. *Summularum cap.* 8. *lect.* 3. quem locum etiam refert pro eadem ſententia Doctor Diotaleuius *opuſculo de ſcientia conditionata cap.* 5. *p.* 173. annumerans illum inter Doctores, qui defendunt ſcientiam futurorum contingentium conditio-

natorum antecedentem in ſigno rationis omne Dei liberum decretum, motus ea ratione; quia Sotus nullam mentionem fecit decreti diuini. Sed præterquam quod locus ille eſt falſus, forſan errore ſcriptoris, vel typographi; quia in præallegato loco non agit de hac materia, ſed in *tractatu primo de conditionalibus promiſſiuis c. 16. lect. 3. num.* 1. quo in loco ſic ait: *Sequitur ſecundò multas eſſe conditionales promiſſiuas, de quarum veritate nobis non poteſt conſtare, ſed Deus ſolus ſcit, verane ſint, an falſæ. Verbi gratia, ſi tu numquam viceris in diſputatione, ſolus Deus ſcit, an ſi viciſſes, dediſſem tibi librum; huiuſmodi ſunt omnes conditionales de præterito; vt ſi tu occurriſſes prius, tibi dediſſem librum, quem dedi Petro, Si Petrus non ſumpſiſſet potionem non fuiſſet mortuus.* Hæc ille. In quibus verbis tantum aſſerit, quod ſolus Deus ſcit, an eiuſmodi conditionales veræ ſint, an falſæ; quod nos etiam fatemur, nec de hoc eſt controuerſia: non tamen ait, Deum hæc conditionata præſcire ante omne liberum decretum ſuæ voluntatis, nec id vlla poteſt apparentia ex verbis illius inferri; nam eſt argumentum ab auctoritate negatiua, quod eſt inefficax. Non enim ſequitur, Non fecit mentionem de decreto diuino: Ergo ſentit, ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ Deum ſcire, quænam conditionales ex illis ſint determinatè veræ, quæ determinatè falſæ. Nec enim pertinebat ad inſtitutum Magiſtri Soti agere in loco illo de tali diſput. cũ non ſpectaret ad dialecticum, vel ad logicum, ſed ad Theologum ſcire, quomodo huiuſmodi pro-

poſitio

poſitiones conditionales certò cognoſcerentur à Deo: vtrum ante omne liberum eius decretum, an poſt illud. Vnde abſque vllo fundamento aſſerit Dominus Diotal. quod[tempore Magiſtri Soti, tam extra controuerſiam erat hæc opinio(ponentium ſcientiam mediam) vt eam inter prima dialecticæ rudimenta poſuerit abſque vlla diſceptatione, vt quid ab omnibus facilè receptum]Magiſter ergo Sotus concedit in Deo certam ſcientiam illarum propoſitionũ conditionalium, quo ad veritatem determinatam, aut falſitatem fundatam in libero decreto voluntatis eius, vt ſupra dictum eſt: Id quod ex eius doctrina aliis pluribus in locis manifeſtè colligitur. Nam *lib.1.cap.16.de natura, & gratia* reſpondens ad argumenta Lutheranorum, qui ex gratia efficaci tradita ab Aug. & ex voluntate Dei abſoluta, qua determinauit omnia bona, quæ fiunt in tempore, inferebant deſtrui libertatem arbitrij, aſſerit, *Concurſum Dei eſſe vnum ex prærequiſitis ad operandum, & nihilo ſecius illo poſito, tunc etiam eſt in facultate voluntatis agere, & ceſſare, quamuis in ſenſu compoſito contra ſe inuicem pugnent, agere erga me actione illa, & me non agere*: Et infra ſubdit: *Ita omnes teſtantur, Deum eſſe cauſſam conuerſionis, ſalutiſque noſtræ, præmouendo nos*, & loquitur de motione phyſica, qua Deus efficit, vt velimus. Quod ex eo conſtat, nam in eodem *lib.1. de natura, & gratia cap.18.* agens de motione ad actũ peccati, ſic ait. *Haud equidem diffitentur Theologi, entitatis (ita vocant) quæ eſt peccatum, Deum eſſe cauſſam: eo efficientiæ genere, quo cuncta, & animantia, & inanima ad*

D. Diotal.

ſuas naturales actiones præmouet. Non tamen inde ſtatim conficitur, cauſſam eſſe peccati, qua parte deflectitur à lege, & voluntate Dei. Et quamuis permulti ſint, quibus non ſit explicatu facile, quomodo in odio Dei, quod internam habet & indiuiſam malignitatem, poſſit Deus cauſſa eſſe entitatis, culpæ verò non item, non tamen eſt ita intellectu difficile.] Conſtat autem motionem, qua Deus cuncta animantia irrationabilia, & inanima ad ſuas naturales actiones præmouet, non eſſe moralem, ſed phyſicam, cùm illa motionis moralis capacia non ſint. Semel autem ſuppoſita abſoluta determinatione voluntatis diuinæ, & motione efficaci, quam ſtatuit Sotus, neceſſe eſt ruere ſcientiam mediam, & ſuperuacaneam eſſe, atque inutilem, cùm abſque illa ſaluari poſſit infallibilitas prædeſtinationis quantum ad aſſequutionem effectus, & concordari cum libertate noſtri arbitrij, & actuali vſu illius, cùm hæc infallibilitas fundetur in abſoluto decreto voluntatis diuinæ, atque in infinita eius virtute, & efficacia, vt in libro noſtro *de Auxiliis diſp.* 121. oſtendimus: Habemus ergo Magiſtrum Sotum noſtræ potiùs ſententiæ fauere, quàm aduerſæ.

XIX. *Obiectio. cap. 5. alleg. p. 173.* Sed contra hoc vrget adhuc argumentum D. Diotaleuius. Nam eo ipſo, quòd Sotus nulla mentione facta diuini decreti, aſſerit in illis propoſitionibus conditionalibus eſſe veritatẽ, non ex vi illationis, ſed ex eo ſolum, quod de facto antecedens verum non ſit ſine conſequenti, eo ipſo cum auctoribus ſcientiæ mediæ contradicit auctoribus, qui illam impugnant. Hi enim non aliam veritatẽ propoſitionis cõditionalis agnoſcunt

ſcunt, quàm illam, quæ fundatur in neceſſitate conſequentiæ, vel illationis. Cùm ergo Mag. Sotus docet in huiuſmodi futuris eſſe veritatem à Deo cognoſcibilem, quæ diſtincta ſit à neceſſitate illationis, apertè ſatis fatetur, hanc veritatem eſſe & cognoſci ante diuinum decretum, quia ſi à diuino decreto oriretur hæc veritas, verbi gratia, in hac propoſitione, ſi Petrus conſtituatur in his circunſtantiis, volet loqui: hæc, vt auctores etiam prioris ſententiæ contendunt, conſiſteret in neceſſitate illa conſequentiæ, qua effectus à Deo volitus ex ipſius voluntate, vel volitione infertur. Ideò enim verum eſſet poſitis illis conditionibus, vt Petrus vellet loqui, quia ſtatuiſſet Deus, vt poſitis illis conditionibus vellet. Ac propterea locum non haberet doctrina ipſius Soti.]

Sed hoc argumentum facilè ſoluitur ex his, quæ diximus *diſp. 7. de Auxiliis n. 7.* vbi diſtinximus duplicem neceſſitatem illationis, Alteram abſolutam, & naturalem, quæ in ipſa connexione terminorum fundatur, nullo alio præſuppoſito, vt in iſta propoſitione conditionali, ſi equus eſt homo, equus eſt animal rationale: ſi equus eſt homo, equus eſt riſibilis: nam ad eſſe hominem ſequitur naturaliter, & ab intrinſeco per formalem conſequentiam eſſe animal rationale, & eſſe riſibile: Altera verò eſt neceſſitas illationis, quæ non fundatur in connexione intrinſeca, & naturali terminorum antecedentis, & conſequentis eiuſdem propoſitionis conditionalis ſed in aliquo alio, quo præſuppoſito nunquam contingit, quod ponatur in eſſe antecedens eiuſdem *Solutio.*

propoſitionis conditionalis, quin etiam ponatur & conſequens. Sicut ad veritatem huius propoſitionis conditionalis, ſi viceris dabo tibi librum, ſufficit, & requiritur, quod promittens habeat firmum propoſitum dandi librum, ſi ille vicerit, & quod poſito in eſſe antecedenti, ponatur de facto & conſequens, quamuis conſequens ipſum ſit ponendum in eſſe liberè, & contingenter. Idem proportionabiliter dicimus de iſta propoſitione conditionali, & aliis conſimilibus, Si Stephanus orauerit pro Paulo, Deus conuertet illum. Hæc enim propoſitio erat ante conuerſionem Pauli, & orationem Stephani vera, & à Deo certa ſcientia cognita: non tamen ex intrinſeca terminorum connexione, aut aliqua formali conſequentia, ſeu illatione, nam conuerſio Pauli non habebat intrinſecam connexionem cum oratione Stephani, nec ab ea pendebat neceſſariò. Nihilominus ſuppoſito, quod Deus ab æterno decreuerat, & prædeſtinauerat conuertere Paulum ad orationem Stephani, impoſſibile erat, quod poneretur in eſſe antecedens illius propoſitionis conditionalis, quin poneretur & conſequens; vnde ſtante illa ſuppoſitione, conſequentia eiuſdem conditionalis erat bona, & aliqua neceſſitate neceſſaria, videlicet neceſſitate ex ſuppoſitione, quamuis tàm antecedens, quàm conſequens fuerit abſolutè liberum. Nos ergo cum Magiſtro Soto ſemper agnouimus, & agnoſcimus veritatem propoſitionis conditionalis vtriuſque generis ab æterno certa ſcientia præcognitam à Deo: & hæc quod attinet ad ſententiam Magiſtri Soti.

Similiter

Similiter etiam Driedo,qui in fauorem ſcientiæ mediæ adducitur in concordia *parte* 1 *.cap.*4. *ad* 3.nihil ibi dicit, ex quo inferri poſſit Deum ante omne liberum decretum ſuæ voluntatis certò ſcire futura contingentia conditionata, quæ à noſtro libero arbitrio dependent, ſed potius cum Sancto Auguſtino,quem ille defendit, non obſcurè docet eiuſmodi ſcientiam præſupponere tale decretum, & ad illud in ſigno rationis conſequi,id quod ex verbis eiuſdē Driedonis ſic colligitur. Nam in illo cap.4.pag.21. in impreſſione Louanij 1550. explicans dictum illud Chryſoſtomi: Deus Paulum, & alios etiam ab initio vocare voluiſſet, ſed præſciuit ab initio illos fore renitentes, ideo tunc vocauit eos, quando ſciebat eos obedituros; ſubdit, Veriſſimè quidem dicit: verùm non ita oportet accipere, quemadmodum Pelagius intelligit,tanquam Deus ſcierit tantummodò, & ceu medicus quidam omnibus ex æquo propoſitus expectet homines, qui ad ſe veniant ad accipiendam medicinæ gratiam: ſed intelligit,quod tunc Deus voluit vocare illos, quando ſciebat eos obedituros ex ſua ipſius gratia illuſtratos ad cognoſcendum gratiam, & ita vocationem ſuam penetraturam animas eorum, quos etiam ſic vocare prius potuiſſet,ſi voluiſſet,& prius ſic etiam vocati obediſſent. Proinde quod dicit Chryſoſtomus prius vocati non obediſſent,non intelligit de illa alta vocatione,quę eſt ſecundùm æternum Dei propoſitum ſic vocantis, ſicque adiuuantis, qualiter aptum nouit vt obediant. De quibus Paulus: *Diligentibus Deum, omnia coope-* *Roman.* 8.

XXX. *Driedo.*

rantur

rantur in bonum his, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti, ſed de alia qualibet vocatione, qua multi vocantur, qui non obediunt, de quibus Christus: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*: Cur autem noluerit ſic prius vocare illos vocatione illa alta, quæ eſt ſecundùm propoſitum eius, mihi curioſè ſcrutari non licet, qui debeo iuſtum iudiciũ Dei in omnibus venerari, & colere. Atque ita habes ex Scripturis ſacris vocationem duplicem, quemadmodum, & Auguſtinus docet in *lib. de prædeſt. Sanctorum*. Et paucis interiectis ſubdit: Sic Auguſtinus ſuam ſententiam, quam aſſeruerat contra Porphyrium retractat in libro retractationum. Quod dixi, inquit, tunc voluiſſe Chriſtum apparere hominibus & apud eos prædicari doctrinam, quando & vbi ſciebat fore homines, qui in eum fuerant credituri, Veriſſimè quidem, inquit, dixi, ſed non ita eſt accipiendum, quòd Deus tantummodò præſcierit, quod ipſi ex ſe ipſis eſſent credituri, & à ſe ipſis fidem habituri, ſed intelligere oportet, quòd & Deus præparauerit eos, quibus ipſe fidem donaret. Prædeſtinatio ſignificat Deum non ſolùm, vt futurorum præſcium, quemadmodum dixit Pelagius, ſed etiam, vt cauſſam eorum, quorum eſt prædeſtinatio. Veriſſimum quidem eſt, quòd ſalus religionis huius nulli vnquam defuit, qui dignus fuit, ſed non ita oportet accipere, tanquam quis ſua voluntate ſe dignum faciat abſque gratia, & prædeſtinatione diuina. Et *pagina* 24. *facie* 2. in fine, ſubdit: Non igitur quiſpiam eſt prædeſtinatus, quia eſt obediturus, ſed idcirco eſt obediturus,

Matth. 20.

turus,quia eſt prædeſtinatus,vt obediret.In quibus ſanè verbis agnoſcit cum Sancto Auguſtino prædeſtinationem , ſeu determinationem abſolutam diuinæ voluntatis antecedentem in ſigno rationis præſcientiam obedientiæ humanæ. Et pagin. trigeſimanona inquit , Deus non ſolum inuitat , non ſolùm ſuadet , aut ſuggerit , ſed *Et voluntatem bonam infundit , ac immittit*. Ex quibus omnibus conſtat, Driedonem nullam agnouiſſe, nec admiſiſſe in Deo ſcientiam futurorum contingentium conditionatorum , quæ antecedat omne liberum decretum voluntatis eius,ſed illam dumtaxat,quæ ad liberum decretum prædeſtinationis ſubſequitur: De hac enim præſcientia loquitur Auguſtinus, cuius ſententiam defendit,vt manifeſtiſſimis eiuſdem Sancti Doctoris teſtimoniis probaui *diſp. 7. de Auxiliis n. 27. &* 28. vnde apertè facit Driedo pro noſtra ſententia.

Præterea eſt ſignum manifeſtum , Driedonem numquam admiſiſſe in Deo ante omne liberum decretum voluntatis eius , ſcientiam futurorum contingentium conditionatorum. Nã ipſe fuit vnus ex præcipuis Doctoribus facultatis Theologicæ vniuerſitatis Louanienſis. Eiuſmodi autem facultas , vt notiſſimum eſt vnanimi conſenſu conſtanter negauit , & impugnauit talem ſcientiam mediam cum omnibus aſſertionibus,quæ cum illa antecedenter, & conſequenter ſunt neceſſariò connexæ:& in materia prædeſtinationis,& gratiæ doctrinam Sancti Auguſtini validiſſimè defendit.

Quod dictum eſt de Driedone dicendum eſt de

Digitized by Google

Taper. de Ruardo Taper, qui etiam fuit Doctor facultatis Theologicæ vniuerſitatis Louanienſis, & eiuſdem Driedonis Diſcipulus. Etenim in toto illo articulo 7. nihil dicit, quod ſcientiam mediam redoleat: ſolum enim in pag. 331. in impreſſione Louanij adducit auctoritatem Aug. lib. de quæſtionib. Paganorum contra Porphyrium aſſerentis, quod Chriſtus tunc voluit apparere hominibus, & apud eos prædicare doctrinam Euāgelij, quando, & vbi ſciebat eos eſſe, qui in eum fuerant credituri, &c. Sed non dicit Ruardus Deum hæc præſciuiſſe per ſcientiam conditionatam ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ: quin potius in ſequentibus, & in his quæ docet toto libro, manifeſtè inſinuat oppoſitum. Nam ſtatim oſtendit, Auguſtinum in præallegato loco non fuiſſe ſibi ipſi, aut aliis Patribus contrarium: Quod etiam confirmari poteſt, nam idem Ruardus *eodem art. 7. p. 296.* ſic ait. Suaſio ſola, ſiue à Deo fiat, ſiue ab homine non mouet voluntatem efficaciter, quia ſolum mouet in genere cauſſæ finalis, & obiectiuæ, & ſi actiuè non ſufficienter, &c. Et in *eod. art. pag.* 295. proponit argumentum potiſſimum, quo auctores ſcientiæ mediæ conuicti negant efficacem prædeterminationem voluntatis diuinæ, & ſcientiam mediam excogitarunt ad ſaluandam libertatem arbitrij. Sic enim ait: *Difficillimum eſt intelligere, quòd Deus operetur ipſum velle, vtens voluntate, tanquam inſtrumento, ipſam applicans ad opus, ſicut intellectum ad ſalutares cogitationes, vt docent Scripturæ: ipſam tamen voluntatem ſic applicatam, & motā ad opus vnum, nihilo*

nihilominus poſſe,& in ſua habere poteſtate, liberè eligere & velle contrarium, ac refutare opus, ad quod mouetur: Nam in poteſtate inſtrumenti non eſt quod moueatur, aut non moueatur potiſſimum comparatione Dei, cuius poteſtati nemo reſiſtere poteſt, qui, vt omnipotens, plenum in omnia habet dominium, multò magis quàm figulus in vas quod format, vel maſſam,ex qua lutum ſumit. Non igitur in poteſtate liberi arbitrij eſſe videtur agere,vel eligere aliud,quàm agit,vel eligit:cùm non operetur niſi motum: Motum autem videtur non poſſe ceſſare,aut agere aliud, quàm ad quod mouetur.] Et ſtatim ſoluens hanc difficultatem ſubdit: Sed hæc obiectio, & difficultas non minus aduerſatur libertati voluntatis in naturalibus, & politicis, in quibus etiam per diuinam prouidentiam mouetur, & determinatur ad opus, cuius propterea prouidentiæ concordia cum libero arbitrio ſuperat omnem intellectum: vt docet Cardinalis Caietanus circa *quæſt.22.in 1.part.Sanct. Thom.art.* 4. ita vt magis fide credatur, quàm plenè intelligi poſſit. Et illuſtrari poteſt hæc obſcuritas, ſi conſideremus Deum operari in vnaquaque creatura ſecundùm eius conditionem,& naturam,& propterea agentia libera, vt inſtrumenta mouere, atque ad opus applicare, ita vt liberè, & contingenter ipſa operentur.] Et in principio eiuſdem art.7. efficaciæ virtutis Dei mouentis tribuit infallibilitatem cooperationis liberi arbitrij, nec ad huiuſmodi infallibilitatem præſupponit prædictam ſcientiam mediam; vel conditionatam. Sic enim ait: *Si Deus voluntatem ad aliquid moueat, impoſſibile eſt huic poſitioni,*

poſitioni, quod ad hoc non moueatur. Nec tamen eſt ſimpliciter impoſſibile, quia eo momento, quo ad aliquod mouetur, poteſt contrarium velle: poſita autem hac motione, & concurſu Dei, quo vult nos velle, & agere, volemus, & agemus. Neceſſitari tamen à Deo voluntatem, qui auctor eſt naturæ, quamuis cogi ab eo non poſſit, nihil vetat. Nam tunc auferret illi libertatem in tali actione mouendo eam, ceu brutam pecudem, quod nunquam facit lege communi. Hactenus Ruardus Taper.

Ad Vuald. Veniamus ad Thomam Vualdenſem, qui fuit vir eruditus, & contra Vuiclef, & alios hæreticos ſcripſit, & expendamus eius verba loco pręallegato. In quo nullã prorſus concedit ſcientiam mediam, de qua agimus. Is enim diſputans contra Vuiclef concludit, quod Dei præſcientia, non tollit liberum arbitrium noſtrum, & ita ſimiliter efficax Dei decretum. Arguebant enim hæretici contra ipſum, & præcipuè Vuiclef, quòd omnia eueniebant ex neceſſitate antecedente, & ipſe dicit, hoc non eſſe verum, & tantùm oſtendit per omnes Eccleſiæ Patres opera noſtra prouenire neceſſitate conſequentiæ, & non antecedentis. Vbi per neceſſitatem antecedentis, ſeu antecedentem intelligit neceſſitatem abſolutam, cum qua libertas arbitrij, & actualis vſus illius cohærere non poteſt, vt patet ex his, quæ diximus *diſp.* 22. *de Auxiliis num.* 40. Vbi oſtendimus de hac neceſſitate fuiſſe loquutum Sanctum Anſelmum.

Obiectio. Nec obſtat, quod eo in loco ille non dicit, nec explicat neceſſitatem illam conſequentiæ prouenire ex efficaciſſima Dei voluntate, & decre-

to

Digitized by Google

to abſoluto, ſicut dicit Sanctus Thomas 1.*parte q.19.art.8.* Nam vltra quod hoc eſt argumentum ab auctoritate negatiua, ex qua non licet colligere, quòd neceſſitas illa conſequentiæ proueniat tanquam ex prima radice ex ſcientia media: talis ſententia non cohæret cum his, quæ idem Vualdenſis iuxta ſententiam Auguſtini, & antiquorum Patrum docet lib.de Sacramentalibus capit.7.8.& 9.fol.37.& ſequentibus in impreſſione anni 1523. Vbi ſæpius repetit illud Sancti Auguſtini libr.de correptione, & gratia in principio: *Non ſe itaque fallant, qui dicunt, vt quid nobis prædicatur, atque præcipitur, vt declinemus à malo, & faciamus bonum ſi hoc non agimus, ſed id velle, & operari, Deus operatur in nobis? Sed potius intelligant, ſi filij ſunt: ſpiritu Dei ſe agi, vt, quod agendum eſt agant: & cùm egerint, illi à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim, vt agant: non vt ipſi nihil agant.* Ex quibus omnibus infert in fine capitis 9.allegati, quod nullus homo debet in ſe ipſo, vel in factis propriis, vel ex parte, vel omnino confidere, aut gloriari, & aſſignat rationem; Nam quidquid homo habet accepit à Deo. At iuxta ſcientiam mediam, de qua agitur, aliquid tribueret ſibi homo, quod non acceperit à Deo, vt à cauſſa verè efficiente, videlicet determinationem, & actualem cooperationem liberi arbitrij, vt ab ipſo emanat, quæ ſolùm præcognita dicitur à Deo: non autem præuolita abſoluto decreto, & cauſſata verè efficienter per auxilium efficax præuenientis gratiæ, quo efficit, vt voluntas ſe determinet. Ergo.

Quod attinet ad Sanctum Thomam iam *diſp.*

7.*de Auxiliis*, & in diſcurſu totius libri oſtenſum eſt, ipſum nunquam agnouiſſe ſcientiam mediam, nec talem ſcientiam poſſe cum his, quæ docet circa diuinam prædeſtinationem, & efficaciam auxiliorum præuenientis gratiæ, cohærere, id quod patebit amplius cap. ſequenti.

XXXIII. Ad alios Auctores antiquos, qui *n*.4. allegantur, reſpondetur in primis, quòd dato, & non conceſſo eos negaſſe Deum cognoſcere futura libera in efficaci propoſito ſuæ voluntatis, non propterea ſequitur, quod ſcientiam mediam ſtatuerint. Nam in eorum ſententia abſque ſcientia media poterat Deus ea certò cognoſcere. Accedit, quòd illi auctores non agunt de ſcientia futurorum contingentium conditionatorum, ſed futurorum abſolutè. Vnde ex eorum dictis non poteſt pro ſcientia media deſumi aliquod argumentum, niſi ab auctoritate negatiua, quod eſt inualidum.

Ad Marſiliũ. Sed in particulari, quod attinet ad Marſilium malè allegatur *in* 1. *quæſt*. 4. Nam in tota illa quæſtione non agit de ſcientia Dei, ſed ſolùm in diſtinct. 40. in 1. quæſito, vbi ſic loquitur: Ante omnia ponamus fręna noſtrę inquiſitioni, & hæc duo firmiter & fideliter obſeruemus, & Deum omnia præſcire, & tamen quodlibet futurorum ad vtrumlibet euenire, ſcientes rationes eſſe ſophiſticas, vnum iſtorum ex alio infringere laborantes. Si enim Deus futura non præuideat nec præſentia ſcire poſſet, cùm non mutetur, de non cognitione in cognitionem, vel de ignorantia ad ſcientiam: & ſic nihil extra ſe cognoſceret, & per conſequens ſui ipſius neſcius

Digitized by Google

neſcius eſſet, quia non cognoſceret quantum poteſt. Et ſi futura neceſſariò euenirent, voluntas libera non eſſet, & ſic nullus delinqueret, ſiue peccaret, & ex conſequenti non debitè infligerētur malis ſupplicia, eo quòd in neceſſariis nullus eſt laudandus, vel vituperandus, vt habetur 5. Metaphyſicæ, & 3. Ethicorū. Vnde ſi qua rationum mota exiſteret, quam fortè audiens ſoluere non valeret; nihilominus à prædictorum fide recedere non debet, ſciens, quòd Deus plura poteſt, quàm mens hominis cōcipere poſſit. Imo Dei præſcientia, quia Deus eſt, quamuis omnia præſciat, nihilominus eſt cauſſa contingentiæ futuræ radicalis, & originalis, eo quòd ex largitate ſua dedit arbitrij libertatem: quin imo in omnibus, quæ producuntur liberè, & ad vtrumlibet, concurrit. Dicamus igitur firmi in fide, & ſi comprehendere non valeamus, cum Apoſtolo ad Romanos 11. *O altitudo diuitiarum, &c.* Hæc ille. Per quæ verba ſatis inſinuat, futura contingentia cognoſci infallibiliter in diuina cauſſalitate, tam radicaliter, quàm formaliter.

Ad teſtimonium adductum ex Ocham, reſpondetur, illum nullam agnouiſſe ſcientiam mediam, neque de illa diſputaſſe, vt ſupra de omnibus Scholaſticis antiquis dictum eſt. Et vt appareat, quænam fuerit in hac parte eiuſdem ſententia, & qualiter potiùs faueat ſententiæ noſtræ, quàm aduerſæ, ipſamet eius verba referenda ſunt, & expendenda. Hic auctor loco prææallegato quærit, an Deus habeat ſcientiam determinatam, & neceſſariam omnium futurorum XXXIV. *Ocham.*

contingentium. Quo loco cùm ſuppreſſo nomine retuliſſet ſententiam Scoti, hæc omnia cognoſci in decreto efficaciſſimo ſuæ diuinæ voluntatis, & hanc reiéciſſet in §. *ideò dico*, refert ſententiam Philoſophi dicentis, hæc non poſſe cognoſci, cùm futura contingentia non habeant determinatam veritatem: & hanc etiam refutat. Poſtea verò mentem ſuam his verbis explicat: Iſta tamen ratione non obſtante tenendum eſt, quòd Deus euidenter cognoſcit omnia futura contingentia: *ſed modum exprimere* neſcio. Poteſt tamen dici, quòd ipſe Deus, vel diuina eſſentia eſt vna cognitio intuitiua, tam ſui ipſius, quàm omnium aliorum factibilium, & infactibilium, tam perfecta, & tam clara, quod ipſa etiam eſt notitia omnium præteritorum, futurorum, & præſentium: ita quòd ſicut ex notitia intuitiua, intellectiua natura extremorum poteſt intellectus noſter euidenter cognoſcere aliquas propoſitiones contingentes: ita ipſa diuina eſſentia eſt quædam cognitio, & notitia, qua non tantum ſcitur verum neceſſarium, & contingens de præſenti, ſed etiam ſcitur quæ pars contradictionis erit vera, & quæ erit falſa. Et hoc *fortè* non eſt propter determinationem ſuæ voluntatis: ſed etiam poſito per impoſſibile, quod ipſa diuina cognitione exiſtente ita perfecta ſicut modò eſt, non eſſet cauſſa effectiua, nec totaliter, nec partialiter effectuũ contingentiũ, adhuc eſſet notitia, qua euidenter ſciretur à Deo, quæ pars contradictionis erit falſa, & quæ erit vera. Et hoc nõ eſſet; quia futura contingentia eſſent ſibi præſentia, nec per ideas, tanquam per rationes cognoſcendi,

gnoſcendi, ſed per ipſammet diuinam eſſentiam, vel diuinam cognitionem, quæ eſt notitia, qua ſcitur, quod eſt falſum, & quod eſt verum, & quod fuit falſum, & quod erit falſum, & quod erit verum. Iſta concluſio quamuis per rationem naturalē nobis poſſibilem, & à priori probari nō poſſit: tamē per auctoritates Bibliæ, & Sanctorum, quæ ſunt ſatis notæ, poteſt probari. Sed tranſeo de eis ad præſens. Verumtamen pro aliquibus artiſtis eſt ſciendum, quod quantumcumque Deus ſciat de omnibus futuris contingentibus, quæ pars erit vera, & quæ falſa, tamen hæc non eſt neceſſaria: Deus ſcit, quod hæc pars erit vera, imo eſt contingens; in tantum quod quantumcunque hæc ſit vera, Deus ſcit, quòd hæc pars contradictionis erit vera; tamen poſſibile eſt, quòd hæc nunquam fuerit vera, & in iſto caſu potentia eſt ad oppoſitum illius ſine omni ſucceſſione, quia poſſibile eſt, quod numquam fuerit vera. Sed ſic non eſt de voluntate creata, quia poſtquam voluntas creata aliquem actum habuerit, non eſt poſſibile, quod poſtea ſit verum dicere, quod nunquam habuit talem actum. De propoſitionibus de poſſibili dico, quod ſicut alij dicunt, quod iſta propoſitio, & conſimiles: Diuinam voluntatem volentem, A fore; poſſibile eſt, velle non fore, A; eſt diſtinguenda, ſecundùm compoſitionem, & diuiſionem. In ſenſu compoſito denotatur, quod hoc ſit poſſibile: Deus volens, A fore; non vult, A fore; & hoc eſt impoſſibile; quia includit contradictionem. In ſenſu diuiſionis denotatur, quod Deus volens, A fore; non

Digitized by Google

vellet, A fore; & hoc eſt verum. Et ſi dicatur, ponatur in eſſe, & non accidet impoſſibile, & per conſequens illæ ſtant ſimiliter: Deus vult, A fore: & Deus non vult, A fore, & iſto poſito in eſſe nullum ſequitur impoſſibile, quia non ſequitur, niſi iſta, Deus nunquam voluit, A fore, & iſta non eſt impoſſibilis, ſed contingens: ſic ſua contradictoria ſemper fuit contingens, ſcilicet Deus vult, A fore. Per prædicta poteſt reſponderi ad quæſtionem, quòd Deus habet ſcientiam determinatam de futuris contingentibus; quia determinatè ſcit, quæ pars contradictionis erit vera, & quæ falſa. Hæc ille. Quibus verbis ſuam humiliter ignorantiam fatetur, ſicut & Caiet. 1.*par.* *q.*22.*art.* 4. Nam dicit in primis, *Se neſcire modum, quo hæc futura* (& loquitur de futuris abſolutè) *Deus cognoſcat*. Secundò quamuis Scoti ſententiam impugnaſſet, conſcientia tamen correptus dicit, *Fortè hæc cognoſci in diuinis decretis*. Vnde ſemper anceps fuit, an ſententia Scoti ſit vera. Tertiò non recurrit ad ſcientiam mediam, ſed ad naturam contradictoriarum propoſitionum, quarum vna eſt vera, & altera falſa. Et quærens, quo pacto hæc cognoſcantur, dicit, *ſe neſcire*, quaſi dicat: Forſan in altiſſima Dei cognitione latet aliquis modus hæc cognoſcendi nobis ignotus Quartò venit ad diſtinctionem de ſenſu compoſito, & diuiſo, & eam explicat ſicut à S. Thoma & eius diſcipulis traditur. Quintò dicit, quòd ſuppoſito, quòd ſcientia Dei non eſſet cauſſa rerum, adhuc in Deo eſſet cognitio intuitiua talium futuro

Digitized by Google

futurorum. Per quæ verba confitetur ſcientiam Dei eſſe cauſſam rerum,ac per conſequens non propterea Deum ſcire aliquid futurum eſſe,quia futurum eſt;ſed è conuerſo, ideo futurum eſſe,quia Deus preſciuit id futurum eſſe, quæ omnia ſtare non poſſunt cum ſcientia media,quam auctor defendit.

Quod dictum eſt de ſententia Ocham, ſentiendum eſt prorſus de Gabriële loco ſuperiùs allegato. Hic enim auctor fideliſſimam Ocham ignorantiam ſequitur, imo refert eadem verba formalia ipſius, & in concluſ.5.ſic ait [*Quinta Concluſio: Deus habet ſcientiam determinatam de futuris contingentibus. Patet, quia determinatè ſcit, quæ pars contradictionis erit vera, & quæ erit falſa.*] Hæc ille. Certum eſt autem, quod hoc apud ipſos non eſt propter ſcientiam mediam, nam ad ipſam recurſum habuiſſent, ſed ſuſpicionem habent, ſi alius modus cognoſcendi ſit in archiuio Sapientiæ diuinæ, quem modum dicunt ſe ignorare. Si autem modus cognoſcendi eſſet per ſcientiam mediam, talis modus ab ipſis eſſet aſſignatus. XXXV. *Gabriel.*

Idem dicendum eſt de Gregorio *quæſt.2.allegata art.2.* Etenim hic auctor eundẽ quæſitum proponit,quem proponunt Ocham,& Gabriël, & refert ſententiam, quòd hæc futura contingentia cognoſcãtur in ideis diuinis, & cũ Scoto in margine citato eam refutat. Secundò refert ſententiam Scoti,quòd cognoſcãtur in decreto efficaciſſimo diuinæ voluntatis,& hunc modum cognoſcendi refutat cum Ocham loco citato. *Gregorius.*

Digitized by

Deueniens ergo ad ſolutionem difficultatis ſic dicit: ***Dico ergo quantum ad iſtum articulum conformiter intentioni Auguſtini, Damaſceni, atque Boëtij: nec non etiam plurium Doctorum magnorum modernorum, quòd modus iſte, quò Dei Sapientia cuncta futura certò prænoſcit, incomprehenſibilis, & inexplicabilis nobis eſt. Aliqualiter tamen*** *ex his, quæ videmus in nobis ad ea, quæ ipſius ſunt aſſurgentes, poſſumus, & debemus concipere, quod ſicut ea, quæ noſtris oculis ſunt præſentia intuitiuè videmus, ac per huiuſmodi intuitionem certè iudicamus vbi, & qualiter res viſa exiſtat, ac plures alias contingentes veritates de præſenti: ſic intellectualis, æternuſque, oculus Dei intuitiuam omnium rerum habet viſionem. Imo (vt propriùs loquar) ipſe eſt incomprehenſibilis quædam intuitio, quæ immediatè ſuper quamlibet non actualiter, vel præſentialiter exiſtentem ſimiliter fertur. Quapropter tam circa futura quàm circa præſentia, & præterita omnium contingentium veritatum certum, & diſtinctum, ac veràciſſimum habet iudicium. Imo, quia in eo, non diſtinguitur iudicium, & intuitio, ſicut in nobis, ipſa diuina intuitio eſt tale immenſum iudicium. Iſtud eſt conforme Damaſceno, &c.* Hæc ille. Et ſic refert plures Sanctos aſſerentes, quod à nobis hæc non poſſunt ſciri. Per quæ verba ſatis ſe explicat, neque Ocham reſponſionem recipit de cognitione in altera parte contradictoriarum propoſitionum, ſed dicit ſe eſſe indoctum in iſta parte, & balbutiendo perueniens ad modum cognoſcendi dat exemplum de cognitione intuitiua noſtra, quod ſicuti quando res ſunt nobis

præ

Digitized by Google

præſentes, eas certò ſcimus, eodemmet modo illas res futuras cognoſcit Deus. Sed vnde hoc proueniat non explicat. Si ergo ſcientiam mediam agnouit, quare ad talem modum cognoſcendi non peruenit, ſed dicit ſe talem modum neſcire,& ita tenendum eſſe; quia omnes Eccleſiæ Patres ita tenent, allegans pro ſe Damaſcenum, Auguſtinum & alios Patres. Nec ſatis eſt dicere, quod eo ipſo, quod Gregorius negat modum cognoſcendi futura contingentia in decreto abſoluto, & efficaci voluntatis diuinæ, neceſſe eſt ipſum poſuiſſe ſcientiam mediam, cùm non ſit alius modus, quo certò, & infallibiliter poſſint cognoſci. Hæc enim illatio etiam *Solutio.* in ſententia defendentium ſcientiam mediam eſt inualida: Ipſi enim aſſerunt, quòd Sanctus Thom. negat Deum ſcire futura contingentia *Obiectio.* in decreto ſuæ voluntatis, & tamen ex hoc non ſequitur, quod in eius ſententia non poſſit ea cognoſcere, niſi per ſcientiam mediam, aut ea præſuppoſita: nam eſt alius modus, quo ſecundùm Sanctum Doctorem ea cognoſcit, videlicet in actuali præſentia, & exiſtentia, quam actualiter habent in menſura æternitatis, *vt diſp. 9. de Auxiliis* oſtenſum eſt. Accedit, quod Ocham, Gabriël, & Gregorius ſunt dubij, an Deus cognoſcat futura contingentia in ſuis decretis abſolutis, fatentúrque: *Se ignorare modum, quo Deus ea cognoſcat*: Ergo ignorauerunt modum ea cognoſcendi per ſcientiam mediam, aliàs ſibi ipſis eſſent contrarij.

Thomas de Argentina citatus in defenſionem ſcientiæ mediæ nullo modo illi fauet, ſed XXXVI. *Argent.*

potiùs eſt pro nobis loco ab auctore allegato: Nam titulus illius articuli 3. eſt: *An prædeſtinatus poſſit damnari*, & ſextum argumentum, quod in contrarium ſibi proponit eſt hoc: [*Præterea, ſi prædeſtinatus poſſet damnari, ſic non eſſet certus numerus prædeſtinatorum, ſeu electorum: cuius oppoſitum docet Beatus Auguſtinus in quadam oratione dicens: ſoli Deo cognitus eſt numerus in ſuperna fœlicitate locandus. Et in lib. de correptione, & grat. 13. ait, Certus eſt numerus electorum.*] Hæc ille, & reſpondet. [*Ad ſextum nego conſequentiam, quia quamuis aliqui effectus ſint contingentes ex eo, quòd aliqua cauſſa eorum ſunt mutabiles, ei impedibiles in cauſſando: tamen qui noſceret omnia, quæ poſſunt impedire, vel præmouere huiuſmodi cauſſas in talium effectuum productione, ille cognoſceret vltimatum exitum illius contingentiæ; & per conſequens ſibi eſſet notus infallibiliter numerus talium effectuum: non obſtante quod non eſſent neceſſarij, ſed ſimpliciter contingentes, & ſic eſt in propoſito.* Hæc ille. Et quamuis hoc in loco non explicet, in quo cognoſcantur illæ cauſſæ, quæ poſſunt promouere, vel impedire. Aliis tamen in locis id explicat, affirmans prouenire ex operatione, & efficacia diuinæ voluntatis. Nam *diſtinct.* 45. *art.* 2. quærit: *An voluntas diuina ſit cauſſa immediata rerum.* Et in *concluſ.* 2. ſic ait: *Quamuis cauſſæ ſecundæ in aliquibus effectibus cooperentur Deo, ſiue voluntati diuinæ: tamen illud idem, quod ab eis producitur, intimius ab ipſo Deo attingitur, & perfectius à Deo producitur, quã ab*
Sap. 8. *ipſis cauſſis ſecundis. Attingit enim à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Hæc ille.

Et

Et *diſtin.37. & 39. quæſt.1.* quærit: *An ſcientia Dei ſit cauſſa rerum.* Et in *art.1*.concludit,ſcientiam Dei mediante voluntate eſſe cauſſam rerũ, & citat pro hac ſententia Auguſtin.3.*de Trin.c.* 4.& Ægidium Romanum etiam ex Auguſtiniana familia. Articulo autem 2. quærit: an Deus cognoſcat futura contingentia,qui eſt locus, ex quo poſſet colligi mens ipſius auctoris. Et reſpondens ad quæſt.ait: Quòd quædam eueniant neceſſariò,& quædam contingenter, hoc prouenire ex efficacia diuinæ voluntatis, qui certè in hac materia cum Sancto Thoma conuenit. Et *in 2.diſt.25.q.1.art.4*.quærens: An Deus poſſit immutare liberum arbitrium in corp. art. ſic dicit: *Licèt autem Deus voluntatem non cogat, poteſt tamen voluntatem immutare quandocunque voluerit,propter quod dicitur Prouerb.20. Cor Regis in manu Domini,quocunque voluerit, inclinabit illud.* Et illud immutare poteſt fieri tripliciter. Vno modo alliciendo, puta bona permittendo,vel etiam oſtendendo,ſicut nutrix mouet puerum oſtendendo illi pomum:alio modo inducendo, puta mala pœnæ comminando,iuxta illud: *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum,poſtea accelerauerunt.* Et iterum: *Imple facies eorũ ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine.* Tertio modo voluntatem meliùs diſponendo, puta peccatum expellendo; & gratiam infundendo, & hoc Deus poſſet facere ita abundè,& copioſè,quod quamuis voluntatem non cogeret, ipſam tamen in bonis deſideriis penitus immobilitaret,ſicut videtur feciſſe in Apoſtoli conuerſione. Hæc ille. Ex quibus verbis apparet, ipſum

Pſalm.15.& 82.

ſum virtualiter ſupponere decretum diuinæ voluntatis,quo immobiliter voluntas creata futuros actus bonos & contingentes eſt productura,vt certò, & infallibiliter cognoſcantur à Deo. Si quidem ad efficaciam diuinæ voluntatis reducit (ſicut & S.Thom.) infallibilitatem, & certitudinem futurorum contingentium. *Regula.* Vbi eſt obiter aduertenda illa regula generalis, quæ præſertim in cauſſis fidei obſeruari ſolet, quod nimirum,ſi quis protulit aliquam propoſitionem ambiguam,vel æquiuocam habentem duplicem ſenſum, alterum verum & pium, alterum falſum,accipienda eſt, & intelligenda in vero ſenſu,& pio,quem patitur, niſi oppoſitum conſtet de mente Auctoris in eodem contextu, vel aliis in locis,nam iuxta doctrinam S.Thom. & communem Theologorum dubia ſunt in meliorem partem interpretanda.

Ad alios auctores, qui dicunt, aliquam præſcientiam ad prædeſtinationem ſupponi, Reſpondetur non eſſe intelligendos de ſcientia media futuræ cooperationis arbitrij cum gratia præueniente, vt arguens prætendit: nam talis cooperatio in prædeſtinatis eſt effectus prædeſtinationis ipſorum, vt *diſp.36. de Auxiliis* oſtendimus ex profeſſo; ſed intelligitur de præſcientia eorum futurorum, quæ per ipſam prædeſtinationem non conſtituuntur: ſicut prædeſtinatio Chriſti præſupponit in ſigno rationis in Deo præſcientiam peccati originalis: in cuius remedium venit Chriſtus, vt *diſp. 37. de Auxiliis nu.* 21. & in tractatu noſtro de Incarnatione Verbi *diſp.* 9. latius explicuimus. Accedit,

cedit, quod præſcientia eorum, qua præſupponuntur ad prædeſtinationem, vel ad eam pertinent, non antecedit, ſed ſequitur liberum decretum voluntatis diuinæ, vt *diſp.*7. & 10. *de Auxiliis* diximus, vnde illorum cognitio, non poteſt ad ſcientiam mediam pertinere.

Accedit, quòd Egidius Romanus in argumento allegatus apertè loquitur de præſcientia, quæ ſequitur decretum voluntatis diuinæ: nam allegat pro ſe Auguſtinum, quem conſtat nomine præſcientiæ non intellexiſſe ſcientiam mediam, nec præſcientiam futuræ cooperationis arbitrij; ſed efficaciam ſuæ diuinæ voluntatis, & beneficiorum ſuorum, quibus dignatur nos liberare, vt apertiſſimis eiuſdem Auguſtini teſtimoniis probaui *diſput.*7. & 35. *de Auxiliis num.*2. *Egidius.*

Ad locum Ioannis Arborei ſupra inductum reſpondetur, eius doctrinam non eſſe admittendam, nam loco citato refert ſententiam Sancti Auguſtini, & ipſam reiicit, & ſequitur ſententiam Origenis. Et ideo in hac parte nullius eſt authoritatis, cùm conſtet ſententiam Auguſtini circa prædeſtinationem, & gratiam eſſe à multis Summis Pontificibus approbatam. Denique ad ea, quæ afferuntur ex Thoma de Argentina, iam ſupra reſponſum eſt, & oſtenſum noſtræ potiùs ſententiæ fauere, quàm aduerſæ. *Ioan. Arb.*

XXXVII. Habemus ergo, nullum ex Doctoribus Scholaſticis, qui ante quadraginta annos ſcripſerunt, docuiſſe, vel inſinuaſſe ſcientiam mediam, ſed potiùs eiuſmodi ſcientiam cum eorum dictis

ſtare

ſtare non poſſe. Vnde ruit argumentum ſuperius ex auctoritate Scholaſticorum deductum. Nam ſolùm auctores *num.*2. allegati, & aliqui eorum diſcipuli à quadraginta annis, & infra hanc mediam ſcientiam introducere cœperunt, vt ex ſupradictis cõſtat. Imò plurimi ex ipſis, vt Cardinalis Toletus, & Barradas, & nonnulli alij non explicant, An ſcientia futurorum contingentium conditionatorum, de qua loquuntur, ſit in Deo conſtituenda ante, vel poſt decretum diuinæ voluntatis, ſed ſolùm aſſerunt, Deum certò ſcire futura contingentia conditionata, quæ futura eſſent, ſi purificaretur conditio, quod non negatur; nec de hoc eſt aliqua controuerſia, vt in principio *diſp.*7. *de Auxiliis* notauimus.

XXXVIII Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quod pœnitentia Sidoniorum, & Tyriorum futura ex illa hypotheſi fuit certò cognita à Deo, non quidem per ſcientiam mediam, ſed per ſcientiam, quæ in ſigno rationis præſupponit liberum decretum conditionatorum diuinæ voluntatis, vt *diſputatione* 7. *de Auxiliis num.* 23. *&* 24. *& diſp.* 35. *num.* 3. oſtenſum eſt. Et ſic intelligitur locus ille Matth. 11. & ſic explicat illum Magiſter Frater Petrus Ledeſma diſputatione 2. de ſcientia futurorum contingentium pag. 609. & 610. in ſolutione ad 4. teſtimonium Sacræ Scripturæ. Vbi inter alias explicationes eiuſdem loci Matth. 11. refert noſtram, & eam approbat. Et poſtquam propoſuit argumenta quibus conuicti auctores aduerſæ concordiæ decretum illud Dei conditionatum impu

*Matth.*11.
M. Ledeſma.

impugnant, ſubdit hæc verba: *His non obſtantibus illa prima ſolutio non videtur mihi improbabilis, ſed ſatis probabilis: Deus enim decreuerat dare auxilia efficacia illis hominibus illarum Ciuitatum, ſi illa ſigna exteriora reciperent. Et in illo decreto efficaci ſuæ voluntatis potuit optimè cognoſcere illud futurum conditionatum.* Et ſtatim ſoluit obiectiones, quæ adducuntur in contrarium à Reu. P. Suarez in libro de Auxiliis, quibus ſolutis ſic iterum concludit: *Nihilominus tamen hac ratione non obſtante, illa prima ſolutio adhuc videtur mihi probabilis, & multum veroſimilis. Ratio huius eſt, quia aliqua ſunt futura conditionata ſpecialia, quæ ſpecialiter pertinent ad diuinam prouidentiã, vt illud de quo loquimur, & alia, quæ reuelata sũt à Deo, vel à Chriſto Domino, à vel Prophetis. Et hæc futura cõditionata ſunt prædefinita, & decreta ab ipſo Deo. Vnde ad rationem propoſitam dicendum eſt, quod Deus prædefiniuit, & prædeterminauit illa futura conditionata, non verò alia futura conditionata impertinentia. Et quod hoc non ſit voluntariè dictum conſtat, quia habet fundamentum in Sacris literis, in quibus hoc apertè ſignificatur, & reuelatur, ſuppoſito illo, quod determinatum eſt, quod eſt neceſſarium auxilium efficax phyſicè prædeterminans voluntatem ad conuerſionem peccatoris, & ad illa opera ſupernaturalia. Vnde iſta ſolutio eſt probabilis, & habet apparentiam.* Hæc Ledeſma. Vnde abſque vlla ratione, & fundamento quidam dicunt, quod Pater Ledeſma non ſolum aſſerit noſtram ſententiam eſſe falſam; *ſed etiam improbabilem, tàm quoad aſſertionem talis ſcientiæ, quàm quoad illum modum,*

P. Suarez Prolog. 2. c. 1. n. 3.

dum, quo haberi ponitur in decreto conditionato] Nam in locis inductis dicit expreſsè totum contrarium. Neque in *concl.2.& 5.* ſuperius allegata tenet oppoſitum, ſi attentè legatur: quia illis in locis, & in tota ſecunda difficultate celebri, & controuerſia de ſcientia futurorum contingentium ſolùm impugnat primam ſententiam Molinæ, & Suarez, & aliorum ſuæ familiæ, quos allegat pag. 574. verſiculo, in hac difficultate, qui tamen ante omne actuale decretum etiam conditionatum ex parte obiecti voliti conſtituebant in Deo certam ſcientiam omnium futurorum contingentium conditionatorum, etiam poſſibilium, vt in his conditionatis: Si Deus crearet aliquem mundum, tot creaturas produceret in illo. Si in eodem mundo poſſibili conſtitueretur homo in talibus circunſtantiis, & proponeretur illi tale obiectum, proſequeretur illud, & ſic de aliis omnibus cõditionatis poſſibilibus. & hanc ſententiam, & diuerſos modos eam explicandi, & defendendi impugnat, vt patet ex 2. concluſ. quæ habetur pag. 582. vbi ſic ait: *Prima ſententia iuxta ſecundum modum declarata eſt falſa, & improbabilis. Secundus autem modus explicandi iſtam ſententiam erat aliorum, aſſerentium, quòd Deus cognoſcit hæc futura conditionata in prædeterminatione ſuæ voluntatis, & in decreto illius, quo prædefiniuit quid eſſet facturus, non abſolutè, ſed ſub conditione, ſi hæc, vel illa circunſtantia poneretur: vt ſi voluntas hominis, vel Angeli in hoc, vel illo ordine rerum crearetur, & ſub his circunſtantiis, vel ſub illis, &c. Itaque exiſtimat iſta ſententia, quòd Deus*
præter

præter ea, quæ decreuit abſolutè fieri à cauſis liberis:decreuit etiam omnia, quæ à quacunque voluntate poſſibili futura eſſent, ſi ſub hac, vel illa conditione crearentur. imò & omnia quæ ipſamet voluntas diuina faceret, ſi aliæ occaſiones, vel circunſtantiæ ad operandum ſe illi offerrent. Et hanc ſententiam ſic explicatam impugnat in *concl.* 5. affirmans quòd non ſit eidem probabilis. Nihilominus poſtmodum explicans ſuam propriam ſententiam, docet futura illa contingentia conditionata, quæ in Sacra Scriptura habentur expreſſa, certa ſcientia cognoſci à Deo: non quidem ante omne liberum decretum, vt vult arguens, ſed ſuppoſito in ſigno rationis decretò conditionato, quo ſtatuit, vt fiant illa futurà ſi conditio appoſita fuiſſet impleta, vt ex præmiſſis conſtat. Vnde Pater Ledeſma nec eſt ſibi ipſi contrarius, nec vllo modo fauet auctori, ſed potius expreſsè defendit noſtram ſententiam, & explicationem præallegati loci Matth. 11. & ſimilium. Et eandem explicationem adhibent Doctores, qui in Deo conſtituunt huiuſmodi actualia decreta conditionata comparatione futurorum contingentium conditionatorum, quæ habentur in Sacra Scriptura, inter quos ſunt, Magiſter Zumel *tom.*1. *d.*5.*ſectione* 1.*in appendice.* Magiſter Luna, olim moderator cathedræ Theologicæ in vniuerſitate Salmaticenſi. Magiſter Frater Didacus Nunno Regens in collegio celeberrimo Sancti Gregorij Valliſoletani.3.*p.q.*62. *artic.*5.*q.*2. *poſt* 5. *concluſ. principalem & ſolutione ad* 12. Et Magiſter

M. Zumel. *M. Luna.* *M. Nunno.* *M. Nauarrete.*

Frater Balthaſſar Nauarrete meus quondam collega, dum ſimul legeremus Sacram Theologiam in conuentu inſigni Sancti Pauli Valiſoletani, idipſum docet *1.part. controuerſia 56.* §. 2. *concluſ. 6.* Et Doctor Gaſpar Ram Sacræ Theologiæ primarius profeſſor in alma Oſcenſium Sertoriana Academia *tractatu de diuinis præmotionibus relect. 3. fol. 61. & ſequentibus.* Sed de his decretis conditionatis agendum eſt *cap. 4.*

D. Ram.

XXIX. Ad tertium argumentum reſpondetur, quòd Deus, neque decreto formali, neque decreto virtuali vult malitiam coniunctam cum actu peccati, neque id ſequitur ex noſtra ſententia, qua aſſerimus, Deum ſua ſcientia libera, & practica eſſe cauſſam verè efficientem actus peccati, in quantum actus, & ens eſt, etiam ſi malitia ſit inſeparabilis à tali actu, ſecundùm quod dicit habitudinem ad voluntatem creatam deficientem, ſicut eſt actus homicidij, vel fornicationis. Et ratio huius eſt, nam malitia moralis, & defectus talis actus non conſequitur ad eundem actum, quatenus procedit à Deo tanquam à prima cauſſa efficiente, ſed, vt procedit à voluntate creata, tanquam à cauſſa deficiente. Etenim, vt dicit S.Th. in 1. *ſent. diſt. 38. quæſt. 1. in corp. & ad 1. Scientia artificis, non eſt cauſſa defectus, qui contingit in artificiato.* ſed talis defectus debet aliunde prouenire, videlicet à cauſſa deficiente, nam ſimiles effectus in ſimiles cauſſas ſunt reducendi. Vnde voluntas creata, eo ipſo, quod liberè vult formaliter actum, cui eſt

Digitized by Google

eſt annexa malitia, & defectus peccati; vult virtualiter, & conſequenter malitiam peccati, & ideò tribuitur peccatum eidem voluntati. Deus autem, etiam ſi decreto formali velit actum peccati in quantum actus, & ens eſt, non tamen vult etiam virtualiter malitiam, & defectum ipſius peccati, quia, vt dictum eſt, non conſequitur ad entitatem actus peccati, in quantum actus, & ens eſt, nam omne ens in quantum ens, bonum eſt, & conſequenter à primo bono: nec etiam, vt procedit à cauſſa efficiente, ſed ſolùm, quatenus producitur à cauſſa deficiente, videlicet à voluntate creata, quæ natura ſua defectibilis eſt, quia ex nihilo facta eſt. Hæc eſt expreſſa ſententia Sancti Thom. in 2. *ſententiarum diſtinct.* 37. *quaſt.* 2. *artic.* 2. Vbi proponit in terminis argumentum, quod obiicitur contra noſtram ſentẽtiam, & illud ſoluit iuxta præmiſſa. Eſt autem argumentũ huiuſmodi. *Quidquid eſt cauſſa actionis, in qua deformitas fundatur, ſecundùm quam actio mala dicitur: eſt mouens, & cooperans ad malum: nihil enim operatur ad malum niſi ſecundùm quòd talem actionem producit: ſed Deus nullo modo ad malum cooperari debet dici. Ergo illius actionis, in qua malum conſiſtit inſeparabiliter, cauſſa dicendus non eſt.*] Ecce argumentum procedit de actu, cui eſt inſeparabiliter coniuncta malitia, ad quod tamen reſpondet Sanctus Doctor, *Quod illud dicitur ad malum cooperari, quod inclinat ad actionem, ſecundùm quod actio deformitati ſubſtat, vnde mala eſt. Hoc*

autem Deo non conuenit: & ideò non oportet, vt ad malum cooperari dicatur, quamuis actionis illius cauſſa ſit, in qua malum conſiſtit, ſecundum quod influit agenti eſſe, poſſe, & agere, & quicquid perfectionis in agente eſt. Quibus verbis expreſsè concedit S. Thomas, Deum eſſe cauſſam actus peccati, cui eſt inſeparabiliter connexa malitia, & nihilominus non eſt cauſſa eiuſdem malitiæ, ac per conſequens nec formaliter, nec virtualiter vult illam, ſed de hoc argumento plura dixi 1.2.*quæſt.*79.*art.*2. *diſput.*167. præſertim *numer.* 17. & 20. *Et diſput.* 18. *de Auxiliis numer.* 21. & 22.

XL. Vult ergo Deus decreto formali entitatem actus peccati, in quantum actus, & ens eſt, & ſua ſcientia libera eandem entitatem efficit, abſque eo, quod decreto virtuali velit malitiam eiuſdem peccati. Neque hoc negare poſſunt auctores ſententiæ contrariæ, cùm ingenuè fateantur Deum cõcurſu ſimultaneo concurrere efficienter cum voluntate creata ad actum peccati, in quantum actus eſt, etiam ſi aliàs ſit eidem actui intrinſecè cõiuncta malitia, in quantum procedit à voluntate creata deficiente; & tamen ipſimet negant, & bene, quòd Deus concurrat etiam virtualiter ad malitiam eiuſdem actus peccati; quia talis malitia non ſequitur ad actum peccati, vt procedit efficienter à Deo, ſed ſolùm, vt eſt à voluntate creata deficiente. Et quamuis illi contendant aſſignare differentiam, quantum ad hoc inter ſuam, & noſtram ſententiam: nos tamen putamus eſſe eandem rationem de concurſu Dei præuio, & de concurſu

curſu ſimultaneo, vt *diſput.* 18. *de Auxiliis numer.* 21. *& diſp.* 24. *num.* 20. latè oſtendimus. Et nunc addimus, quòd ſi Deus per concurſum ſimultaneum attingit efficienter actum peccati, ſicut reuera attingit, abſque eo quod velit etiam virtualiter, aut cauſſet malitiam, multo à fortiori id ſentiendum eſt, & dicendum de concurſu præuio propter rationes in eiſdem diſputationibus aſſignatas.

Ad primam confirmationem iam diximus pluries *diſp.* 11. *&* 24. *de Auxiliis*, quæ decreta ſupponantur in Deo, vt certò, & infallibiliter cognoſcat peccata abſolutè futura; & quod ibi dictum eſt de decretis abſolutis in ordine ad peccata futura abſoluta, dicendum eſt proportionabiliter de conſimilibus decretis conditionatis in ordine ad actus peccatorum conditionaliter futuris, ſiue peccata illa ſint commiſſionis, ſiue omiſſionis, quia non datur pura omiſſio, quæ imputetur ad culpam, niſi in aliquo actu poſitiuo præcedente, vel concomitante ſit voluntaria ſaltem indirectè, vt 1. 2. *diſputatione* 34. *numero* 7. explicauimus.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, ſolùm concludere, peccatum præuiſum, ſiue abſolutè, ſiue ſub cõditione, nunquã fieri ex decreto Dei, quod & nos fatemur: ſed argumentum peccat, quia non diſtinguit inter entitatem actus peccati, in quantum eſt ens, & bonum in eſſe naturæ, & inter ipſum peccatum abſolutè, ſiue in quãtum eſt fundamentum, & radix malitiæ. Primũ enim tribuimus Deo, vt primæ cauſſæ verè efficienti. Secundum autem ſolùm

referimus in voluntatem creatam deficientem: nec nos, neque aliquis catholicus vnquàm admiſit, Deum imponere homini neceſſitatem peccandi, etiam ſub conditione, vt arguens ſupponere videtur. Id enim pertinet ad hæreſim Manichæorum, & Lutheranorum, *vt diſp. 3. de Auxiliis* præmiſimus.

XLI. Ad quartum argumentum fatemur, quod, ſicut Deus multos rapit, quos præſcit peccaturos, ſi viuerent: ita etiam multos in vita conſeruat, præſciens eſſe peccaturos, & vtrunque præcognoſcit in decreto conditionato. Et cùm infertur: Ergo ſicut Deus rapit illum, ne cadat: ita hunc conſeruat, vt cadat. Negatur conſequentia; nam finis, propter quem Deus conſeruat iſtum, non eſt, vt cadat. Nam Deus non vult, nec eſt cauſſa, vt iſte cadat, vel peccet; ſed potius voluntate antecedente vult, quod non peccet. Igitur Deus conſeruat iſtum, & permittit, vt cadat; concurritque ad entitatem actus peccati, in quantum actus eſt, propter alium finem vltimum, videlicet propter manifeſtationem ſuæ iuſtitiæ punitiuæ, ſi eſt reprobus; aut propter maiorem ſplendorem, & manifeſtationem ſuæ miſericordiæ, ſi eſt electus, quem ab illo peccato tandem liberauit per indebitam gratiam, & ad vitam perducit æternam. Et per hæc patet ad ea, quæ in eodem argumento afferuntur ex S. Aug. nihil enim ex verbis illius contra noſtram ſententiam colligi poteſt.

Ad quintum argumentum reſpõdetur, quod dupliciter aliqua propoſitio conditionalis poteſt eſſe neceſſaria ex vi illationis. Primò ex

con

connexione ipſa terminorum ſecundùm ſe; quia nimirum conſequens conditionalis propoſitionis habet intrinſecam connexionem cum antecedenti, ſi poneretur, neceſſaria in hac propoſitione: Si lapis eſſet homo, lapis eſſet animal rationale, & huiuſmodi conditionales propoſitiones, & earum veritas cognoſcuntur à Deo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ante omne liberum decretum voluntatis eius, & idem dicendum de aliis conſimilibus conditionatis, quorum illatio, & veritas non fundatur in aliquo libero decreto, etiam conditionato actu præexiſtenti in Deo, ſed in aliquo eius attributo, quod Deo competit naturaliter, ſicut in hac propoſitione: Si Deus voluiſſet creare alium mundum, creaſſet illum. Si dedero Petro efficacem motionem prædeterminantem ad conſenſum, conſentiet. Veritas enim huius conditionati non fundatur in aliquo decreto actu exiſtente in Deo, ſed in eius omnipotentia, atque in decreto, quod potuit ab æterno eſſe in Deo. Veritas ergo harum propoſitionum conditionalium, & aliarũ conſimilium cognoſcitur à Deo per ſcientiam ſimplicis intelligẽtiæ. Aliæ verò ſunt propoſitiones conditionales, quæ ſunt neceſſariæ ex vi illationis, non quidẽ neceſſitate abſoluta, ſed ſolũ conditionata; quia videlicet illatio conſequentis, & eius poſitio infertur per bonam conſequentiam ex aliquo decreto libero actu præexiſtente in Deo, vt in hac propoſitione: Si quis decernat, & ſtatuat dare Petro eleemoſynam, ſi ipſe petierit: hoc.n. decretũ fertur in largitionẽ eleemoſynæ,

 ſub

ſub conditione tamen, ſi Petrus petierit. Sic ergo Deus ab æterno actu decreuit conuertere Tyrios, & Sidonios ſub hac tamen conditione, ſi apud illos facta fuiſſent ſigna, & virtutes quæ in Corozain, & Bethſaida facta ſunt. Et ideo futura contingentia conditionata, & libera, quæ ex conſimilibus decretis per infallibilem conſequentiam inferuntur ex vi illationis, cognoſcuntur à Deo per ſcientiam liberam, & pertinent ad ſcientiam viſionis: quia per eam Deus videt ſuum liberum decretum, & in illo pœnitentiam Tyriorum, & Sidoniorum virtute eiuſdem decreti re ipſa futuram, ſi conditio illa fuiſſet purificata.

XLII. Ad ſextum argumentum reſpondetur, quòd ex noſtra ſententia nullum incommodũ ex illis duobus ſequitur. Et ad primum, quod inferebatur, quod nimirum Deus non haberet præſcientiam contingẽtium, ſed neceſſariorum, dicitur, quòd neceſſaria ſunt in duplici differentia: quædam ſunt neceſſaria abſolutè, & ſimpliciter: quædam verò ſunt neceſſaria ſecundùm quid, videlicet neceſſitate conſequentiæ, vel infallibilitatis, ſiue ex ſuppoſitione; ſimpliciter tamen, & abſolutè ſunt libera, & contingentia. Dicimus ergo, quòd ſcientia Dei ſemper eſt de neceſſariis primo, vel ſecundo modo, quia impoſſibile eſt, quòd ſcientia infallibilis, qualis eſt ſcientia Dei, terminetur ad aliquod obiectum, niſi tale obiectum ſit aliqua neceſſitate neceſſarium, quia ſecundùm Ariſtotelẽ, ſcientia ſolùm eſt de neceſſariis, quæ non contingunt aliter

aliter ſe habere, ſed neceſſitas illa conditionata, ſeu conſequentiæ non repugnat contingentiæ, aut libertati rerum, vt ſuperius dictum eſt.

Secundum etiam inconueniens non ſequitur. Nam D. Thomas ex duplici capite probat, Deum certò cognoſcere futura contingentia, & libera. Primò quidem propter eorum realem præſentiam in æternitate ſecundùm proprias, & actuales exiſtẽtias, quas habitura ſunt in tempore, vt oſtendimus *diſp. 9. de Auxiliis*, & ex hoc capite probat, quod ſcientia Dei ſit intuitiua comparatione futurorum contingentium; quia per eam videt futura contingentia, prout actu exiſtunt cognoſcenti in menſura æternitatis; qua eius cognitio menſuratur. Secundò in decreto abſoluto, & efficaci ſuæ voluntatis, atque in prædeterminatione completa cauſſarum ſecundarum, quæ impediendæ non ſunt per concurſum alterius cauſſæ, vt probaui manifeſtiſſimis teſtimoniis Sancti Thomæ, & rationibus Theologicis *diſp. 10. & 12. de Auxiliis*, vbi etiam obiectiones in contrarium diſſolui.

Proponuntur aliæ obiectiones contra præmiſſa.

PRima obiectio deſumitur ex multis incommodis, quæ videntur ſequi, ſi hæc ſcientia media non ponatur in Deo. XLIII. *Obiectiones Leonardi Leſſij lib. de gratia efficaci. c. 19. nu. 12.*

Primum inconueniens eſt, poſſe innumeras Deo proponi quæſtiones ab hominibus, ad quarum nullam poterit aliquid certi reſpon-

dere. Verbi gratia, quinam eſſent conuertendi, ſi tali tempore, tali loco prædicaretur Euangelium. Quinam non eſſent? Vtrum puella conſentiet, ſi propoſuero ei matrimonium? Vtrum conſentient parentes? Vtrum inimicus me occidet, ſi eò venero? Vtrum ſocij me illi prodent? Vtrum obtinebo officium, vel beneficium, ſi inter cæteros me obtulero? Vtrum reportabo victoriam ſi hoſtem expectabo? & ſimilia, quæ tamen homines maximè deſiderant ſcire. Vnde & Oracula apud Gentiles de huiuſmodi pleraque conſulta fuere. Horum enim notitia maximè deſeruit ad vitæ gubernationem & rerum ſuarum commodiſſimam diſpoſitionem. Itaque hæc perſuaſio omnibus paſſim nationibus inſita eſt: Deum iſta probè noſſe; neque poſſe falli.

Secundum inconueniens eſt, nos non teneri certò credere, imo poſſe dubitare, quando Deus de talibus reſpondet, quia non eſt planè certum, cui nulla ratione falſum ſubeſſe poſſit.

Tertium inconueniens; Deum de huiuſmodi non habere maiorem certitudinem; quàm poſſit habere creatura, verbi gratia Angelus, aut Dæmon naturaliter; quia hi ex ſignis poſſunt etiam moralem certitudinem talium euentuum colligere.

Quartum inconueniens eſt, Deum diſcere ex euentu rerum quod ante præuiſionem abſolutam euentus certò non ſciebat. Antequam enim certò decernat aliquid facere, vel permittere circa creaturam rationalem, verbi gratia

eam

eam creare tali tempore, & loco, illi dare tale mandatum, tales excitationes, & inſpirationes, permittere tales tentationes, talium obiectorum occurſus, &c. neſcit certò, quid inde mediante ipſius libertate eſſet euenturum: ſed tunc demum id certò nouit, quando re ipſa videt euentum: nimirum poſtquam ſtatuit illud facere, vel permittere, vnde euentus abſolutè eſt ſequutus, quod quidnam eſt aliud, quàm diſcere per experientiam? Sicut homo priuſquam tentauit animum alterius ſuaſione ſua, & vidit euentum, neſcit certò quid ille eſſet facturus, ſi talis ſuaſio tali tempore ei adhiberetur: ſed id diſcit ex euentu; viſo enim euentu ſcit certò, illam conditionalem propoſitionem veram fuiſſe: ergo ſimile erit in Deo. Nec refert, quod decretum Dei ſit æternum, & ab æterno præuiderit ea, quæ ſunt abſolutè futura, ac proinde ab æterno fuerit certus de conditionalibus illorum futurorum. Hoc enim non impedit, quin ipſe verè diſcat veritatem iſtarum conditionalium & aliarum ſimilium ex euentu futuro. Nam ſicut homo diſcit hoc in tempore ex euentu, cùm illud videt: ita Deus diſcet ab æterno viſo euentu. Conſideratus enim vt prior decreto libero, non eſt certus: poſt decretum verò ſit omnino certus, ex intuitione euentus. Adde, quod manebit abſolutè incertus de infinities infinitis conditionalibus, quarum hypotheſes re ipſa nunquam ſunt ponendæ, quarum omnes diſceret modò ex euentu, ſi illas hypotheſes ſtatueret ponere. Hæc autem non ſunt admittenda: ergo.

Quintum

Quintum inconueniens. Sequitur, Deum non habere perfectiſſimam prouidentiam; ſed in omnibus ferè, quæ operatur circa creaturam rationalem, procedere cæco modo, neſciendo quid ſit inde ſequuturum, vel tantùm coniectando, niſi poſtquam ſe determinauit, & videt euentum, vt oſtenſum eſt. Quod autem ad perfectionem prouidentiæ pertineat, vt prouiſor omnia perpendat, & ſciat quidnam ex ſingulis modis gubernandi, qui ſe offerunt, ſit ſequuturum, videtur per ſe notum. Sic enim ſuauiſſimè, & certiſſimè poteſt obtinere finem intentum, & vitare omnia incommoda; nec quidquam poteſt ei euenire præter expectationem. Vnde videmus homines in ſuis deliberationibus de pace, de bello, de induciis, de contractibus, denique de omni ferè negotio maioris momenti, maxima ſollicitudine expendere, quid ex ſingulis mediis, quæ ſe offerunt, videatur probabiliter ſequuturũ, neque ſiſterent in probabilitate, ſi poſſent aſſequi certitudinem; neque in confuſione, ſi poſſent ſingula in particulari penetrare. Vt ergo prouidentia diuina ſit omnino perfecta, debet Deus prius ratione, quam aliquid velit facere, vel permittere circa naturam liberam certò noſſe in particulari, quid inde eſſet ſequuturum.

XLIV. Secunda obiectio. Huiuſmodi ſcientia non implicat vllam contradictionem, & alioquin eſt magna perfectio per ſe valdè optabilis, cùm maximè conducat ad completiſſimam prouidentiam, & gubernationem: Ergo neceſſariò ponenda in Deo eſt. Omnis enim perfectio

poſſibilis

Digitized by Google

poſſibilis nullam continens imperfectionem Deo tribuenda eſt. Quod autem nullam implicet contradictionem, patet; tum quia obiectum eius poteſt eſſe verum (non enim aliunde poteſt habere implicantiam, quàm ex parte obiecti, vt ſi dicatur illud non eſſe intelligibile, eo quòd ſit falſum, aut carens veritate.) Quod ſi obiectum poteſt eſſe verum, certum eſt, non implicare illud clarè & infallibiliter cognoſci: tum quia id, quod homines paſſim deſiderant, & conantur aſſequi conſulto numinis oraculo, non eſt credibile id eſſe per ſe impoſſibile, & inuoluere contradictionem. Imò ipſum commune iudicium, & appetitus generis humani apertè indicant, rem eſſe poſſibilem, & expetendam tanquam magnum bonum.

Tertia obiectio. Futurum ex hypotheſi eſt obiectiuè verum, cui videlicet, ſi iudicium conformetur, formaliter verum erit, & oratio conformis vera dicetur. Sed intellectus diuinus extendit ſe ad omne verum; ſicut voluntas diuina extendit ſe ad omne bonum apprehenſum (nempe per quandam complacentiam) & omnipotentia ad omne poſſibile, & immenſitas ad omnia ſpatia imaginabilia, & æternitas ad omne tempus. Ergo in Deo ſtatuenda eſt iſta ſcientia. Maior probatur ex Sancto Auguſtino *de bono perſeuerantia cap.* 14. Vbi ex verbis illis Domini Matth. 11. *Si in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, in cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent*; concludit [*Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus* *S. Aug.*
intelli

intelligentiæ, qua moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba; vel ſigna conſpiciant.] Hic ex veritate prædictionis, & præſcientiæ diuinæ (ſupponit enim dictum Domini eſſe veriſſimum, vt diuinæ ſapientiæ oraculum) colligit veritatem obiecti, & vult hoc eſſe verum: ſi iſte videret talia ſigna, vel audiret talem prædicationem, moueretur ad fidem.

Confirmatur primò eadem maior. Hæc propoſitio, ſi Petrus in talibus circunſtantiis conſtitutus tentatus ter fuerit, ter Dominum ante ſecundum Gallicinium negabit, erat vera ante rei euentum, non enim euentus fecit, vt inciperet eſſe vera, ſed veritatem eius latentem detexit: ex euentu enim nobis innoteſcit talium propoſitionum veritas. Ergo.

Confirmatur ſecundò ex communi hominum iudicio. Omnes enim huiuſmodi conditionales propoſitiones apprehendunt, vt determinatè veras, aut falſas, etſi ignorent vtrum ex duobus, illis competat. Vnde, vt id ſciant, faciũt experientiam, & ex euentu deprehendunt. Hinc ſponſiones interdum de huiuſmodi inſtituuntur. Verbi gratia: Vtrum puella ſit conſenſura, ſi ei nuptias cum tali dote obtulero? quam propoſitionem iudicant fuiſſe veram, ſi poſita hypotheſi videant ſecutum conſenſum; falſam, ſi videant non ſecutum. Non tamen volunt veritatem, & falſitatem pendere ex illo euentu abſoluto, ſed ſolùm inde detegi. Aliunde enim ſemota reuelatione, certò, & in particulari ſciri à nobis non poteſt.

Confir

Confirmatur tertiò, quia talibus propoſitionibus nihil aliud ſignificatur, quàm talē diſpoſitionem, ſi ponatur, habituram mediante libero arbitrio talem effectum, ſiue inducturam liberum arbitrium ad talem actum; vel (quod idem valet) talem actum prouenturum occaſione talis diſpoſitionis præuiæ, ſi poſita fuerit in re. Atqui non eſt dubitandum, quin hoc ſit determinatè verum, vel falſum; licet à nobis ignoretur, quia iſta diſpoſitio non faceret aliquid indeterminatum: ſed determinatè, vel cauſſaret hunc actum, & ita propoſitio eſſet vera, vtpote conformis rei ſignificatæ; vel non cauſſaret hũc actum, & ita eſſet falſa. Vtrumque enim eſt determinatum; obiectiuè cauſſare hunc actum, & non cauſſare hunc actum.

Quarta obiectio. Si hypotheſis exiſteret, dici non poteſt; nihil omnino ex ea ſequuturum, cùm quotidiana experientia contrarium conuincat, neque etiam ſequuturum aliquid indeterminatum; quia nihil indeterminatum poteſt exiſtere. Ergo neceſſe eſt, vt id, quod eſt ſequuturum, ſit determinatum. Quod ſi etiam nihil omnino ex illa hypotheſi eſſet ſecuturum (vt interdum fit) mente aliorſum diſtracta, illa ipſa negatio, priuatio, vel omiſſio eſſet aliquid determinatum; & penderet ab alia occaſione, vel diſpoſitione cauſſæ liberæ, ac proinde eſſet obiectũ certæ cognitionis. Ergo Deus cognitione certa, & infallibili cognoſcit in particulari, quid data illa hypotheſi eſſet futurum, vel non futurum: ſcientia enim Dei non poteſt eſſe dubia, aut fallibilis. XLV.

Quinta

Cap.20.eiuſdem lib.n.6. Quinta obiectio intendit deſtruere potiſſimum fundamentum contrariæ ſententiæ. Ex eo enim probat futura conditionata à libero arbitrio dependentia non cognoſci à Deo, vt futura ex hypotheſi, ante omne liberum decretum voluntatis eius; quia euentus liber non habet neceſſariam, aut infallibilem connexionem cum conditione, ſi poneretur in eſſe, ac per conſequens omnes huiuſmodi conditionales de futuro contingenti ſunt falſæ: quia conſequentia, ſiue illatio non eſt bona: ad veritatem autem conditionalis requiritur, quòd ſit bona conſequentia. Hoc autem fundamentum ſupponit falſum. Ergo. Minor probatur; quia non omnes propoſitiones conditionales ſignificant illationem, ſeu argumentationem, aut neceſſariam dependentiam vnius ex altero; ſed illæ tantùm in quibus intendimus neceſſariam connexionem ſignificare, vt cùm dicimus: ſi eſt homo, eſt capax diſciplinæ; non autem illæ, in quibus volumus ſignificare aliquem effectum ex aliqua occaſione liberè ſequuturum, vt patet ex communi hominum vſu. Omnes enim homines ita loquuntur, nec amplius intendunt innuere: verbi gratia: Si hoc illi ſuaſeris, faciet: ſi negaueris, iraſcetur tibi: ſi dederis, remunerabit. In iſtis, & ſimilibus, homines non intendunt argumentari, nec alterum ex altero per bonam illationem colligere, ſed ſolùm inſinuare, quid eſſet re ipſa mediante libertate arbitrij ſequuturum, & quem effectum talis diſpoſitio, aut hypotheſis eſſet habitura. Sicut enim duplex eſt connexio

rerum;

rerum;neceſſaria, & libera:ita vtramque poſſumus huiuſmodi propoſitionibus ſignificare. Ergo, licet connexio euentus cum conditione non ſit neceſſaria, ſed libera, & contingens, adhuc propoſitio conditionalis talem connexionem ſignificans erit vera, ac per conſequens certa ſcientia cognita à Deo.

Reſponſio ad Obiectiones propoſitas. Et explicatur, de quibus futuris contingentibus conditionatis à libera noſtra voluntate dependentibus habeat Deus ſcientiam infallibilem.

OBiectiones tamen iſtæ, & aliæ, quæ ex dictis Patrum quàm plurimis pro defenſione ſcientiæ mediæ afferuntur, ita facilè poſſunt ex dictis *diſp.* 7. & 13. *de Auxiliis* diſſolui, vt earum ſolutio plurimum valeat ad corroborationem noſtræ ſententiæ. XLVI.

Ad primam igitur obiectionem reſpondetur, nullum prorſus inconueniens ſequi ex noſtra ſententia. Et ad primum quod infertur, facilis eſt reſponſio, in ſententia aſſerentium, Deum ante omnem præſcientiam cooperationis arbitrij futuræ etiam ex hypotheſi, omnia contingentia conditionata determinaſſe (peccato duntaxat excepto.) Iuxta hanc enim ſententiam, poteſt Deus ad omnes illas interrogationes, (ſi conſuleretur) reſpondere, ſi vellet, quod poſitis in eſſe illis conditionibus, ſequerentur illi actus in particulari, quos ipſe prædefiniuit facere, aut

Deum prædeterminaſſe omnia futura conditionata excepto peccato eſt probabile.

permittere ex hypotheſi. Sed iuxta aliam ſentẽtiã aſſerentem, nõ omnia, ſed aliqua futura ex hypotheſi eſſe à Deo prædefinita, quæ probabilior eſt, dicendũ, quod ſi ponerentur in eſſe illæ cõditiones imaginabiles, aut poſſibiles, ex illis ſequeretur ille actus in particulari, quem Deus voluiſſet, vt fieret, ſi ſtatuiſſet, vt conditio illa poneretur in eſſe, & hoc poſſet reſponderi interrogationibus illis factis in argumento. Sicut interroganti, ſi Deus creaſſet alium mundum, quot Angelos produxiſſet. Reſpondendum erit, ſi Deus ſtatuiſſet creare alium mundum; præordinaſſet etiam, quot creaturas corporales, & ſpirituales producturus eſſet in illo, eo quòd
Sap.11. omnia facit, *In numero, pondere, & menſura*: ſed quoniam ſolum iſtud vniuerſum ſtatuit producere, non diſpoſuit aliquid in particulari circa numerum Angelorum, & aliarum creaturarum, quæ continerentur in mundo illo poſſibili. Quærenti autem in particulari, quot eſſent illi Angeli producendi à Deo, ſi illa conditio impleretur, reſpondendum erit, ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ, non poſſe ab aliquo determinatum deſignari numerum; quia talis determinatio intrinſecè dependet ex mero Dei beneplacito. Propter conſimiles inutiles, & curioſas interrogationes dictum eſt:
Eccleſ.3. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.* Oracula verò Deorum, quos de futuris contingentibus conſuluerunt gentes, non ſunt
Pſal.113. in exemplum à Catholicis adducenda, *Quoniam omnes Dij gentium Dæmonia.* Dæmonium autem, *mendax erat ab initio*, Pater mendacij, & ve-

& veritas in illo non eſt. Fatemur quidem, notiſſimum eſſe apud omnes, Deum certò ſcire futura omnia conditionata, libera, & contingentia, eo tamẽ modo, quo ſcibilia ſunt. Oſtenſum eſt autem ſupra non eſſe ſcibilia ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ. Vnde ante idem decretum Deus non ſcit illa, vt futura etiam ex hypotheſi: ſed ſolùm vt poſſibilia, ſicut etiam non ſcit, alium mundum eſſe creandum, quia creandus non eſt. Sicut enim, quæ ſunt ex natura ſua impoſſibilia, fieri poſſibilia per diuinam omnipotentiam nequeunt, ita quæ ſecundùm ſe ſcibilia non ſunt, etiam comparatione ſcientiæ diuinæ eſſe ſcibilia non poſſunt.

Oracula dæmoniorũ mẽdacia.

Ad ſecundum inconueniens reſpondetur, quod conditionata, quæ Deus reuelauit in ſcripturis eſſe futura, ſi conditio impleretur, eſſe nobis certa, & infallibili cognitione credenda; nec licet de illis vlla ratione dubitare; quia ſupponunt decretum voluntatis diuinæ, quo ſtatuit, ſi conditio impleretur, cauſare euentum conditionis, ſi eſt bonus, aut illum permittere, ſi eſt malus. Suppoſito enim huiuſmodi decreto, euentus qui prænuntiatur futurus ex hypotheſi, habet infallibilem concomitantiam, & connexionem, cum conditione, ſi poneretur in eſſe, vt in illis conditionatis Matthæi cap. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro, & Sidone facta eſſent virtutes, quæ in te factæ ſunt, olim in cilicio, & in cinere pœnitentiam egiſſent.* Et 4. Regum 13. *Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties*

Futura conditionata reuelata in Sacra ſcriptura ſunt.

Matth. 11.

4. Reg. 13.

F 2 (*terram*)

(*terram*) *percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem.* Et idem eſt de aliis conſimilibus conditionatis, de quibus *diſp.* 7. *de Auxiliis num.* 21. & ſequentibus dictum eſt.

XLVII. *Futura cōditionata cognoſcuntur à Deo in decreto ſuæ voluntatis. S.Thom. 1.p. q.57.ar.3.& q.88,ar.3.*

Ad tertium incōueniens reſpondetur, Deum poſt liberum decretum ſuæ voluntatis certò ſcire, quid ex hac, vel illa conditione (ſi poneretur in eſſe) futurum eſſet per cauſſas liberas, & contingentes: quia certò ſcit ſuum decretum, & efficaciam illius, quod tamen decretum non ſcit Angelus, aut dæmon, niſi illis reuelatum fuerit. Vnde Angelus ex vi ſuæ naturæ non habet niſi coniecturalem cognitionem futurorum contingentium conditionatorum, ſicut de contingentibus abſolutè futuris docet S. Thomas. Sed ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ prędefinientis, quid ſit factura cauſſa ſecunda libera, & contingens, ſi ponatur in talibus circunſtantijs, non eſt ſcibile tàm Deo; quàm Angelis, quid determinatè eſſet futurum, ſi conditio illa poneretur in eſſe; quia quod non eſt ſcibile, non poteſt ſciri, ne dum ab Angelo, ſed nec etiam à Deo, ſicut quod non eſt factibile, fieri non poteſt etiam à Deo.

Ad quartum inconueniens reſpondetur, nullo modo ſequi ex noſtra ſententia, Deum diſcere, ex euentu rerum, quod ante præuiſionem abſolutam euentus certò non ſciebat. Nam, vt ex præmiſſis patet; & ex his, quæ in *libro* 2. *de Auxiliis diuina gratia* dicta ſunt, Deus prius quàm euentus contingentes fiant in tempore certò ſcit ab æterno, tum in libero decreto ſuæ voluntatis, tum etiam in ipſa menſura æternitatis,

tatis, quid ſit determinatè futurum, ex cauſſis liberis, & contingentibus. Vnde non accipit ſcientiam à rebus,ſicut intellectus creatus; ſed potiùs ſcientia Dei practica eſt cauſſa rerum. Non enim quia hoc futurum eſt, ideo ſcitur à Deo, ſed potius è conuerſo; quia Deus ſciuit hoc futurum eſſe, ideo futurum eſt ſecundùm omnem rationem entitatis, & bonitatis, quam habet, vt *diſp.* 16. *de Auxiliis* oſtenſum eſt. Ad illud verò,quod in eodem inconuenienti additur de infinities infinitis conditionalibus, quarum hypotheſes re ipſa nunquam ponentur in eſſe, facilis eſt ſolutio ex his quæ ad primum inconueniens dicta ſunt.

Diſp. 16. de Auxiliis.

Ad quintum inconueniens reſpondetur, quod prius in ſigno rationis intelligitur creatio;quàm gubernatio rerum. Vnde prius intelligitur in Deo liberum decretum creandi,quàm gubernandi res ad extra. Sicut ergo creatio procedit ex libera Dei voluntate, & eam neceſſariò præſupponit: ita & prouidentia, atque gubernatio. Quia ergo Deus ſuo æterno decreto ante omnem præſcientiam cooperationis arbitrij futuræ etiam ex hypotheſi, quod in talibus circunſtantiis conſtitueretur, prædefiniuit abſoluta, & efficaci voluntate omnes, & ſingulos actus,bonos,liberos,& contingentes ſecundùm omnes circunſtantias, vt *diſp.* 22. *de Auxiliis* viſum eſt, & cauſſas contingentes, ex quibus infallibiliter euenirent, præparauit. Ideo in prouidentia, & gubernatione creaturaru m præſertim rationalium, non procedit cœco modo,ſed ex certa ſcientia, qua præſcit quid ex quacum-

que cauſſa libera, & contingenti re ipſa futurum ſit. Non enim propterea effectus voliti à Deo eueniunt contingenter; quia cauſſæ proximæ ſunt contingentes; ſed propterea quia Deus voluit eos contingenter euenire; contingentes cauſſas ad eos præparauit.] Vt 1. *parte q.* 19. *art.* 8. *in corp.* docet S. Thomas. Ad perfectionem igitur diuinæ prouidentiæ, & gubernationis non eſt neceſſarium, vt ante omne liberum decretum ſuæ voluntatis, certò ſciat, quid in particulari determinatè faceret creata voluntas, ex hypotheſi, quòd tale obiectum illi proponeretur, vel tali excitatione alliceretur: nam id non eſt ſcibile ante idem decretum: ſed ſolum per coniecturas cognoſcibiles ab intellectu creato, qui iudicat ex coniecturis de futuris contingentibus. Sufficit enim, quod per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ comprehendat ſuam omnipotentiam, & efficaciam ſuæ voluntatis, cui nihil poteſt reſiſtere, aut impedire, quo minus id quod vult, quando vult, & eo modo quo vult fiat. Ex hac enim compreheſione certò ſcit, quod quidquid ſua voluntate abſoluta voluerit, vt fiat, re ipſa fiet, & erit futurum abſolutè; quod autem decreuerit, vt ſit futurum ex hypotheſi, erit futurum, ſi conditio ponatur in eſſe.

S. Thomas.

Scientia media non eſt vtilis, vel neceſſaria ad perfecta Dei gubernationem.

XLVIII. Ad Secundam obiectionem reſpondetur, ſcientiam futurorum conditionatorum à cauſſis liberis, & contingentibus dependentium, vt anteuertit in ſigno rationis omne liberum decretum voluntatis diuinæ, eſſe in ſe ipſa impoſſibilem, quia obiectum illius ante idem decretum

non

non eſt ſcibile, vt oſtenſum eſt. Et ad primam probationem reſpondetur, quod obiectum ſcientiæ mediæ poteſt quidem eſſe verum, etiam ante decretum diuinæ voluntatis; quia poſſibilitas non competit rebus ex actuali decreto diuinæ voluntatis, ſed ex propria eſſentia. Vnde hæc propoſitio, Si libero arbitrio proponatur tale obiectum, ſibi proportionatum in talibus circunſtantijs, poterit conſentire, eſt vera ante idē decretum, & ſimiliter eſt verum, quod in eiſdem circunſtantijs poterit diſſentire, ſi velit, nam facultas, ſeu poteſtas ad vtrumlibet eſt de intrinſeca ratione liberi arbitrij, vt *diſp.* 115. *&* 116. *de Auxiliis* dictum eſt. Sed tamen ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ non eſt determinatè verum, quod conſentiet, ſi poneretur in illis circunſtantijs, nec etiam eſt determinatè verum, quod diſſentiet: ſed ſolùm poſt decretum Dei prædefinientis, vt altera pars ſit determinatè futura ex eadem hypotheſi.

Ad tertiam obiectionem reſpondetur, contingens futurum ex hypotheſi eſſe determinatè verum poſt liberum decretum voluntatis diuinæ: ſed non ante illud, & iuxta hanc doctrinam explicandus eſt locus ille Matthæi 11. Teſtimonium autem Sancti Auguſtini ex *cap.* 14. *de dono perſeuerantiæ* (vt conſtat ex ipſo contextu) loquitur apertè de verbis externis, & ſignis, ſeu miraculis quibus ex parte obiecti, & proponentis obiectum credibile, mouentur ad credendum vt *diſp.* 83. *de Auxiliis nu.* 16. oſtenſum eſt, ſed præter iſtam motionem moralem, ex parte obiecti, vt homines credant requiritur XLIX. **Matth.** 11. **Auguſt.**

 motio

motio efficax ex parte potentiæ,qua eorum voluntas,& intellectus applicentur à Deo, & determinentur ad credendum. Et de hac motione loquendo,certò ſcit Deus,quòd ſi adhibeatur, ſit habitura effectum, quia cùm procedat ex intentione Dei volentis hominem, cuius cor mouet ad ſe conuertere per fidem,infallibiliter conuertet illum, vt 1. 2.*quæſt.*112.*art.*3. *in corp.* *&* 2.2.*q.*24.*articulo* 11.docet S.Thomas, & ratio illius id ſuadet, *quia intentio Dei deficere non poteſt.*

S. Thom.

Ad primam confirmationem reſpondetur, illam propoſitionem conditionalem fuiſſe quidem veram ante rei euentum, ſed non ante liberum decretum voluntatis diuinæ,quia negatio illa Petri futura ex hypotheſi, quod ter tentaretur, ſupponebat in Deo liberum decretum, quo ſtatuit permittere negationem illam Petri, & concurrere ad entitatem actus peccati.Vnde non per ſcientiam mediam; ſed per ſcientiam liberam certò cognouit negationem Petri futuram data illa hypotheſi.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur: Homines coniecturali cognitione, cui poteſt ſubeſſe falſum,apprehendere, vt veras propoſitiones de futuro conditionato contingenti;nam conditio obiectiuè tantùm inclinat voluntatem ad talem effectum producendum,eam alliciendo,& inuitando. Quia verò nullum obiectum quantumuis congruè propoſitum voluntati, poteſt eam mouere efficaciter dum eſt in via,vt ſæpe docet S. Thomas. Ideo non eſt certum, quòd poſita in eſſe conditione ſequetur talis effectus

S.Thom.1.p. q.104.art.5. & q.106.a. 2.

Digitized by Google

effectus determinatus futuri conditionati. In Deo autem non eſt formaliter cognitio coniecturalis, quia includit intrinſecè dubitationem, & imperfectionem, nec eius intellectus ducitur coniecturis ad iudicandum de aliqua re, vt *diſp. 15. de Auxiliis* oſtenſum eſt. Vnde ante omne liberum decretum ſuæ voluntatis non iudicat aliquid contingens eſſe determinatè futurum ex hypotheſi. Sicut ergo homines dum poſita conditione vident ſequutum conſenſum puellæ, iudicant illam propoſitionem conditionalem eſſe veram: Si ei nuptias cum tali dote obtulero conſentiet: ita etiam ex eodem euentu iudicare poſſunt, & debent ab æterno Deum decreuiſſe, vt poſita in eſſe illa hypotheſi, puella conſentiret in matrimonium; quia certum eſt nunquam futurum eſſe determinatè conſenſum illum puellæ, ex illa hypotheſi, niſi Deus id decreuiſſet.

Ad tertiam confirmationem reſpondetur, illis propoſitionibus conditionatis ſignificari quidem talem effectum contingentem futurum eſſe ex tali cauſſa libera, ſi conditio impleretur, ſed hoc ante omne liberum decretum diuinæ voluntatis non eſt determinatè verum, nec determinatè falſum; ſed indifferenter ſe habet ad vtrumlibet, vt ex præmiſſis patet.

Ad quartam obiectionem reſpondetur, quod ſi Deus decreuiſſet, vt hypotheſis exiſteret, etiam determinaſſet actum ex ea futurum, vel non futurum, ac per conſequens in ſuo æterno decreto certò cognouiſſet, quid in particulari eſſet futurum, vel non futurum data illa

hypotheſi. Quia tamen abſoluta, & efficaci voluntate ſtatuit, vt conditio illa non poneretur in eſſe, conſequenter non fuit neceſſarium ad diuinam prouidentiam, vt decerneret, quid determinatè eſſet futurum ex eadem hypotheſi: quia prouidentia Dei, & gubernatio non verſatur circa res merè poſſibiles, ſed circa exiſtentes in aliqua menſura temporis, aut æui. Si autem quis defendere velit Deum vnico ſimpliciſſimo actu habente reſpectum rationis ad infinita conditionata futura, decreuiſſe, quid in particulari, ex quacumque conditione poſſibili, ſi poneretur in eſſe, ſit futurum per cauſſam liberam & contingentem, dicat conſequenter, Deum in eodem decreto certa, & infallibili ſcientia omnia illa futura conditionata diſtinctè cognouiſſe. Neque ex hoc ſequitur eſſe admittendam ſcientiam mediam. Hæc enim (vt fatentur aſſertores illius) præuenit in ſigno rationis omne liberum decretum voluntatis diuinæ.

Conditionales propoſitiones ſunt in duplici differentia.

Ad quintam obiectionem reſpondetur, propoſitiones conditionales eſſe in duplici differentia. Quædam ſunt illatiuæ, quæ accipiuntur in rigore formalis conſequentiæ; quædam non ſunt illatiuæ, neque accipiuntur in rigore formalis conſequentiæ, ſed ſecundùm quandam concomitantiam, & connexionem euentus cum conditione, ſi ponatur in eſſe, vt in his propoſitionibus: Si Petrus obtinuerit victoriam aduerſus Turcas, Rex Hiſpaniæ dabit illi talem Ciuitatem. Si pauper petierit eleemoſynam à diuite prætereunte dabit illi aureum, & ſimilibus. Quando ergo propoſitiones conditionales accipiun-

cipiuntur in rigore formalis conſequentiæ, earum veritas ſecundùm communem ſententiam Sancti Thomæ conſiſtit in bonitate conſequẽtiæ. Vnde ſi conſequentia eſt bona, conditionalis erit vera; etiam ſi antecedens & conſequens ſit falſum, vt in hac conditionali. Si lapis eſt homo, lapis eſt animal rationale: Si autem conſequentia non fuerit bona, conditionalis erit falſa; etiam ſi antecedens, & cõſequens ſit verum, vt in hac conditionali: Si homo eſt animal rationale, lapis eſt ſubſtantia. Cæterùm quando propoſitio conditionalis accipitur ſecũdo modo, tunc ad veritatem illius neceſſariò requiritur, quod poſita in eſſe conditione ſit re ipſa ſecuturus euentus, qui cum eadem conditione connexionem habet. Quia ergo ante omne liberum decretum diuinæ voluntatis talis euentus in particulari non habet connexionem cum conditione, ſi ponatur in eſſe; neque etiam euentus oppoſitus, cùm Deus poſſit facere indifferenter, vt vnus, vel alter euentus ſequatur ex eadem hypotheſi, prout ſibi placuerit, relinquitur, ante idem decretum non eſſe ſcibile, etiam à Deo, an iſte euentus ſit determinatè futurus ex illa hypotheſi, an oppoſitus. His ſuppoſitis explicandum eſt capite ſequenti quid circa præmiſſa S. Thomas ſenſerit.

S. Tho. 1. p. q. 25. art. 3. ad 2. & q. 44. art. 1. ad 2. & q. de Potentia ar. 6. ad 3. & opuſ. 48. tract. de e- nunc. c. 14.

CAPVT

Capvt II.

An Sanctus Thomas admiſerit in Deo ante omne liberum decretum voluntatis eius certam ſcientiam futurorum contingentium conditionatorum à creata voluntate dependentium, aut talem ſcientiam agnouerit vel approbauerit, aut ſuppoſuerit?

I. *Suarez.* PATER Suarez *Prologom. 2. de ſcientia conditionata cap. 6.* aſſerit in doctrina Sancti Thomæ nihil inueniri huic ſcientiæ contrarium, imo interdum illam indicare, vel ſupponere. Et vt hoc oſtendat, diſtinguit duo, quæ in hoc puncto ſemper ſunt ſeparanda, ſcilicet An ſi talis ſcientia in Deo, & quomodo ſeu quo medio ſit?

Priorem ergo partem, ſcilicet non ignoraſſe D. Thomam hanc ſcientiam ſimpliciter, & quo ad an eſt, colligit ex *3. par. q. 1. art. 5. ad 2.* Vbi *Auguſt.* tractans D. Tho. rationem Auguſtini, cur Chriſtus tali tempore voluit incarnari, & Euangelium prædicari, quia præſciuit tunc fuiſſe plures in eum credituros; illius occaſione attingit etiam locum *Matt. 11.* de Tyrijs, & Sidonijs, & cum eodem Auguſtino *lib. de don. perſeuer. c. 9.* ſentit verba illa Chriſti dicta fuiſſe per abſolutam reuelationem pœnitentiæ, quæ futura erat in Tyrijs, & Sidoniis, ſi conditio illa in eis fuiſſet impleta: & occulto iudicio diuinę prædeſtinationis tribuit, quod non obſtante illa præ-

ſcientia,

Digitized by Google

ſcientia,non fuerint talia ſigna apud illos facta. Et ſuper *cap.* 11. *Matth.* de propria præſcientia exponit locum illum.

Secundò adducit pro eadem ſententia Sanctum Thom. 3. *par.q.*1.*art.* 3.*ad* 4. Vbi dicit,*prædeſtinationem ſupponere præſcientiam futurorum*, quod de hac præſcientia optimè intelligitur; nam abſoluta præſcientia futurorum potius ſequitur ad prædeſtinationem,maximè iuxta ſententiam Thomiſtarum.

Tertiò allegat pro ſua ſententia Sanctum Thom. 3.*parte q.*1.*ar.*2. *&* 6. Vbi rationem decreti,quod Deus habuit, vt incarnatio nec ſtatim in principio mundi fieret, nec in finem eius reſeruaretur, ſumit ex præſcientia futurorum effectuum liberorum,qui eſſent in humano genere, ſi aliquo ex illis extremis temporibus Chriſtus carnem aſſumeret, vel non ſumeret. Quæ præſcientia ſine dubio conditionata eſt, quia & præintelligitur ante decretum de tempore futuræ Incarnationis,& ſub conditione, ſi tali,vel tali tempore fiat, & multi ex illis effectibus de facto non euenerunt, quia conditio non eſt impleta: v. g. præcognouit Deus fidem eſſe penitus abolendam in mundo,ſi differretur incarnatio,vſque ad finem ipſius mundi, quod tamen poſtea non euenit, quia conditio impleta non eſt.

Quartò probat illam ſcientiã conditionatam eſſe certam, aliàs prouidentia Dei, quæ in illa fundatur non eſſet certa:Et eadem ratione probat non eſſe confuſam,ſed diſtinctam, & claram;Ergo per illam determinatè, & in particu-

lari

lari præſciuit Deus in quibus, & quomodo tales effectus euenirent, ſi incarnatio antea, vel tardiùs fieret.

Quintò probat nihil eſſe in doctrina S. Thomæ, quod huic ſententiæ conditionatæ repugnet. Quod non aliter facit, niſi reſpondendo ad argumenta, ex auctoritatibus S. Tho. petita, quæ *diſp. 7. de Auxiliis* adduximus, ſed eorum ſolutio quàm inſufficiens ſit, & contra expreſſam doctrinam, & mentem S. Tho. ſtatim patebit.

II. Dicendum eſt ergo, ſicut *diſp. 6. & 7. de Auxiliis*, & aliis in locis diximus, Sanctum Thom. nunquam docuiſſe reperiri in Deo ante omne liberum decretum voluntatis eius certam, & infallibilem ſcientiam futurorum contingentium conditionatorum à noſtra voluntate dependentiũ, neque illam indicaſſe, vel ſuppoſuiſſe. Quin potius ex eius doctrina euidenter colligitur, ante idem decretũ non eſſe poſſibilem talem ſcientiam. Probatur hoc, quia nullus locus Sãcti Thomæ adducitur in contrariũ ab aſſertoribus ſcientiæ mediæ, quinimo multi ex ipſis *c. 1. n. 24.* allegati gloriantur ſe inueniſſe illam ſcientiam, vt in ea fundetur, tanquam in prima radice, concordia liberi arbitrij cum infallibilitate diuinæ præſcientiæ abſolutæ, prouidentiæ, & prædeſtinationis: nec non cum efficacia præuenientis gratiæ. Addúntque Sanctum Auguſtinum, & Thomam eiuſmodi ſcientiam mediam ignoraſſe, quam tamen abſque dubio approbaſſent ſi eis propoſita fuiſſet, & explicata.

Secundò probatur ratione à nobis adducta *diſp. 6. de Auxiliis num. 5. & diſp. 7. num. 11.* Nam

Sanctus

Sanctus Thomas ſufficienter diuiſit ſcientiam Dei in naturalem, quam appellat ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & liberam, quam appellat ſcientiam viſionis, vt patet ex locis in eiſdem diſputationibus allegatis. Ergo nullam agnouit ſcientiam mediam, aliàs diuiſio illa Sancti Doctoris non eſſet adæquata.

III. *Prima ſolutio.*

Ad hoc argumentum duplicem adhibet ſolutionem auctor ſententiæ contrariæ. Reſpondet primò negando reperiri in Diuo Thoma in locis, qui ibi allegantur, diuiſionem ſcientiæ diuinæ in naturalem, & liberam: non enim in D. Thoma verba illa inueniuntur. Sed diuidit Diuus Thomas in illis locis ſcientiam Dei in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, ſub quibus verbis in aliis locis quàm plurimis eandem diuiſionem repetit, nunquam ſub prioribus de ſcientia naturali, & libera. Admiſſa ergo diuiſione illa ſub verbis S. Thomæ: Reſpondet ſecundò negando conſequentiam. Nam illa diuiſio eſt adæquata; ſed tamen ſcientia conditionata, ſimpliciter loquendo, ſub ſcientia ſimplicis intelligentiæ continetur, ſiue libera, ſiue naturalis appelletur, quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ formaliter non habet, quòd ſit talis ex eo, quòd ſit libera, vel neceſſaria: ſed ex eo quòd eſt de rebus poſſibilibus, ſeu abſtrahentibus ab exiſtentia in aliqua differentia temporis futura, & ideò inuenitur in Deo ante omne liberum decretum de rebus aliquando futuris. Et hoc totum conuenit in conditionatam ſcientiam, quia licet per illam videatur effectus contingens non tantùm vt contingens, ſed etiam vt deter-

determinatus ad alteram partem ex hypotheſi, tamen,quia illa hypotheſis nondum ſupponitur futura ex aliquo decreto Dei, totum id manet ſub eſſe poſſibili, & ideo tota illa cognitio ad ſimplicem intelligentiam pertinet.

Impugnatio. Sed tamen prima ſolutio, & multa continet, quæ non ſunt admittenda, & vim argumenti non euacuat. Et in primis id quod aſſerit, non inueniri in illis locis Sancti Thomæ, illam diuiſionem ſcientiæ diuinæ in ſcientiam naturalem, & liberam; nam ſolùm eam diuidit in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis nihil iuuat. Sufficit enim, quod ſub formalibus, vel æquiualentibus verbis habeatur in illo, nec facimus vim in verbis more nominalium; ſed in re ipſa, quæ hoc, vel illo nomine ſignificatur. Accedit quòd ipſimet, cum quibus eſt noſtra concertatio, vel aliquis ex illis diuidunt ſcientiam Dei in ſcientiam merè naturalem, & merè liberam, vt *diſp.7.de Auxiliis*, viſum eſt, ſed contendunt hanc diuiſionem non eſſe adæquatam: & ideo conſtituunt tertium membrum, videlicet ſcientiam mediam inter merè naturalem, & merè liberam. Sentiunt ergo, quod hæc verba, ſcientia ſimplicis intelligentiæ,& ſcientia merè naturalis ſunt æquiualentia, & ſignificant eandem ſcientiam: ſicut & iſta, ſcilicet ſcientia viſionis, & ſcientia libera. Non eſt ergo, cur illis diſpliceat diuiſio ſub illis verbis. Nobis autem valde diſplicet tertia illa ſcientia Dei media, inter merè naturalem, & merè liberam. Contendimus enim in via Sancti Thomæ diuiſionem illam

Digitized by Google

illam ſcientiæ Dei in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis eſſe adæquatam; quia nunquam Sanctus Doctor aſſignauit tertiam ſcientiam mediam inter vtramque, neque inter ſcientiam Dei merè naturalem, & merè liberam.

IV. Illud verò, quod in eadem ſolutione dicitur, videlicet ſcientiam mediam, ſeu conditionatā ſub ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſimpliciter contineri, cum dictis eorum non cōgruit. Cum enim ipſi conſtituant tertiam ſcientiam mediā, inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis, ſicut inter ſcientiam merè naturalem, & merè liberam, quomodo poſſunt modò aſſerere, vel ſaluare ſcientiam mediam ſeu conditionatam contineri ſub ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ſiue libera, ſiue naturalis appelletur. Hoc enim eſſet, & diuiſionem ipſam, & membra diuidentia confundere.

Præterea hoc ipſum impugnatur argumento deſumpto ex conceſſis ab auctoribus ſcientiæ mediæ. Ipſi enim fatentur ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſeu ſcientiam merè naturalem ſolùm ſe extendere ad poſſibilia, quæ Deus poteſt facere, nunquam tamen eſt facturus, etiam ſi poneretur in eſſe talis, vel talis conditio: De ſcientia verò media, inquiunt, Deum per eam cognoſcere ante omne liberum decretum voluntatis eius, quid liberum noſtrum arbitrium eſſet in particulari facturum ex hypotheſi, quod crearetur in vno, vel altero ordine rerum, vt conſtat ex eorum verbis, quæ retulimus *diſp.*4. *de Auxiliis n.*1 .*verſ.triplicem ſcientiam*,&c. Ergo

in eorum ſententia ſcientia media non pertinet ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: neceſſe eſt ergo quòd iuxta ſententiam S. Thomæ ſcientia, quam Deus habet futurorum contingentium conditionatorum, reuocetur ad ſcientiam viſionis, ſeu liberam. per quam Deus poſt liberum decretum ſuæ diuinæ voluntatis certò cognoſcit actum noſtrum liberum futurum ex hypotheſi, quòd purificaretur conditio, ſicut vidit pœnitentiam Tyriorum, & Sidoniorum futuram ex decreto diuinæ voluntatis, quo ſtatuit eos ad ſe conuertere, ſi apud eos facta fuiſſent ſigna, & virtutes, quæ apud Iudæos facta ſunt.

Argumentũ efficax. Præterea etiam vrget argumentum; nam auctor ſolutionis, quam impugnamus in verbis vltimis eiuſdem ſolutionis, fatetur, quòd per ſcientiam conditionatam videt Deus effectum cõtingentem, vt determinatam ad alteram partem ex hypotheſi. Neceſſe eſt ergo fateatur ſcientiam Dei conditionatam, de qua loquimur, ad ſcientiam viſionis reuocari, vel dicere tenetur, diuiſionem illam S. Thom. non eſſe adæquatam, quod eſt contra conceſſa in hac ſolutione. Etenim per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ non videt Deus actum contingentem liberum, & conditionatum futurum, etiam ex hypotheſi, ſed ſolùm, vt poſſibilem fieri. Manet ergo excluſa prima ſolutio. Veniamus ad ſecundam.

V. *Secunda ſolutio.* Secundò reſpondet ad argumentum admittendo diuiſionem prædictam ſub illis verbis *liberè, & naturalis ex parte obiecti ſecundarij ſcientia diuina*; quia nimirum quædam obiecta ſunt neceſſaria ſecundùm ſe, quæ non poſſunt

etiam

Digitized by Google

etiam per potentiam Dei abſolutam aliter ſe habere,ſicut poſſibilitas rerum,quæ fundatur in omnipotentia Dei, per quam poſſunt produci: alia verò ſunt contingentia, & libera, quæ abſolutè loquendo poterunt aliter ſe habere. Quo ſuppoſito reſpondet, quòd inter obiecta non neceſſaria, quædam ſunt talia per ſolam determinatam habitudinem ad voluntatem creatam, nullo ſuppoſito decreto libero voluntatis Dei: alia pendent ex antecedente decreto libero voluntatis Dei. Poteſt ergo vno modo dici libera omnis ſcientia,cuius obiectum de ſe non eſt neceſſarium, ſed poſſet non eſſe, ſiue hoc habeat ex habitudine ad voluntatem creatam, ſiue ad voluntatem Dei; & ſic omnis ſcientia contingentium,ſiue conditionata, ſiue abſoluta,dicetur contingens, & à naturali diſtinguetur. Poteſt item reſtringi nomen ſcientiæ liberæ ad illam ſcientiam,quæ verſatur circa obiectum futurum ex libero decreto Dei;quia propriè non dicitur liberum,niſi quod aliquo modo pendet ex voluntate eius,quo ad eſſe,& non eſſe,& ſic omnis ſcientia conditionata, quæ non pendet ex actuali decreto Dei libero, nec illud ſupponit,dicetur naturalis, id eſt, non libera,ſed neceſſaria, ſaltem ex ſuppoſitione obiecti, quod ſupponitur independẽter à libero decreto Dei, quo ad veritatem ſub eſſe poſſibili,ſicut creaturæ omnes ſub eſſe poſſibili ſunt ſcibiles independenter à decreto libero voluntatis diuinæ. Sub illis ergo contineri poſſunt,& veritates neceſſariæ, & contingentes, & nihilominus omniũ ſcientia eſt naturalis,& non libera ipſi Deo.

Impugnatio. Hæc etiam ſolutio facilè impugnatur ex dictis: nam eſt impoſſibile, quod aliquis actus contingens, & liber futurus ex hypotheſi habeat determinatam habitudinem ad voluntatem creatam, quin etiam à fortiori habeat determinatam habitudinem ad liberum decretum voluntatis Dei, tanquam ad Primam cauſſam efficientem, à qua intrinſecè dependet determinatio, & cooperatio noſtri arbitrij, quæ futura eſt, vel eſſet poſita quacunque conditione; eò quòd liberum noſtrum arbitrium non eſt ſimpliciter primum liberum, nec primum ſe mouens, aut determinans; neque habet primum, & abſolutum dominium ſuæ determinationis, vel concurſus: ſed eſt liberum per participationem, vt cauſſa ſecunda libera ſub vniuerſali, & abſoluto dominio omnipotentis Dei, ſub cuius determinatione, & motione ſe mouet, & determinat, vt *diſput.* 117. *de Auxiliis*, & aliis in locis pluries diximus. Et confirmatur hoc, nam ſicut Deus eſt primum ens per eſſentiam, ita etiam eſt per eſſentiam primum liberum; Ergo ſicut eſt impoſſibile, poſita quacunque conditione, dare à parte rei aliquod ens per participationem quantumuis minimum, quod in ſuo eſſe non dependeat à primo ente per eſſentiam, tanquàm à cauſſa verè efficiente: ita etiam erit impoſſibile, quòd ſignetur, vel detur aliqua determinatio, ſeu cooperatio liberi arbitrij futura etiam ex hypotheſi, quæ non reducatur tanquam in primam cauſſam efficientem in liberum decretum Dei volentis, vt liberum arbitrium ſe determinet ex hypotheſi,

quod

quod talis conditio purificetur: Ergo antecedenter ad idem decretum non poteſt eſſe, ſed neque intelligi aliqua determinatio, vel cooperatio noſtri arbitrij determinatè futura, etiam ex hypotheſi. Ergo, niſi præſupponatur in Deo huiuſmodi decretum, non poteſt eſſe in eo certa ſcientia, & infallibilis futurorum contingentium conditionatorum à noſtro libero arbitrio dependentium.

Sed auctores ſcientiæ mediæ perſiſtunt in illa ſua opinione, quam ſemel imbiberunt, videlicet liberam determinationem actualem, & cooperationem noſtri arbitrij cum auxiliis præuenientis gratiæ referendam eſſe, tanquam in cauſſam efficientem ſolam, & innatam eius libertatem bonis, ac malis, reprobis, & electis communem: non autem in Deum, tanquam in cauſſam efficientem, quod liberum arbitrium ſe determinet, & concurrat ad talem actum, ad quem à Deo mouetur, quorum ſententia ex profeſſo impugnata eſt à nobis *diſput.* 36. 38. & 39. *de Auxiliis.*

Secundò probatur noſtra ſententia, nam S. Thom. 1. *part. q.* 14. *art.* 13. expreſsè docet, quòd in cauſſis contingentibus non poteſt certò cognoſci aliquis determinatus effectus futurus, ſed ad ſummum per coniecturam: & idem docet 2. 2. *q.* 171. *art.* 6. *ad* 2. Et *lib.* 1. *contra gentes cap.* 67. Vbi in ratione 1. hanc aſſumit propoſitionem: *Contingens certitudini cognitionis non repugnat, niſi, vt futurum eſt, non autem, vt præſens eſt.* Quod etiam docet in 1. *diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 5. & *q.* 2. *de veritate art.* 12. & *q.* 16. *de malo art.* 7. ſed ante om- VII. *D. Thomas.*

ne liberum decretum voluntatis diuinæ, voluntas noſtra eſt cauſſa contingens indifferenter ſe habens ad oppoſita, etiam ex hypotheſi, quod conſtituatur in talibus circunſtantiis: Ergo antè idem decretum Dei non poteſt certò cognoſci, in quam partem ſe flectet, ſi poneretur in talibus circumſtantiis, aliàs cognoſceretur determinatus effectus in cauſſa contingente, prout contingens eſt, quod tamen repugnat doctrinæ Sancti Thomæ in prællegatis locis.

Prima ſolutio c.6. præalleg. n.9.

Ad hoc etiam argumentum reſpõdet dupliciter auctor prællegatus. Primò, inquit, hanc obiectionem retorqueri poſſe in eos, qui dicũt præuidere Deum hæc futura in prædeterminatione voluntatis creatæ facta à Deo per abſolutum decretum: nam certè D. Thom. modum illum præcognoſcendi futura contingẽtia nunquã docuit, nec antiqui Thomiſtæ ita interpretati ſunt D. Thomam, ſed vbique docent ſecundùm D. Thomam non poſſe futura contingentia cognoſci in cauſſa, quantumuis præparata, & diſpoſita ad effectum, ſed ſolùm in præſentia ipſius actualis determinationis. Et in ſuũ fauorem adducit Capreolum, Caietanum, Hiſpalenſem Aquarium, & alios. Sed fruſtra hoc argumẽtum in nos retorquet. Nam Sanctus Thom. illis in locis ſolum docet, quòd in cauſſa contingente, vt contingens eſt, non poteſt certò, & infallibiliter cognoſci determinatus effectus, quod veriſſimum eſt. Nihilominus in cauſſa contingenti, & libera, quando eſt efficaciter, & completè determinata, & non impedita, nec impedienda per cõcurſum alterius cauſſæ, bene poteſt certò cognoſci

cognoſci determinatus effectus futurus,vt aliis teſtimoniis S Thomæ,& aliorum doctorum,& rationibus Theologicis oſtendimus *diſp.*10. & 20.*de Auxiliis*.& quando S.Thomas docet,non poſſe futura contingentia certò ſciri, niſi , vt præſentia æternitati, per illam particulam, *niſi*, ſolum excludit quemcumque alium modum cognoſcendi in cauſſa contingenti, vt contingens eſt:non autem excludit, ſed potius includit modum cognoſcendi certè, & infallibiliter in decreto abſoluto ſuæ voluntatis , quod efficaciſſimum eſt, nec poteſt impediri per cõcurſum alterius cauſſæ, nec per noſtrum liberũ arbitrium,vt expreſsè docet S.Aug.in *enchirid.ad Laurentium c.*96.Sic ergo in decreto,quo Deus ſtatuit conuertere Tyrios , & Sidonios,ſi apud illos facta fuiſſent ſigna,& virtutes, quæ apud Iudæos facta ſunt, potuit certò cognoſcere pœnitentiam Tyriorum, & Sidoniorum futuram ex illa hypotheſi.

Secundò reſpondet ad argumentũ, doctrinã illã S.Tho. non pugnare cũ eius ſententia: nam etiã contingentia libera ſub conditione futura non præcipiuntur à Deo in cauſſa,neq; vt futura, ſed vt in ſe sũt aliquo modo præſentia ſciẽtiæ Dei.Et aſſignat rationem quia quando Deus ante decretũ liberũ de vocando tali modo Paulo,præcognouit, quòd ſi Paulus ſic vocaretur, eſſet conſenſurus,non id cognouit, quia viderit, ex volũtate ſic vocata neceſſariò ſequi conſenſum,etiã neceſſitate conſequentiæ;& ita nec cognouit illũ effectũ in tali cauſſa,nec propriè vt futurũ;ſed cognouit ab illa volũtate emanaturũ *Secunda ſolutio.*

 fuiſſe

fuiſſe conſenſum, videndo obiectiuè ipſammet emanationem, tanquam præſentem. Supponit n. cùm Deus dicitur videre futurum contingens vt præſens, non intelligi de præſentia reali fundata in exiſtentia actuali, quam res cognita extra Deum habeat, etiam in menſura æternitatis. Id enim etiam in abſolutis falſum cenſet. Sed ait, intelligendum eſſe de præſentia obiectiua, quæ in hoc conſiſtit, quod non cognoſcitur effectus vt contentus tantùm in cauſſa, ſed vt emanans ab illa pro ſua duratione, quæ ita menti Dei præſentatur; ac ſi eſſet in re iam præſens, & ad eundem modum res futura, etiam ſi non abſolutè, ſed tantùm ſub conditione ſit futura. Nam videndo in exemplo adducto voluntatem Pauli ex hypotheſi, ſeu conditionaliter ita conſtitutam, & vocatam, videt ab illa dimanare conſenſum ſub eadem hypotheſi; & ita illemet conſenſus ſic futurus videtur vt præſens, & in ſe; non vt futurus, & in cauſſa.

Impugnatio. Hæc etiam ſolutio eſt minus ſufficiens, quàm præcedens: nam petit principium, & ſupponit quod probādum erat. Hoc enim contendimus, quod ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ videri nō poſſit obiectiuè ipſa emanatio actus contingentis tanquam præſens. Præterea hæc ſolutio inuoluit manifeſtā contradictionē, quia ex vna parte aſſerit Deum nō videre, quod ex volūtate ſic vocata neceſſariò ſequitur conſenſus, etiam neceſſitate conſequentiæ; & ex alia parte concedit, quòd Deus cognouit emanaturum eſſe cōſenſum ab illa voluntate vidēdo obiectiuè ipſam emanationem, tanquā præſentem,

quæ

quæ duo inter ſe pugnant. Nam impoſſibile eſt, quòd Deus videat obiectiuè emanationẽ actus à voluntate, tanquam obiectiuè præſentem in mẽſura æternitatis, niſi etiam videat conſenſum illum ex voluntate ſic vocata ſequi neceſſariò neceſſitate conſequentiæ, aliàs videret effectum ante cauſſalitatem ſuæ cauſſæ, quod eſt impoſſibile. Sed de hac præſentialitate obiectiua futuri contingentis conditionati inferius agendum eſt ex profeſſo *cap.* 5. quam quidem præſentialitatem arbitramur non eſſe ſolùm obiectiuam: ſed etiam ſecundùm realem præſentiam, & actualitatem, quam res habituræ ſunt in noſtro tempore, vt *diſp.*8.*&* 9.*de Auxiliis* pluribus teſtimoniis S. Thomæ, & Sanctorum Patrum, ac rationibus Theologicis oſtendimus.

Tertiò probatur noſtra ſententia auctoritate Sancti Thomæ in 1.*ſenten.diſtinct.*39.*q.*1.*art.*1. *ad* 5. vbi loquens de ſcientia futurorum contingentium, inquit, *ſcire ſecundùm rationem ſequitur voluntatem.* Et *art.*2.*ad* 1. docet expreſsè, quod ſcire Dei comparatione futurorum cõtingentium eſt ſubiectum eius voluntati, ac per conſequens ſupponit illam. Sentit ergo, quòd ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ non eſt ſcibile, etiam à Deo, quid in particulari faciet creata voluntas in iſtis, vel illis circunſtantiis poſita. Et quamuis Sanctus Thomas ibi loquatur de contingentibus abſolutè futuris; eadem tamen prorſus ratio eſt de futuris contingentibus conditionatis. Sicut enim futurum abſolutè dependet ex decreto Dei abſoluto præexiſtente in Deo: ita etiam futurum conditionatum de- IX. *S.Thom.*

pendet tanquam à prima cauſſa ex decreto conditionato præexiſtente in Deo, quo determinatè voluit, vt talis actus fiat à cauſſa libera, & contingente, ſub conditione tamen, ſi talis, vel talis conditio fuerit impleta. Ita quippe ſe habet futurum conditionatũ in ordine ad decretum Dei conditionatum: ſicut futurũ abſolutè in ordine ad decretum Dei abſolutum.

Solutio. Reſpondent, quòd neque ad præſcientiam Dei abſolutam, neque ad præſcientiam conditionatam ſupponitur neceſſariò decretum abſolutum, & efficax ex parte Dei, in quo effectus futurus cognoſcatur. *Suarez.* Ita dicit P. Suarez *Prolog.* 2. *c.* 6. *nu.* 14. Sed poſtmodum *nu.* 15. hanc aſſertionem; quo ad abſolutam præſciẽtiam futurorum contingentium, limitat, negans talem ſcientiam ſupponere neceſſariò decretum abſolutum, in quo ſolo ſufficienter cognoſcatur. Nec D. Tho. (ait ille) locis in argumento citatis id dicit, & aſſignans rationem ſubdit: Aliud eſt enim, quod præſcientia abſoluta futurorum ſupponat aliquod decretum liberum; aliud verò, quod ſupponat decretum in quo ſolo nitatur. Primũ eſt verum, quia ſine futura efficientia Dei nihil poteſt eſſe futurum; efficientia autem Dei eſſe non poteſt, niſi ex libero decreto voluntatis Dei, & ideo abſoluta præſcientia omnis futuri ſupponit aliquod decretum voluntatis Dei, & hoc ſolum eſt, quod S. Thomas docet citatis locis. Secundum autem eſt falſum, nec dicitur à S. Thoma illis locis, ſed ſolùm, quod præſcientia ſupponit aliquam voluntatem, quæ vniuerſalis eſt, nam poteſt ſupponere volitionem non omnino abſolu

Digitized by Google

ſolutam, nec prædefinitiuam, in qua ſola non ſatis cognoſcitur futurum, vt declaratum eſt. Et ideo S. Thomas ſæpè diſtinguit in Deo ipſo certitudinem præſcientiæ à certitudine prædeſtinationis, ſeu prædefinitionis; & dicit omnia, quæ præſciuntur à Deo, eſſe certa priori modo, non tamen omnia poſteriori modo, vt videre licet 1.*p.q.*23.*ar.*7.*& q.*6.*de veritate art.*3.

Et ad illam propoſitionem, ita ſe habet ſcientia conditionata, & futurum conditionatum in ordine ad decretum Dei conditionatum: ſicut ſcientia abſoluta, & futurum abſolutè in ordine ad decretum Dei abſolutum; reſpondet admittendo ex parte illam proportionem, & ex parte negando. Nam ſcientia abſoluta ſupponit in Deo aliquod decretum, illud videlicet, quo Deus voluit actu concurrere ad extra cum voluntate ad determinatum actum præſuppoſita ſcientia media cooperationis, & determinationis eiuſdem voluntatis futuræ ex hypotheſi, quod in talibus circunſtantiis conſtitueretur: Scientia verò conditionata nullum tale decretum ſupponit in Deo, & aſſignat rationem diſcriminis: quia ſcientia abſoluta terminatur ad realem exiſtentiam rei aliquando futuræ, & quia talis exiſtentia pendet à voluntate Dei, vel per ſe efficiente, vel cum cauſſa ſecunda concurrente, ideo neceſſariò talis voluntas libera ſupponitur tali præſcientiæ abſolutæ. At verò ſcientia conditionata non dicit habitudinem ad effectum aliquando futurum, & ideo ex hac parte nõ pendet à decreto libero, quod in Deo ſupponat, ſed dicit habitudinẽ ad effectum ſub

con

conditione futurum,ad quod ſatis eſt,vt in conditione includatur decretum Dei, non quod iam ſit,ſed quod,ſi ex parte Dei ponatur, ſufficiet,vt voluntas humana operetur de facto,Deo cum illa concurrente,ſeu cooperante. Quia ergo conditionalis nihil ponit in eſſe, ideo nec ſupponit in eſſe (vt ſic dicam) decretum Dei, ſed tantùm in conditione illud inuoluit,ac proinde ex his, quæ D. Thomas dicit de præſcientia abſoluta, non rectè fit illatio ad conditionatam, quo ad hanc partem, quia eſt ratio longè diuerſa.

X. *Impugnatio.* In hac tamen ſolutione multa dicuntur, quæ non videntur admittenda. Negari enim non poteſt, ad præſcientiam cuiuſlibet actus, etiam liberi, præſupponi in Deo decretum abſolutum,& efficax,quo Deus voluit,vt ille actus fieret,quia,ſicut dicit Auguſtinus,nihil fit,niſi Deo volente,aut permittente:Et iterum ait, Rogandus eſt, vt velit, nam ſi vult neceſſe eſt eſſe, quod de voluntate abſoluta, & efficaci intelligendum eſt: Nam voluntate conditionata, ſeu antecedente multa Deus vult fieri, quæ tamen re ipſa non fiunt. Nam hac voluntate vult omnes homines ſaluos fieri, vt *diſp.*33. *de Auxiliis* præmiſimus. Et tamen non omnes ſalui fiunt, ſed ſolùm prædeſtinati. Illa verò limitatio, qua aſſeritur ſcientiam Dei abſolutam non ſupponere neceſſariò decretum Dei abſolutum, in quo ſolo futurum contingens ſufficienter cognoſcatur, poteſt dupliciter intelligi. Primò ita, vt illud verbum, *in quo ſolo*, excludat modum cognoſcendi in præſcientia reali, quam futura con

Augu.in enchir. 96. & 103.

contingentia habent in æternitate, vel in cauſſis ſecundis per idem decretum, & per motionem efficacem prædeterminatas, & ſic veriſſimum eſt, Deum non cognoſcere futura contingentia in ſolo decreto abſoluto ſuæ voluntatis, niſi addatur; tanquam in prima radice, & cauſſa, à qua exiſtentia actualis futurorum contingentium in menſura æternitatis, & præmotio efficax cauſſarum ſecundarum dependet. Iam enim oſtendimus *diſp.* 100. *de Auxiliis*, collationem auxilij efficacis, ſiue Deum ipſum per tale auxilium eſſe adæquatam, & ſolam cauſſam, quæ facit, vt homo liberè operetur talem actũ, quamuis non ſolus Deus, ſed etiam liberum noſtrum arbitrium ſimul cum Deo eundem actum producat, vt in eadem diſp. explicatum eſt. Secundò poteſt accipi illud complexum, *ſola cauſſa*, ita, vt excludat liberam determinationem, & cooperationem noſtri liberi arbitrij futuram ex hypotheſi, atque à Deo præcognitam per ſcientiam mediam; & ſic veriſſimum eſt, quòd Deus certò cognoſcit contingentia abſolutè futura in decreto abſoluto, & efficaci ſuæ voluntatis, tanquam in ſola, & adæquata cauſſa. Nam certitudo, & infallibilitas ſcientiæ diuinæ fundari non poteſt in noſtro libero arbitrio, quod defectibile eſt ſecundũ ſe, & variabile, & flexibile in bonum, & in malũ, atque indifferens ad vtrumlibet: neque inniti in eius determinatione, & concurſu, ſed in ſola omnipotentia, & efficacia diuinæ voluntatis, quæ omnia quæcumque voluit, & eo modo, quo voluit, fecit in cœlo, & in terra. Sicut ergo futura abſolutè præſupponunt

ponunt in Deo decretum abſolutum, quo prædefiniuit, vt abſolutè fiant, ita futura conditionata præſupponunt in Deo actuale decretum conditionatum, quò vult, vt fiant ex hypotheſi, ſi conditio impleatur. Nec ratio differẽtiæ, quæ in ſolutione aſſignatur inter præſcientiam Dei abſolutam, & conditionatam, ſatisfacit; nam licèt ſcientia conditionata nõ dicat habitudinem ad effectum abſolutè futurum: dicit tamen habitudinem ad determinatum effectum actu futurum, ſi conditio purificaretur, & ita oportet, vt præexiſtat in Deo decretum, quo voluit, vt illud ſit futurum, ex hypotheſi tamen, quod purificetur cõditio; & ratione huius decreti aliam habitudinem rationis conſideramus in Deo in ordine ad ea quæ futura eſſent, ſi talis conditio purificaretur, quàm ad alia, quæ futura non eſſent ex hypotheſi, quod purificaretur conditio, ſed manerent omnino intra latitudinem rerum merè poſſibilium.

XI. Quartò efficaciſſimè probatur noſtra ſententia ex aliis principiis à noſtro Sancto Doctore ſtabilitis, cum quibus ſtare nõ poteſt ante omne liberum decretum volũtatis diuinæ certa ſcientia futurorum contingentium cõditionatorum. Etenim Sanctus Thom. expreſsè docet, concurſum Dei generalem eſſe influxum Dei immediatum in cauſſam, etiam contingentem, & liberã, & cùm cauſſa in eius effectum, vt quamplurimis eius teſtimoniis oſtendimus *diſp.* 18. *&* 23. *de Auxiliis*. Docet etiam eiuſmodi concurſum Dei non eſſe indifferentem, ſecundùm ſe: ſed Deum per eundem concurſum applicare, & præ

& prædeterminare verè efficienter omnes cauſſas ſecūdas, tàm naturales, quàm liberas, vt operentur actus determinatos, vnaquæque iuxta conditionem propriæ naturæ, vt probauimus *diſp.*22. *& duabus ſequentibus*, *& diſp.* 91. Docet præterea Deum, & liberum arbitrium non eſſe duas cauſſas partiales liberi conſenſus, ſeu actus liberi, ſicut duo trahentes nauim, vt patet 1.2. *qu.* 111. *ar.* 2. *ad* 2. 3. *contr. gentes cap.* 70. *&* 4. *contr. gent. cap.* 7. *num.* 16. Cuius verba adduximus, & expendimus *diſput.* 85. *de Auxiliis.* Item ait, quòd liberum arbitrium creatum nihil ex ſeipſo operatur, quando concurrit ad actum liberum, ſi illa particula, *ex ſe ipſo*, vel *à ſe ipſo* idem ſignificet, quod operari non ab alio priori agente, ſcilicet à Deo efficiente, quod ipſum arbitrium cooperetur, vt patet ex his quæ docet 1. *parte quæſt.* 105. *art.* 4. *ad* 2. *in* 2. *ſententiarum diſtinct.* 37. *quæſt.* 2. *art.* 2. quod etiam nos oſtendimus *diſp.* 96. *de Auxiliis* apertiſſimis teſtimoniis Scripturæ, Summorum Pontificum, & Conciliorum. Præterea idem S. Doctor ex illis verbis ad Philippenſ. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*: *Et* Prouerbiorum 21. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, vertet illud*; probat quòd Deus non ſolùm tribuit voluntati virtutem agendi; ſed etiam facit nos velle hoc, vel illud, vt patet 3. *cont. gent. cap.* 88. *&* 89. Cuius verba adduximus, & expendimus *diſp.* 86. vbi etiam illos reprehendit, qui ſentiebant oppoſitum, & loquitur apertè Sanctus Doctor de vera efficientia, qua Deus efficit; vt liberum

arbitrium.

arbitrium velit hoc, vel illud determinatè. Denique etiam docet, hanc cauſſalem eſſe falſam: Quia hoc futurum eſt, ideo præſcitur à Deo: iſtam autem eſſe veram: Quia Deus præſcit hoc futurum eſſe, ideo futurum eſt, vt quampluri-mis eius teſtimoniis,& locis Scripturæ, & Sancti Auguſtini oſtendimus *diſp. 16. de Auxiliis.* Cum iſtis autem principiis S.Thomæ, quæ veriſſima ſunt, ſtare non poteſt in Deo ante omne liberum decretum voluntatis eius certa, & infallibilis ſcientia; quòd voluntas noſtra conſentiet in tale obiectum ex hypotheſi,quod in iſtis, vel illis circunſtantiis conſtitueretur. Etenim vt voluntas ſe determinet,& cooperetur, ſi poneretur in eſſe talis conditio,neceſſarium eſt,vt Deus etiam ex eadem hypotheſi influat in voluntatem creatam,& eam præmoueat, & applicet, & determinet ad talem actum: & faciat ex eadem hypotheſi,quod voluntas ſuum liberum adhibeat concurſum, quæ omnia ante omne liberum decretum ſuæ voluntatis fieri non poſſunt; quia Deus operatur ad extra niſi per intellectum, & liberam voluntatem, vt *diſp.17.de Auxiliis* oſtenſum eſt. Ergo ſecundùm manifeſtam doctrinam Sancti Thomæ antecedenter ad idem decretum, non eſt ſcibile etiam à Deo in quam partem determinatè ſe flectet creata voluntas ex hypotheſi, quod in talibus circunſtantiis conſtituatur. Non ergo agnouit, & approbauit vnquam Sanctus Thom. ſcientiá mediam, nec eam præſuppoſuit, ſed potiùs, quæ ſunt è regione eidem ſcientiæ mediæ contraria conſtantiſſimè docuit. Vnde hac ſcientia media excluſa

excluſa neceſſe eſt,ruant omnia, quæ in ea fundantur.

Ad primum argumentum ex factis à principio reſpondetur, præſcientiam illam futuri conditionati, de quo *Matt.* 11. & eius infallibilem certitudinem fundari in libero decreto cõditionato,& illud præſupponere in Deo,vt *diſp.* 7.*de Auxiliis num.* 15. *&* 14. oſtenſum eſt, & iuxta doctrinam ibi traditam intelligendus eſt Sanctus Thom.locis in argumento allegatis, vt ex præmiſſis conſtat. XII.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, verba illa S.Thomæ, *Prædeſtinatio ſupponit præſcientiam futurorum*, intelligi non poſſe de præſcientia media, ſeu conditionata, ſed de præſcientia abſoluta,quæ præſupponit liberum decretum voluntatis diuinæ, vt patet ex ipſo contextu, in quo docet S.Doctor, quòd prædeſtinatio Chriſti ſupponit in Deo præſcientiam originalis peccati, in cuius remedium incarnatio Verbi facta eſt.Et ad impugnationem, nam abſoluta præſcientia futurorum potius ſequitur ad prædeſtinationem: Reſpondetur hoc non eſſe vniuerſaliter verum. Futura enim ſunt in duplici differentia: quædam enim conſtituuntur per ipſam prædeſtinationem,& ſunt effectus illius, ſicut vocatio,iuſtificatio,& glorificatio,& cooperatio arbitrij cum gratia: & horum præſcientia non præſupponitur ad prædeſtinationem, ſed potius ſequitur ad liberum decretum efficax prædeſtinantis. Ideo enim Deus præſciuit,hæc eſſe futura, quia prædeſtinauit,vt ſæpè docet Auguſt.Alia verò ſunt futura,quæ non

conſtituuntur per ipſam prædeſtinationem,nec ſunt effectus illius, ſed ad eam præſupponuntur, tanquam ſubiectum, ſicut natura præſupponitur ad ordinem gratiæ,eo quòd gratia perficit naturam rationalem, & ſubiectatur in illa, & hoc modo præſcientia peccati originalis futuri præſupponitur in Deo ad prædeſtinationem Chriſti tanquam morbus naturæ, ad quam ſanandam cœleſtis medicus venit.Deus ergo certò præſciuit peccatum originale futurum, non quidem per ſcientiam mediam,vt arguens ſupponit,nec talis præſcientia fundatur in decreto prædeſtinandi Chriſtum, & alios prædeſtinatos per Chriſtum, cùm antecedat in ſigno rationis eorum prædeſtinationem: ſed innititur in alio decreto voluntatis diuinæ, quo nimirum voluit concurrere effectiuè ad entitatem actus peccati primi parentis,in quantum actus eſt,& permittere eius malitiam propter maiorem oſtẽſionem ſuæ bonitatis,& miſericordiæ,quæ in Verbi incarnatione, & prædeſtinatorum ſalute manifeſtata eſt.

Ad tertium argumentum reſpondetur, quòd in decreto, quo Deus ſtatuit ſubuenire mundo per incarnationem Verbi, & Euangelicam prædicationem tali tempore, & non à principio mundi, nec in eius fine, certò cognouit effectus illos conditionaliter futuros, de quibus in locis præallegatis loquitur Sanct. Thomas. Vnde non per ſcientiam mediam, ſed conditionatam,quæ nullum præſupponit in Deo liberum decretum, ſed per ſcientiam liberam ea cognouit.

Ad

Digitized by Google

Ad quartum reſpondetur, ſcientiam conditionatam, quæ præſupponit in Deo actuale decretum, quo ſtatuit, vt futurum contingens conditionatum ponatur in eſſe ex hypotheſi, quod purificetur conditio, eſt infallibilis, certa, & diſtincta; ſed hanc infallibilitatem, & certitudinem habere non poteſt antecedẽter ad actuale decretum voluntatis Diuinæ.

Ad quintum argumentum dicitur, reſponſiones ad argumenta noſtra ex authoritatibus Sancti Thomæ petita eſſe inſufficientes, vt ex præmiſſis conſtat. Habemus ergo S. Thom. non agnouiſſe, nec approbaſſe, vel ſuppoſuiſſe ſcientiam mediam, ſed prorſus eam reprobaſſe, & cum his, quæ apertè docuit, ſubſiſtere non poſſe.

Vtrum futura Conditionata libera vel contingentia, quæ re vera eſſent futura, ſi conditio poneretur in eſſe, cognoſcantur à Deo, in decreto ſuæ voluntatis, quo ſtatuit, vt ſint futura poſita conditione.

Capvt Tertivm.

AVctores ſcientiæ mediæ ſentiũt conſequenter, Deum non cognoſcere futura conditionata in prædicto decreto ſuæ voluntatis, ſed præſcientiam eorundem conditionatorum præcedere in ſigno rationis omne liberum decretum ipſius Dei. Probant hoc. I. *Leſſius lib. de gratia efficaci ca. 19. n. 18. & n. 4.*

Primò, quia oppoſita ſententia euertit ſe ipſam. Si enim euentus eſt ita prædefinitus, iam non erit conditionalis libera, ſed neceſſaria, nimirum ex ſuppoſitione diuini decreti, quod cum hypotheſi externa eſt connexum. Verbi gratia,

hæc erit neceſſaria: Si Petrum ſic vocauero, ſequetur, quia vocationi coniunctum eſt decretum, quo efficaciter, & abſolutè conſenſus eius eſt volitus, & prædefinitus, ex quo neceſſariò ſequitur. Implicat ergo dicere conditionales liberas primitùs cognoſci in decreto diuino.

Secundò. Scientia media, ſeu futurorum conditionatorum cenſetur habere peculiarem difficultatem ſupra præſcientiam futurorum abſolutè: quia effectus non habet aliquod eſſe determinatum, ſiue in ſe ipſo, cùm non exiſtat; ſiue in ſua cauſſa, quia ſupponitur non eſſe aliqua cauſſa, quæ ad illum ſit determinata. Sed ſi eiuſmodi futura conditionata libera cognoſcerentur in decreto diuino, non eſſet aliqua peculiaris difficultas in illis cognoſcendis. Nihil enim facilius quilibet cognoſcit, quàm quod in animo ſuo abſolutè iam ſtatuit. Ergo.

Tertiò. Oppoſita ſententia ſupponit omnes actus volũtatis eſſe prædefinitos in particulari abſoluta voluntate à Deo cum omnibus ſuis circunſtantiis. Quæ doctrina quanta contineat incommoda, multis argumentis oſtenſum eſt ſupra. Ergo in hac prædefinitione non poſſunt cognoſci conditionales liberæ.

Quartò. Futura ex hypotheſi non pendent à diuina prædefinitione, ſed ex ipſa rerum connexione, & ſequela vnius ex altero: quæ eſſet, ſi hypotheſis poneretur in eſſe, vnde etiam anteuertunt omne decretum liberum. Ergo non poſſunt in illa prædefinitione ſciri.

Confirmatur. Scientia futurorum conditionatorum, quæ nunquam futura ſunt, eſt in

Deo

Digitized by Google

Deo naturalis, & reducitur ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, cùm futura ſub conditione non extrahantur à ratione poſſibilium: ſed ſcientia naturalis, ſeu ſimplicis intelligentiæ præcedit in ſigno rationis omne liberum decretum diuinæ voluntatis. Ergo ſcientia futurorum contingentium conditionatorum præcedit eiuſmodi decretum: non ergo cognoſcuntur in illo.

Quintò. Probari poteſt eadem ſententia: Deus certò ſcit, quid in particulari poſita quacumque hypotheſi futurum eſſet; ſed non decreuit, vt illud ſit futurum ex prædicta hypotheſi. Aliàs enim eſſent in Deo conſtituenda infinita decreta libera, cùm futura conditionata ſint infinita: poſſunt enim fieri infinitæ combinationes duarum propoſitionum, & coniungi per copulam, *ſi*; vt: Si Deus crearet alium mundum, hoc, vel illud eueniret in illo: Si Petrus eſſet Rex, occuparet terram ſanctam, &c. Eſt autem magnum inconueniens ponere in Deo infinita decreta, quia eſsét omnino otioſi, ſicut in principe eſſet otioſũ circa eiuſmodi futura conditionata habere in particulari ſpeciale decretũ, aut aliquid diſponere. Non ergo cognoſcit Deus futura conditionata in aliquo decreto libero ſuæ voluntatis. **II.**

Aduertunt tamen Auctores huius ſententiæ. quòd quia abſolutè futura pendent à decretis Dei liberis, quibus voluit cauſſas creare, & eas in tali rerum ordine ponere, vel tales eis occaſiones dare, ant permittere; idcirco omnes actus liberi abſolutè futuri poſſunt præſciri à Deo, & re ipſa ſunt præſciti in decretis liberis, ſuppoſita eorum præſcientia conditionata: nam per

præſcientiam conditionatam ante omne decretum ſciebat certiſſimè de ſingulis actibus liberis, tàm malis, quàm bonis in particulari, ipſos futuros tali tempore, loco, modo, &c. ſi cauſſas liberas crearet, & in tali rerum ordine collocaret. Vnde hoc ipſo, quòd vult cauſſas ipſas creare, & in tali rerum ordine conſtituere, nouit abſolutè iſtos actus futuros: Poſita enim hypotheſi ſui decreti pręſcientia cõditionata tranſit in abſolutã: & hoc modo, inquiunt, dici poteſt Deũ præſcire futura in determinatione ſuę volũtatis, ſuiſque decretis, non quib. decreuit, vt omnia ſic fierẽt, ſed quibus decreuit cauſſas creare, & tales diſpoſitiones circa illas ponere, vel permittere. Sic, cũ ſciret Petrum negaturũ, ſi permitteret illũ poni in illo diſcrimine, & tentari; hoc ipſo, quòd voluit permittere, ſciebat hoc abſolutè futurũ.

Secunda ſentẽtia eſt Thomiſtarũ, & aliorum Theologorum aſſerentiũ, Deũ in decreto conditionato ex parte obiecti voliti, quo ab æterno voluit, vt ſequerẽtur tales effectus per volũtatem creatam, ſi talis, vel talis cõditio poneretur in eſſe; certò, & infallibiliter cognoſcere futura cõtingentia conditionata à volũtate creata depẽdentia, quæ reuelãtur in Sacris Scripturis, aut ex illis colligũtur, licet nũquã ſit adimplenda cõditio, & ante huiuſmodi decretũ nõ eſſe infallibili certitudine cognoſcibilia, etiã à Deo, vt futura etiã ex hypotheſi, ſed ſolũ, vt poſſibilia fieri, vt *c.* 1. dictũ eſt. Et quoniã hęc ſentẽtia manet ſatis probata ex his, quæ dicta ſunt in præcedentib. capitulis & *d.* 7. 10. 13. *&* 14. *de Auxiliis*: ideo in pręſenti ſolũ occurrendũ eſt obiectionib. propoſitis.

ſitis. Qualiter autem ſint in Deo hæc decreta conditionata *cap. ſequenti* explicandum eſt.

Ad primum argumentum reſpondetur, noſtram ſententiam non euertere ſe ipſam. Optimè enim conſonant hæc duo inter ſe, quòd ſcilicet euentus ſit prædefinitus à Deo vt futurus ex hypotheſi, & tamen quòd conditionalis ex parte conſequentis ſit libera; quia vt dictum eſt, neceſſitas ex ſuppoſitione diuini decreti, cùm ſit neceſſitas ſecundùm quid, libertati actus humani non repugnat. Vt autem cõditionalis re vera ſit libera ex parte conſequentis non oportet, vt antecedente exiſtente vero, conſequens ſit falſum: ſed ſufficit, quòd poſito in eſſe antecedenti conditionalis ponatur in eſſe & conſequens, licèt adimpleta cõditione poſſit abſolutè non fieri ab humana voluntate actus futurus ex hypotheſi. Hæc igitur propoſitio: Si Petrũ ſic vocauero (vocatione videlicet efficaci vel ſecundùm propoſitum) conſentiet vocationi, eſt neceſſaria neceſſitate infallibilitatis, quæ libertati non obſtat, vt *diſp. 25. de Auxiliis*, dictum eſt, non autem neceſſitate abſoluta, quæ libertati repugnat: nam abſolutè neque eſt neceſſarium, quod Petrus ſi vocetur à Deo: neque etiam eſt abſolutè neceſſarium, quòd Petrus ſic vocantem ſequatur illi conſentiendo, nam eiuſmodi cooperatio ſeu conſenſus Petri non ſequitur ex vocatione Dei efficaci, ſeu ex decreto eius abſoluto, ex neceſſitate naturæ, ſeu per modum naturæ, quæ determinatur ad vnum abſque facultate faciẽdi oppoſitũ ſi velit: ſicut cõtingit in iis, qui libertatem non habent, ſed ſequitur cum delibera- IV.

Propoſitio cõditionalis libera, quæ dicatur.

tione rationis, & per modum libertatis, & cum vera facultate potentiæ ad vtrumlibet agendum, in qua formaliter conſiſtit libertas, vt *diſp.* 115. *&* 116. *de Auxiliis* oſtenſum eſt.

Secundò reſpondetur, quòd propoſitio conditionalis, ſeu futuri conditionati contingentis, nō ex eo dicitur libera; quia tota propoſitio cōditionalis ſit libera, & contingens, formaliter loquendo, ſed quia conſequens ipſum, ſeu actus, qui aſſeritur futurus ex hypotheſi, re vera eſt actus liber, & contingens: quod ſic oſtenditur. Nam in multis propoſitionibus, in quibus aſſeritur, aliquid eſſe futurum ſub conditione, illatio, ſeu conſequentia, eſt ſimpliciter neceſſaria, & tamen propoſitio, tam ex parte antecedentis, quàm conſequentis poteſt dici libera, & contingens. vt in hac propoſitione, ſi Petrus craſtina die curret mouebitur, conſequens nempe motus ſequitur ex natura rei ad curſum, & tamen propoſitio illa ex parte antecedentis, & conſequentis eſt libera, quia tam curſus, quàm motus eſt liberè coniunctus cum voluntate Petri. Similiter etiam hæc propoſitio: Si Deus ſciuit cōuerſionem futuram Pauli, Paulus conuertetur, non ex eo dicitur contingens; quia tota propoſitio illatiua, & vtraque eius pars ſit formaliter contingens, etenim illa propoſitio ſimplex, quæ ſupponitur in conditionali, nempe Deus præſciuit futuram conuerſionem Pauli, non eſt cōtingens, ſed neceſſaria neceſſitate ex ſuppoſitione, vt 1. *parte quæſtione* 14. *articulo* 13. *in ſolutione ad* 2. docet Sanctus Thomas. Sed quia conſequens eiuſdem conditionalis eſt in ſe ipſo contingens, quamuis, vt ſubeſt antecedenti, nempe

S. Thom.

Digitized by Google

diuinæ præſcientiæ ſit neceſſarium neceſſitate duntaxat infallibilitatis,& conſequentiæ , quæ libertati,&contingentiæ conſequentis non obſtat.Dicendum eſt ergo, quòd omnis conditionalis propoſitio eſt neceſſaria ad hunc ſenſum, quod nunquam ſtat conditionem impleri,quin conſequens , quod dicitur futurum ex illa hypotheſi,ſit verum,& ponatur in eſſe;ſed tamen conſequens ipſum in ſe conſideratum eſt liberum,& contingens.

Ad ſecundum reſpondetur, ſcientiam mediam ſeu futurorum conditionatorum,vt præuenit omne liberum decretum voluntatis diuinæ,eſſe fictitiam, & impoſſibilem , vt *diſp.* 7.*de Auxiliis* oſtenſum eſt.Poſt decretum autem diuinæ voluntatis prædeterminantis , quod tale quid fiat ex hypotheſi , quòd talis conditio impleatur.ponimus in Deo certam,& infallibilem cognitionem futurorum conditionatorum à libero arbitrio creato dependentium : quæ quidem ſcientia ex eo habet ſpecialem difficultatẽ ſupra ſcientiam viſionis,qua Deus cognoſcit abſolutè futura,quia, vt oſtendamus ſcientiam viſionis certam eſſe,& infallibilem, poſſumus recurrere tum ad præſentiam actualem,quam ſecundum proprias exiſtentias res futuræ habent in æternitate: tum etiam ad decretum abſolutum,& efficax, quo Deus ſtatuit ea producere ſecundùm omnem rationem entitatis, & bonitatis,quam habebunt in tempore.Ex vtroque enim capite prouenit infallibilitas præſcientiæ diuinæ comparatione eorum , quæ futura ſunt abſolutè,vt *diſp*.8.9. 10. & 11. *de Auxiliis* oſten- VI.

H 5 ſum

ſum eſt. Cæterũ, vt oſtendamus infallibilem certitudinem ſcientiæ diuinæ comparatione futurorum conditionatorũ, non poſſumus recurrere ad præſcientiam eorum in æternitate ſecundùm proprias exiſtentias, quia, cùm re vera nunquam ſint habitura eſſe in propria mẽſura, etiã in æternitate eſſe non habent. Vnde, vt oſtendamus infallibilitatem, & certitudinẽ ſcientiæ futurorum conditionatorũ, ſolũ poſſumus recurrere ad decretum Dei conditionatum ex parte obiecti voliti, à quo tanquã ex prima radice prouenit, quod conditionata eſſent futura, ſi conditio poneretur in eſſe. Fatemur ergo Deum in decreto ſuæ voluntatis facilè cognoſcere, quid eſſet futurum; ſi talis conditio poneretur in eſſe; quia ſcit nullam creaturã illi poſſe reſiſtere, aut impedire, quin id quodvult & quãdo vult faciat, quę ratio nõ procedit de creatura rationali; quia quantũuis firmo animo ſtatuat tale quid facere craſtina die, poteſt à Deo, vel per alias cauſſas ſecũdas impediri, ne illud exequutioni mãdet, aut etiã per mutationem propoſiti. Vnde nullus homo cuiuſuis auctoritatis poteſt in decreto ſuę volũtatis certò & infallibiliter cognoſcere, quid ſit facturus craſtina die.

Ad tertiũ argumẽtũ fatemur in noſtra ſẽtentia omnes actus volũtatis ſecũdũ omnẽ rationẽ entitatis, & bonitatis, quam habent, eſſe prædefinitos in particulari abſoluta volũtate à Deo cum omnibus ſuis circũſtãtiis, vt *d.* 22. 23. & 24. *de Auxiliis* oſtenſum eſt. Incommoda autem, quæ contra iſtam doctrinam obiici ſolent, adducta ſunt in eiſdem diſputationibus, & ſoluta.

Ad quartum reſpondetur, quòd futura conditionata

nata,quorum conſequens ſequitur ex naturarei ex conditione,ſi poneretur in eſſe,cognoſcūtur à Deo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ante omne liberum decretū volūtatis eius;per hanc enim ſcientiam certò ſcit,quòd ſi crearet hominē,crearet riſibilē,quia riſibilitas naturali ſequela cōſequitur ad eſſentiam hominis,& idē eſt de cōſimilibus futuris cōditionatis. Alia verò natura cōditionata,quorum conſequēs nō ſequitur ex natura rei ad cōditionem, etiam ſi ponatur in eſſe, niſi ſupponatur decretum diuinæ voluntatis ſaltem conditionatum ex parte obiecti voliti, ſciri non poſſunt,etiam à Deo infallibili cognitione vt futura ex hypotheſi; quia ante idem decretū non habēt determinatā veritatem,vt dictū eſt,eò quòd cōſequēs non habet infallibilem connexionem cum antecedente,ſeu cū conditione, ſi ponatur in eſſe,quā tamen connexionē haberet,ſi ſupponeretur prædictū decretū voluntatis diuinæ.

Ad confirmationem reſpondetur, ſcientiam futurorum conditionatorum à creata voluntate dependentium,quæ re vera futura eſſent, ſi impleretur conditio,non pertinere ad ſcientiā ſimplicis intelligentiæ, ſeu naturalem;ſed reuocari ad ſcientiam liberam, quia huiuſmodi futura aliquo modo extrahuntur à ratione poſſibilium, & ingrediuntur ſecundum quid ordinem futurorum. Licet enim abſolutè non ſint futura,eſſent tamen futura ex virtute decreti,quod præexiſtit in Deo,ſi cōditio poneretur in eſſe,quod tamen non competit rebus merè poſſibilibus, quæ cognoſcuntur à Deo per ſolam ſcientiam naturalem, ſeu ſimplicis intelligentiæ. *Scientia futur. contingentium conditionatorum eſt libera.*

VII. Ad quintum argumentum reſpondetur primò,nullum eſſe inconueniens cōcedere,Deum ab æterno decreuiſſe quid futurū eſſet per creatā volun-

voluntatem data quacumque hypotheſi, ac per conſequens in prædicto decreto certa ſcientia cognouiſſe ab æterno omnia futura conditionata à creato arbitrio dependentia. Nec ex hoc ſequitur eſſe in Deo infinita decreta. Sufficit enim ad hoc vnum decretum ſecundùm ſubſtantiam cum diuerſa habitudine rationis ad hæc, & ad illa futura conditionata, quæ quidem habitudo poteſt in infinitum multiplicari, vt oſtendit Capreolus 1. *ſent. diſt.* 28. Et cùm objicitur, nam videtur otioſa prædefinitio omnium futurorum conditionatorum; reſpondetur quòd ſi non reputatur ociosa præſcientia omnium futurorum conditionatorum, non debet eorum prædefinitio, ſine qua certò ſciri non poſſunt, vt futura, otioſa reputari. Cùm enim Deus ſit infinitæ virtutis, per hoc quod eius prædefinitio ſe extendat ad omnia conditionaliter futura, non minuitur, aut impeditur eius prouidentia, ne perfectiſſimè attendat ad ſingula. Hoc autem non habet locum in prouidentia, ſeu prædefinitione creata Principis, vnde non eſt ſimile.

IX. Secundò reſpondetur, quòd ſicut non pertinet ad perfectionem diuinæ omnipotentiæ, quod faciat omnia factibilia: ita non pertinet ad perfectionem diuinæ prædefinitionis, & prouidentiæ quod decernat facere omnia factibilia, etiam ex hypotheſi, & ea ordinet in finem; neque id videtur expediens. Vnde non videtur conſtituendum in Deo decretum, quo ſtatuerit, & ordinauerit, quid in particulari ſit futurum, ſi ponerentur, vel poſitis in eſſe quibuſlibet conditio-

Deus non decreuit quid eſſet futurum poſitis quibuslibet con ditionibus.

ditionibus poſſibilibus,ſed ſolum eſt admittendum eiuſmodi decretum in conditionatis, quæ in Sacra Scriptura,vel Sanctis Patribus aſſeruntur futura, ſi conditio poneretur in eſſe.Et ratio diſcriminis eſt;nam *vt 3.parte q. 1. art. 3. in corp.* docet Sanctus Thomas, ea quæ ex ſola Dei voluntate proueniunt, ſupra omne debitum creaturæ nobis innoteſcere non poſſunt,niſi quatenus ex Sacra Scriptura traduntur,per quam diuina voluntas nobis innoteſcit. Cùm ergo in Sacra Scriptura,aut Sanctis Patribus, quibus ſenſum Scripturæ Spiritus ſanctus aperuit,non habeatur,Deum ſtatuiſſe, aut prædeterminaſſe, quid futurũ eſſet in particulari per quaſcumque cauſſas liberas,&contingentes à Deo productas, & producibiles,ſi talis vel talis conditio poneretur in eſſe;ſine fundamento id aſſeritur:quę ratio non procedit de conditionatis, quæ in Sacra Scriptura, vel Sanctis Patribus aſſeruntur futura. *S.Thom.*

Circa hæc enim Deus habuit ſpeciale decretum,& propter aliquod ſpeciale myſterium deſignandum prædefiniuit,& voluit illa eſſe futura ſecundùm omnem rationem entitatis ex hypoheſi, quod conditio poneretur in eſſe. Vnde conſtituenda eſt inDeo poſt huiuſmodi decretũ ſcientia infallibilis horum futurorum conditionatorum:aliorum autem conditionatorum, reſpectu quorum decretum huiuſmodi non habuit, conſequenter dicendum eſt, Deum illa non cognoſcere vt futura etiam ex hypotheſi, ſed ſolùm vt poſſibilia? Illud verò,quod aduertunt,nempe abſolutè futura pendere à decretis

Dei liberis,quibus voluit cauſſas creare, & eas in tali rerum ordine ponere, vel tales ei occaſiones dare, aut permittere, & ideo præſciri à Deo in decretis liberis ſuppoſita eorum præſcientia conditionata, non videtur ſatis ad ſaluandam perfectionem prædefinitionis, & cauſſalitatis diuinæ: nam hoc ſolum eſt prædefinire productionem cauſſarum, ſeu potentias ipſas, quibus homo poteſt operari,ſi velit:non autem eſt prædefinire:ſed ſolùm præſcire operationes ipſas à cauſſis liberis, & contingentibus procedentes;vt ex dictis *diſp.22. de Auxiliis* conſtat. Prædefinitio autem diuina ſicut cauſſalitas, & prouidentia non ſe extendit ſolùm ad cauſſas ſecundas:ſed etiam ad omnia entia in particulari quantumuis minima, & ad omnes effectus ex eiſdem cauſſis procedentes. Vnde non ſolùm præſciuit actus bonos, qui à voluntate creata fiunt,vel fierent ex hypotheſi, quod in talibus circunſtantijs conſtitueretur; ſed etiam prædefiniuit, vt fierent. Imo ideo ſciuit eos eſſe futuros,quia prædefinitione abſoluta præordinauit,vt fierent, ſi ſunt futura abſolutè; vel prædefinitione conditionata ex parte obiecti politi, quando ſunt futura ſolùm conditionata, ſiue ex hypotheſi, quod impleatur conditio.

Deus non ſolùm cauſſas,ſed earum actiones prædefiniuit.

Vtrum

Vtrum reuera ſint in Deo conſtituenda decreta conditionata quibus ſtatuerit, quid in particulari eſſet futurum ex hypotheſi, quòd talis, vel talis conditio poneretur in eſſe, & qualiter intelligendum ſit, & explicandum hoc decretum.

CAPVT IV.

PRIMA ſententia eſt quorundam Theologorum aſſerentium, non eſſe de facto in Deo tale decretum conditionatum reſpectu contingentium, quæ futura eſſent, ſi talis conditio poneretur in eſſe, quæ tamen de facto nunquam purificanda eſt. Probant ſuam ſententiam. Primò, quia fruſtra conſtituitur tale decretum actu exiſtens in Deo reſpectu eorũ, quæ ex hypotheſi futura non ſunt: in Deo autẽ nihil eſt conſtituendũ fruſtra, ſicut neque in natura. Ergo. Maior probatur. Decreũ huiuſmodi cõditionatũ nullo modo pertinet ad diuinã prouidentiã, quia prouidentia Dei, ſicut & efficientia ſolum eſt reſpectu eorum, quæ in aliqua differentia temporis habent eſſe. Ergo non ſe extendit ad futura conditionata libera, & contingentia, quæ nunquam ſunt abſolutè futura. Si dicatur, quòd tale decretum, licet non pertineat ad prouidentiam quæ actu eſt in Deo abſolutè loquendo, pertinet tamen ad prouidẽtiã quæ eſſet in Deo, ex hypotheſi, quod talis, vel talis cõditio poneretur in eſſe. Etenim ſi ego qui nunc ſum Trani, exiſterem in Hiſpania; data hac hypotheſi Deus prouidiſſet quid in particulari facturus eſſem in Hiſpania. Contra hoc eſt.

I. *Prima ſententia.*

1. Arg.

Secun-

Secundum argumentũ. Prouidentia, quæ ab æterno non eſt in Deo, nũquam erit; quia Deus eſt omnino immutabilis. Ergo non poteſt obijci intellectui diuino prouidentia, vt futura ex hypotheſi. Ergo decreta hæc conditionata nõ ſunt actu conſtituenda in Deo propter perfectionẽ diuinæ prouidentiæ, quæ eſſet ex hypotheſi, quòd talis conditio poneretur in eſſe.

Tertiò arguitur. Decreta hæc conditionata nõ ſolùm non pertinent ad perfectionem diuinæ prouidentiæ: ſed etiam nihil conducunt ad perfectionem ſcientię diuinæ, nec fundantur in ſolida ratione Theologica: ergo non ſunt in Deo. Conſequentia ex eo patet; quia horum decretorum aſſertores ex eo potiſſimè illa conſtituunt in Deo; quia cenſent abſque huiuſmodi conditionatis decretis, Deum nõ poſſe certò, & infallibiliter cognoſcere futura contingentia conditionata, quæ abſolutè nunquã futura ſunt. Antecedẽs autẽ probatur. Deus cognoſcit certò & infallibiliter omnia contingentia futura conditionaliter antecedenter ad omne liberum decretũ ſuæ voluntatis, nimirũ in ipſa veritate obiecti; quia omne verũ cognoſcitur à Deo in ſeipſo, cùm intellectus diuinus ſit infinitè perfectus, & extẽdat ſe ad omnia cognoſcibilia: Ergo: Cõfirmatur. Quia nõ habetur ex Sacris literis, neque in Sãctis Patribus, vel Scholaſticis antiquis; eſſe in Deo decreta hæc conditionata: Ergo nouiter à modernis Theologis introducuntur, vt Phyſicam prædeterminationem defendant. Ergo non ſunt admittenda.

Quartò. Omne liberum decretum Dei ponit ali-

aliquam mutationem in creatura; nam ex tali decreto reſultat in Deo noua relatio rationis, quæ ſine aliqua mutatione alicuius externi eſſe non poteſt, neque intelligi. Cùm autem hæc mutatio realis non poſſit eſſe in Deo; quia eſt omnino immutabilis; oportet quòd ſit in aliqua creatura, ſed nulla mutatio realis erit vnquã in futuris conditionatis, quæ nunquam ponentur in eſſe. Ergo Deus ab æterno non habuit actu decretum aliquod conditionatum, quod ad eiuſmodi futura conditionata terminetur.

Quintò. Decretum conditionatum, quod in Deo ponitur, vel eſt actus neceſſarius, vel actus liber. Neutrum poteſt dici. Ergo. Antecedens, quod non ſit actus neceſſarius, probatur. Nam obiectum, ad quod terminatur, non habet neceſſariam connexionem cum Deo; voluntas autem diuina ſolùm fertur ex neceſſitate in ipſum Deum, & in ea quæ cum Deo habent neceſſariam connexionem. Quod verò non ſit actus liber, probatur, nam ſequeretur quod potuerit non eſſe in Deo. Cùm autem quicquid eſt in Deo, ſit Deus; rurſus ſequeretur, quòd aliquid ſit Deus quod potuit non eſſe.

Secunda ſententia eſt aliorum, qui affirmant, hæc decreta conditionata non ſolùm non eſſe de facto in Deo; ſed etiam illi repugnare, conuincuntur aliquibus argumentis adductis pro prima ſentẽtia. Et præterea quia decretum conditionatũ includit intrinſecè imperfectionem: quia eſt decretũ imperfectum; ſicut velleitas eſt actus voluntatis imperfectus. Ergo ſicut velleitas non ponitur formaliter in Deo: ita nec de-

Secunda ſententia.

Sextum Ar.

cretum conditionatum. Implicat enim, ea quæ imperfectionem intrinſecè includunt, eſſe formaliter in Deo.

Tertia ſententia. Tertia ſentētia inquit, quòd ſicut Deus habet decretū abſolutum comparatione contingentium, quæ ſunt abſolutè futura: ita habuit ab æterno decretum cōditionatum comparatione cuiuſcumque futuri conditionati, quod abſolutè non eſt futurū; eſſet tamē futurū; ſi adimpleretur conditio. Vnde ſicut futura cōtingentia libera cognoſcuntur certò, & infallibiliter à Deo in decreto, quo abſolutè ſtatuit, vt eſſent futura: ita & futura contingentia conditionata cognoſcuntur certitudine infallibili à Deo in prędicto decreto conditionato. Sed tamen in modo explicandi & conſtituendi in Deo decretum hoc conditionatum eſt differentia inter Theologos.

Zumel. Prima explicatio eſt, quā refert magiſter Zumel *tom. 3. variarū diſp. ad 1. part. & 1. 2. S. Tho. p. 189 in Moreſſione Pariſienſi*, quod nimirū Deus nouit futura cōditionata ex cognitione ſui decreti nō actu exiſtētis circa illa futura, ſed quod eſſet ex hypotheſi in tali occaſione ſub his circūſtantiis, & tali tēpore, atq; loco, ita vt licet Deus de facto non decreuit, quod v. g. Franciſcus reſponderet tali vocationi, ſi daretur, ſuppoſito quod non ſit danda vocatio; tamen decreuiſſet, vt Franciſcus reſponderet illi vocationi ſi talis vocatio, & occaſio illi daretur, ſicut decreuiſſet, *Matth. 11.* quòd Tyrij, & Sidonij agerent pœnitentiā, ſi ibi facta fuiſſent ſigna, quæ facta fuerunt in Bethſaida, & Corozain. Vnde ex eo quod Deus cōprehendit ſeipſum, cognoſcit quid ipſemet voliturus

liturus eſſet. Rurſus voluntatē humanā Deus ſimiliter cōprehendit, ac proinde cognoſcit, quid homo eſſet liberè voliturus. Addit tamē M. Zumel, quod in hoc ſenſu eſt difficilior hæc ſententia; quia non ponit decretū hoc per modū actu exiſtentis, & cùm illud ſit liberū, multo maiora dubia occurrunt in eius intelligentia. Sed tandē idem magiſter §. *Sed profectò* eundē modum dicendi tanquā probabilē defendit; ita nimirū, vt illud decretū, quod eſſet in Deo, ſi conditio poneretur in eſſe, præueniret determinationem liberi arbitrij futurā ex hypotheſi, & conuincitur ſequentibus argumentis. Vnde ſit in ordine Septimum argumētum. Deus cognoſcit, quid voluntas noſtra ſit volitura in tali, vel tali occaſione, vel ex hypotheſi, quod in talibus circunſtantiis poneretur. Ergo etiā ſcit, quid ipſe Deus eſſet voliturus, vel facturus in eadem hypotheſi. Probatur conſequētia: quia volūtas noſtra non poteſt aliquid velle ſine voluntate ipſius Dei. *Septimum Argum.*

Octauò idem probat ex illo Pſ 80. *Si populus meus audiſſet me, Iſraël ſi in viis meis ambulaſſet, pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manū meā.* Et Matth. 26. *Poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum.* Si ergo eſt verum, quòd ſi populus Dei audiſſet ipſum, illemet humiliaſſet inimicos eius: igitur hoc nouit Deus, ac per conſequens nouit, quid ipſe decreturus eſſet in illa hypotheſi. Et idem argumentum colligi poteſt ex loco illo Matthæi 26. *Pſal. 80.* *Matth. 26.*

Nonò idem probat ratione. Sicut eſt verum, conditionatum eſſe pendens ex volūtate creata,

v. gratia, quod ſi Tyriis & Sidoniis factæ fuiſſent virtutes, atque ſigna, quæ Bethſaidæ, & Corozaim, illi pœnitentiam egiſſent: ita futurum conditionatum eſt pendens ex volũtate Dei, vt quod ſi Adam non peccaret, Verbum Dei non fieret homo, ſaltem in carne paſſibili, ſicut alij dicunt. Ergo ſicut Deus nouit futura conditionata, quæ pendent ex voluntate noſtra: ſic etiam nouit illa, quæ pendent ex voluntate ſua, & ex conſequenti nouit quid ipſemet Deus eſſet voliturus liberè in tali hypotheſi, circunſtantia, & occaſione. Eadem argumenta fieri poſſunt de quibuſcumque aliis futuris conditionatis à creata, vel creabili voluntate pendentibus. Hæc tamen explicatio, ſeu modus dicendi nobis non ſolùm difficilior, ſed etiam improbabilis videtur, vt patebit infra.

IV. *Secunda explicatio.* Secũda igitur explicatio, & legitima eſt, Deũ certò, & infallibiliter cognoſcere futura conditionata libera, & cõtingẽtia in decreto cõditionato actu exiſtẽte in Deo ab ęterno, quo nimirũ ſtatuit, & prædefiniuit, vt volũtas creata faceret talem actũ determinatũ ex hypotheſi, quod in talibus circũſtantiis cõſtitueretur, vel talis, aut talis conditio impleretur, quæ tamẽ nunquã eſt ponenda in eſſe. Et quoniã hæc explicatio vera eſt, & valde cõformis locis Scripturæ, ſacris cõciliis, ac Sanctorum patrum teſtimoniis, præſertim Auguſtini, & Thomæ; ad eius clariorem intelligentiã animaduertere oportet, quod vt dixi in *diſ.7. de Auxiliis n.7.* decretũ poteſt dupliciter dici conditionatũ; primò ex parte actus volendi, vt cùm quis nullũ prorſus habet actũ voluntatis

luntatis circa aliquod obiectum, haberet tamen illũ, ſi ſe offerret talis, vel talis occaſio. Secundò ex parte obiecti voliti, vt ſi quis firmo animo ſtatuat, ſe daturum cras eleemoſynam pauperi primò ſibi occurrenti, ſi ipſe petierit. Vbi cõditio cadit ſupra obiectum volitum, nõ autẽ circa actum volendi: nam talis volitio dandi eleemoſynam actu eſt in voluntate volentis. Sit ergo

V. Prima cõcluſio: Decretũ conditionatũ, quod præſupponitur in Deo ad infallibilẽ cognitionem futurorũ contingentiũ conditionatorũ, nõ rectè explicatur de decreto Dei cõditionato ex parte actus volẽdi, ſeu de decreto quod eſſet in Deo ex hypotheſi, quòd voluntas creata in talibus circũſtantiis conſtitueretur. Concl. eſt cõtra primã explicationẽ tertiæ ſententiæ. Probatur.

Primò. Antequã in priori ſigno rationis Deus aliquid determinatè decernat ſub conditione, nõ eſt certum, quòd Deus ſit voliturus hoc in particulari, potius quàm eius oppoſitum ex hypotheſi, quòd voluntas creata conſtitueretur in talibus circunſtantiis non prædeterminantibus eam ad alteram partem. Ergo certa cognitio futurorum contingentiũ conditionatorũ non poteſt fundari in decreto, quod eſſet in Deo, ſi impleretur talis, vel talis cõditio. Patet cõſequentia; quia certitudo infallibilis cognitionis diuinæ inniti non poteſt in fundamento incerto, & fallibili. Antecedens autẽ probatur. Ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ eadẽ voluntas Dei non eſt determinata ad volendũ, vel faciẽdum ex eadem hypotheſi hoc futurũ contingens conditionatũ potius quàm eius oppo-

 ſitum:

ſitum: quod ex eo patet; tum quia etiã ſi daretur hæc hypotheſis, poſſet in ſenſu compoſito voluntas Dei vtrumlibet determinare, & facere; cùm contingens ſe habeat indeterminatè ad vtrũlibet, nec altera pars habeat neceſſariã connexionẽ cũ bonitate diuina; tum etiam quoniã aliàs data illa hypotheſi voluntas diuina eſſet naturaliter determinata ad volendum alteram partem futuri contingentis in particulari, ita vt non poſſet ad oppoſitam ſe determinare, quod tamen eſſet tollere libertatem arbitrij diuini.

Confirmatur. Voluntas diuina prius in ſigno rationis, quàm ſe determinet ad producendum in particulari hoc futurũ ex hypotheſi, non habet neceſſariam habitudinẽ ad illud. Ergo pro libito ſuo poteſt ſe determinare ad oppoſitum. probatur conſequẽtia: nã vt 1.*p.quæſt.*19. *art.*3. *ad* 5. dicit S. Thom. *Voluntas diuina liberè ſe determinat ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.* Ergo antequam ſe determinet, non eſt certum, & infallibile, quod data prædicta hypotheſi potius ſe determinabit ad vnam partem futuri cõditionati, quàm ad oppoſitam. *S. Thom.*

Secundò probatur: quia non aſſignatur, ſed neque aſſignari poteſt ratio vrgens, vel fundamentum ſufficiens, ex quo poſſit colligi, Deum certò ſcire quid in particulari ipſe voliturus eſſet in tali hypotheſi, vel occaſione. Ergo voluntariè id aſſeritur.

VI. Ad hoc argumentum duas ex aliorũ ſentẽtia refert ſolutiones Magiſter Zumel *loco præallegato pag.* 191. & ipſe tandem ex propria ſententia reſpondet, *Deum certò cognoſcere quid eſſet ipſe liberè* *Zumel.* *Solutio.*

liberè voliturus in quacumque hypotheſi, ex parte quidem intellectus nulla alia ratione,niſi quia habet infinitum lumen attingens omne verũ:ex parte verò obiecti,in ſe;quia eſt verũ.Vnde ſicut cognoſcit Deus decretum ſuæ voluntatis liberum, eo ipſo quod eſt; quia comprehendit omne verum:ſic etiã cognoſcit in priori ſigno,antequam liberè decernat, quid ſit voliturus:quia verum eſt dicere in illo ſigno, quod eſt voliturus hoc,aut illud abſolutè. Et pari modo in alio priori ſigno cognoſcit, quod eſſet voliturus hoc data hac hypotheſi,verbi gratia, ſi vellet creare hominem, vellet illi dare iuſtitiam, & gratiam. Atque ita omnia hæc ſigna poſſunt intelligi in Deo circa ſcientiam,quam habet de creaturis, vt in primo ſigno cognoſcat illas vt poſſibiles, in ſecundo futura conditionata, quæ pendent ex libera voluntate tam creata,quàm increata: taliter tamen, vt quæ pendent ex voluntate creata, intelligat Deus ipſa dependere ex eo,quod ipſe decreuiſſet facere, aut permittere in quacumque hypotheſi,atque ita prius noſtro modo intelligendi, quod ipſe pro ſua libertate decreuiſſet,quã quid voluntas creata vellet.In tertio ſigno cognoſcit Deus creaturas exiſtentes in qualibet differentia temporis. Et quoniam exiſtere creaturas pendet ex libero decreto Dei;priùs ſecundùm rationem, ſaltem prioritate cauſſalitatis,& perfectionis cognoſcit Deus hoc ſuum decretum.

Hæc tamen ſolutio nõ videtur ſatisfacere, & multa in ea dicũtur,quæ diſcuſſione indigẽt. Et quidẽ quod ex parte luminis infiniti intellectus diuini comprehendentis omne verum aſſignari non poſſit ſufficiens ratio liberi decreti, quod eſſet in Deo data illa hypotheſi;probatur. Nam intelle- **Impugnatio.**

Digitized by Google

intellectus Dei comprehendit & perfectiſſimè cognoſcit voluntatem ſuã ſicuti eſt; ſed in illo priori ſigno rationis, antequã determinet, quid eſſet volitura ex hypotheſi, nullũ dicit ordinem neceſſarium ad hoc contingens futurum ex hypotheſi potius quàm ad oppoſitum: cùm vtrumque indifferenter reſpiciat. Ergo in lumine infinito intellectus diuini fundari non poteſt certitudo infallibilis, quod Deus eſſet voliturus in tali hypotheſi, & occaſione hoc obiectum in particulari, potius quàm oppoſitum.

Confirmatur. In comprehenſione voluntatis creatæ prius in ſigno rationis, quàm ſe determinet, vel determinetur à Deo ad alterã partẽ non eſt ſcibile etiam à Deo, quid in particulari eſſet volitura ex hypotheſi, quod conſtitueretur in talibus circunſtantiis, vt *diſp. 7. de Auxiliis*, oſtẽdi. Ergo ſimiliter in comprehenſione, qua Deus ſuam voluntatẽ perfectè, ſicut eſt, cognoſcit, nõ poteſt certò ſcire ante omnẽ liberã determinationẽ eiuſdẽ voluntatis, quid in particulari eſſet volitura ex hypotheſi, quod conſtitueret aliquod liberum arbitrium creatum, vel creabile in talibus circunſtantiis. Ergo idem quod prius.

Quod verò ex parte obiecti in ſe, quia eſt verum, non poſſit ſufficiens ratio eiuſdem cognitionis aſſignari, probatur. Nam hæc ſolutio videtur petere principium, & ſupponere id, de quo eſt præſens quæſtio. Contendimus enim, quod prius in ſigno rationis, quàm Deus determinatè velit, quid eſſet futurum ex hypotheſi, non ſit verum in particulari hoc obiectũ, quod nimirum Deus eſſet voliturus hoc in particulari

lari data hac, vel illa hypotheſi, potius quàm oppoſitum: hac enim ratione *diſp.* 13. *de Auxiliis* impugnauimus ſententiam quorundam defenſorum ſcientiæ mediæ aſſerentium, Deum ante omne liberum decretum ſuæ voluntatis certò cognoſcere in ipſa veritate obiecti, quid in particulari eſſet volitura creata voluntas, ex eo quod in talibus circunſtantiis conſtitueretur.

Confirmatur: quia licet verum ſit dicere in illo priori ſigno, quo data tali hypotheſi, Deus eſſet voliturus hoc, aut illud, non tamen eſt verum dicere in eodem ſigno, quòd ſit voliturus hoc determinatè, potiùs quàm eius oppoſitum, vel aliquid aliud, neque huius rei poteſt aſſignari ſufficiens ratio.

Tertiò probatur argumento ad hominem. Nam ipſe M. Zumel vehementer impugnat ſcientiam mediam, vt *cap.* 1. *num.* 27. viſum eſt. Sed ille primus modus explicandi decretũ Dei conditionatum fauet plurimum ſententiæ conſtituentium in Deo ſcientiam mediam. Nam illi libenter admittent in Deo decretum hoc conditionatum, ſine quo etiam data quacumque hypotheſi nihil fiet à creata voluntate, cùm in quacumque ſua operatione etiam imaginabili intrinſecè dependeat ex voluntate, & cooperatione Dei, iuxta illud Ioannis 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Et ca. 15. Ioan. *Quia ſine me nihil poteſtis facere. Ergo.* *Io.1.& 15.*

VII. *Reſponſio.*

Reſpondebunt fortaſſis eſſe differentiam: nam aſſertores ſcientiæ mediæ admittunt quidem Deum certò ſcire, quid in quacumque hypotheſi eſſet ipſe voliturus; ſuppoſita tamen

præſcientia cooperationis arbitrij creati futuræ ex tali hypotheſi, & dependenter ab eadem præſcientia. Cæterùm auctores huius ſententiæ non id concedunt; ſed aſſerunt decretum illud, quod eſſet in Deo data quacumque hypotheſi, non præſupponere in aliquo ſigno rationis præſciẽtiam cooperationis arbitrij futurã ex hypotheſi; ſed eam præcedere: ita nimirum vt prius noſtro modo intelligendi concipiamus, quid Deus data quacunque hypotheſi decreuiſſet facere, aut permittere, quàm quid voluntas creata eſſet in eadem hypotheſi volitura: & conſequenter prius ratione intelligatur in Deo præſcientia decreti diuini, quàm cooperationis humanæ.

Fateor in hoc multum diſtare auctores ſentẽtiæ, quam impugnamus, à defenſoribus ſcientiæ mediæ: negari tamen non poteſt multa alia argumẽta, quibus efficaciter impugnatur ſcientia media æquè procedere contra primum modum explicandi decretum illud cõditionatum, quod eſſet in Deo, in quo ſcientia infallibilis futurorum contingentium conditionatorum fundari debet. Et ſemper vrget in vtraque ſententia argumentum ſupra factum; quia non aſſignatur ſufficiens ratio, vel fundamentum, ex quó certò poſſit colligi, quod Deus data hypotheſi, quod crearet alium Angelum, verbi gratia, eſſet prædeſtinaturus eum, vel reprobaturus, aut voliturus hoc in particulari, vel eius oppoſitum; cùm vtrumlibet poſſet indifferenter velle, & facere etiam in tali hypotheſi.

VIII. Quartò probatur noſtra concluſio, & corroberatur magis efficacia præcedentis argumenti.

Omnis

Omnis propoſitio, quæ antecedenter ad omne actuale decretum liberum diuinæ voluntatis eſt vera, habet veritatem neceſſariam abſolutè, & conſequẽter obiectum quod ſignificat, eſt ſimpliciter neceſſarium, & cognoſcitur à Deo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſeu merè naturalem. Etenim ſcientia merè naturalis eſt illa, quæ antecedit omne liberum decretum actu exiſtens in Deo. Ergo, ſi hæc propoſitio: Deus eſſet voliturus hoc in particulari, ſi poneretur in eſſe talis conditio, puta ſi crearet alium Angelum, eſt vera ante omne liberum decretum actu exiſtens in Deo; ſequitur quòd ſit neceſſaria abſolutè, & obiectum eius neceſſarium, & conſequenter Deus ſua potentia abſoluta non poſſet creare alium Angelum, & illum reprobare, nec poſſet velle oppoſitum eius, quod auctores oppoſitæ ſententiæ dicunt Deum eſſe voliturum, ſi poneretur in eſſe illa conditio, quod tamen abſque præiudicio libertatis diuinæ concedi non poteſt. Ex quo rurſus ſequeretur, quod ſcientia futurorum contingentium conditionatorum reuocaretur ad ſcientiam merè naturalem, ſeu ſimplicis intelligentiæ, & non ad ſcientiam liberam; quod tamen eſt contra auctores ſententiæ, quem impugnamus.

Solutio.

Si dicatur, ſcientiam futurorum contingentium conditionatorum non eſſe in Deo merè naturalem, ſed liberam, & conſequenter propoſitiones, quibus eadem futura cõditionata ſignificantur, non eſſe ſimpliciter neceſſarias: quoniam licet earũ veritas nullum prorſus ſupponat decretum liberum etiam conditionatũ, actu exiſtens

exiſtens in Deo; ſupponit tamen decretum liberum, quòd actu eſſet in Deo ex tali hypotheſi,& ab eo dependet;& ideo obiectum illius propoſitionis nullam habet neceſſitatem abſolutam,ſed ſolùm conditionatam, & ex ſuppoſitione decreti diuini, & conſequenter cognoſcitur à Deo per ſcientiam liberam, non autem per ſcientiam merè naturalem. Sed contra hoc eſt efficax argumentum. Veritas huius propoſitionis: Si Deus voluiſſet creare alium Angelum, & prædeſtinare illum efficaciter, ſaluus fieret; & iſtius: Si Deus voluiſſet creare alium mundum, creaſſet illum; quæ ſunt ſimiles; eſt ſimpliciter neceſſaria,& cognoſcitur à Deo per ſcientiam merè naturalem, qua ſuam omnipotentiam comprehendit, & efficaciam ſuæ voluntatis, cui nulla creatura poteſt reſiſtere, & tamen ſupponit decretum liberum, quod eſſet in Deo, à quo dependet intrinſecè creatio Angeli, ſi fieret de nouo. Ergo, ex eo quod veritas futurorum contingentium conditionatorum pendeat ex decreto, quod eſſet in Deo data illa hypotheſi, non ſequitur,quòd cognoſcatur à Deo per ſcientiam liberam, nec etiam ſequitur, quod eadem veritas non ſit ſimpliciter neceſſaria.

Impugnatio.

Confirmatur Ex eo illa propoſitio: ſi Deus voluiſſet creare alium Angelum,creaſſet illum: ſi voluiſſet producere alium mundum, vtique produxiſſet illum, & aliæ conſimiles ſunt ſimpliciter neceſſariæ, & cognoſcuntur à Deo per ſcientiam merè naturalem, quia nullum ſupponunt decretum etiam conditionatum actu exiſtens

ſtens in Deo; ſed ſolum dicunt ordinem ad decretum, quod eſſet ex hypotheſi, quod vellet creare alium Angelum, vel aliud vniuerſum. Ergo ſi futura conditionata à libertate humana dependentia nullum ſupponũt decretum etiam conditionatum actu exiſtens in Deo; ſed ſolum decretum Dei, quod eſſet impleta conditione; ſequitur quod ſint abſolutè neceſſaria, & à Deo per ſcientiam merè naturalem, ſeu ſimplicis intelligentiæ cognoſcantur.

Secunda concluſio. Veritas determinata futurorum contingentium conditionatorum ſupponit liberum decretum conditionatum actu exiſtens in Deo, quo nimirum ſtatuit vt hoc in particulari ſit futurum ex hypotheſi, quod talis vel talis conditio poneretur in eſſe. Hæc concluſio tanquam probabilior defenditur à Magiſtro Zumel *tomo 1. variarum diſputationum dubio 5. de ſcientia futurorum conditionatorum pag.*154. *in impreſſione Lugdunenſi*, & eam cum multis Thomiſtis probaui *diſput.*7. *de Auxiliis*. Quin etiam in pluribus congreſſibus de hac re habitis, & in publicis diſputationibus in Collegio Romano Sancti Thomæ ſuper Mineruam dum Regentis fungerer officio ab anno 1596. vſque ad annum 1607. pro viribus defendi. Eamdem concluſionem tuentur M. Luna, M. Nuño, M. Nauarrette, Doctor Ram, & M. Ledeſma *cap.*1. *num.* 38. allegati, quam etiam aſſerit Doctor Henriquez, cuius verba ſunt adducta *cap.* 1. *num.*25. Et probari poteſt ex dictis in concluſione præcedenti hac ratione. Vt cognitio futurorum contingentium conditionatorum ſit in XI.

Deo

Deo certa, & infallibilis, debet fundari in decreto diuinæ voluntatis ſaltem conditionato, vt *diſp.7.de Auxiliis* viſum eſt. Nam ſecluſo tali decreto conſequens de futuro cōtingenti conditionato nullam habet infallibilem connexionem cum conditione, etiamſi poneretur in eſſe: ſed tale decretum non poteſt eſſe conditionatum ex parte actus volendi, nec poteſt intelligi de decreto quod eſſet in Deo, ſi impleretur conditio, vt ex præmiſſis conſtat. Ergo neceſſariò debet eſſe conditionatum ex parte obiecti voliti. Ac per conſequens, vt aliquid contingēs ſit futurum ſub conditione, neceſſarium eſt, vt actu præſupponatur in Deo decretum liberum determinans, vt illud fiat ex hypotheſi, quod impleatur conditio. Vtrùm autem ſint in Deo hæc decreta conditionata, qua prædefinierit, quid eſſet futurum per creatam voluntatem poſita in eſſe quacunque hypotheſi, etiam poſſibili, vel imaginabili: an verò ſolum circa futura cōtingentia cōditionata, quæ in Sacris literis ſunt reuelata, vel ex illis colliguntur, iam ſuperius *cap.1.n.38.& 46.* expoſitum eſt. Hæc concluſio patebit amplius ex ſolutionibus argumentorum, quæ à principio huius diſputationis ſunt propoſita.

X. Ad primum argumentum reſpondetur, decreta illa conditionata non poni fruſtra in Deo: ſunt enim neceſſaria, vt ſcientia futurorum conditionatorum contingentium ſit in Deo certa, & infallibilis. Sicut ergo eiuſmodi ſcientia non ponitur fruſtra in Deo: ita nec hæc decreta conditionata; præſertim comparatione conditiona

tionatorum, quæ in Sacris literis ſunt expreſſa, quibus diuina prouidentia aliquid voluit ſignificare, vt homines inducerentur ad fidem, & ad ſuorum peccatorum pœnitentiam.

Ad ſecundum, fatemur prouidentiam, quæ ab æterno non eſt in Deo, nunquã eſſe futuram, eo quod nihil eſt in Deo futurum ad intra; nihilominus ſicut Deus potuit, & poteſt abſolutè creare alium mundum, quem tamen nunquam de facto creabit, ita potuit ab æterno ſtatuere ſua prouidentia, & determinare partes eius, & omnia ordinare, quæ in eodem mundo futura eſſent, ſi produceretur à Deo, & ad eiuſmodi prouidentiam, quæ eſſet in Deo ex hypotheſi, neceſſaria eſt certa & infallibilis cognitio omnium futurorum contingentium conditionatorum. Secundò reſpõdetur iuxta probabiliorem ſententiam, quam ſuprà *cap. 2. num. 38. & 46.* præmiſimus, quòd in Deo non eſt conſtituenda ſcientia omnium futurorum contingentium conditionatorum, quæ infinitis combinationibus poſſunt ab intellectu noſtro formari tàm de rebus actualiter exiſtentibus, quàm de poſſibilibus, ſed ſolùm comparatione illorum conditionatorum contingentium, quæ in Sacris literis exprimuntur, vel habentur ex Sanctis Patribus, aut ex illis per rationem Theologicam deducuntur. Et idem ſentiendum proportionabiliter de decreto conditionato Neque ex hoc ſequitur, quòd Deus aliquid ignoret; ſed ſolùm infertur, quod non exiſtente in Deo decreto ſaltem conditionato circa eiuſmodi conditionata futura, non habent rationem ſcibilis

ſcientia

ſcientia infallibili. Vnde ſicut nulla eſt imperfectio Dei, quod eius omnipotentia non ſe extendat ad ea, quæ poſſibilia non ſunt vel factibilia, ita etiam non eſt imperfectio aliqua ſcientiæ diuinæ; quod non ſe extendat ad ea, quæ ſcibilia non ſunt.

Ad tertium negatur antecedens. Ad probationem dicitur, antecedenter ad omne liberum decretum voluntatis diuinæ nullam eſſe determinatam veritatem in obiecto, quod ſignificatur per propoſitionem de futuro contingenti conditionato præſertim liberò, vt *diſp.* 13. *de Auxiliis* oſtenſum eſt.

Ad confirmationem dicitur, quod, etiamſi decreta hæc conditionata in Sacris literis, vel Sanctis Patribus non habeantur expreſſa, ex illis tamen colliguntur per ſolidam rationem Theologicam: quia ſine huiuſmodi decretis explicari non poteſt, nec defendi certitudo infallibilis, ſeu veritas futurorum contingentium conditionatorum, quæ in Sacris literis, & Patribus habentur, vt *diſp.* 7. *de Auxiliis* oſtenſum eſt.

Ad quartum argumentum iam reſpondi ex profeſſo *diſp.* 7. *de Auxiliis nu.* 32. & nunc breuiter dico, quod quando decretum Dei eſt abſolutum comparatione alicuius futuri contingentis, oportet quod ex eo reſultet aliqua mutatio in creatura pro aliqua differentia temporis; non autem quando decretum eſt conditionatum ex parte obiecti voliti. Tunc enim ſufficit, quod virtute eiuſdem decreti proueniret realis aliqua mutatio in creatura ſi adimpleretur conditio, & in hac reali mutatione, quæ eſſet, ſi impleretur conditio,

Digitized by Google

conditio, fundatur peculiaris ille reſpectus rationis,quo poſt decretum aliter refertur Deus relatione rationis ad futurum illud conditionatum , quàm ſi nullum in Deo decretum circa tale futurum præceſſiſſet.

Ad quintum reſpondetur, Decreta illa conditionata eſſe in Deo libera; & conſequenter potuerunt non eſſe,quantum ad reſpectum rationis , quem dicunt ad creaturas, non autem quantum ad abſolutum , ſecundum quod ſunt idem realiter,& formaliter cum eſſentia diuina, quæ quidem non potuit non eſſe , ſed neceſſariò eſt:neque hoc argumẽtum habet ſpecialem difficultatem in hac materia. Nam etiam poteſt fieri contra volitionem incarnandi, iuſtificandi peccatorem , creandi mundum , & alias huiuſmodi volitiones , quæ ab æterno citra omnem controuerſiam ſunt in Deo.

Ad ſextum argumentum factum pro ſecunda ſententia dicitur , Decreta illa conditionata, quæ conſtituuntur in Deo , nullam includere imperfectionem intrinſecè ex parte actus volendi, ſed ſolùm ex parte obiecti voliti.Et idem dicendum de velleitate , vt *diſp.*34. *de Auxiliis num.*5.viſum eſt.Vnde non repugnat,quòd ſint formaliter in Deo. Et quamuis daretur ſecundùm aliam opinionem non eſſe formaliter , ſed ſolùm eminenter in Deo, nihil concluderet argumentum contra noſtram ſententiam;ſed ſolum probaret decreta illa eſſe in Deo ablatis imperfectionibus.Vnde virtute eorundem decretorum conditionatorum idem prorſus effectus ſequeretur ex hypotheſi, quod impleretur con-

ditio, ac ſi eſſent formaliter in Deo.

Ad ſeptimum argumentum factum poſt tertiam ſententiam pro prima explicatione reſpondetur, quòd antecedenter ad omne liberum decretum voluntatis ſuæ nõ cognoſcit Deus, quid in particulari ſit voluntas noſtra volitura ex hypotheſi, quod in talibus conſtitueretur circunſtantiis, & conſequenter ante idem decretum, etiam non ſcit, quid data eadem hypotheſi per eandem voluntatem ſit ipſe facturus. Sed ſolùm id ſcit poſt eiuſmodi decretum, vt dictum eſt.

Ad octauum reſpondetur ſimiliter, quòd in decreto, quo Deus ſtatuit humiliare inimicos populi Iſraël ex hypotheſi, quòd Iſraël in viis eius ambulaſſet, certò cognouit Deus futurum illud conditionatum; non autem id cognouit antecedenter ad prædictum decretum. Et idem dicendum proportionabiliter ad illud futurum conditionatum, quod tangitur in loco inducto ex *c.26. Matthæi.*

Ad nonum argumentum reſpondetur eodem modo, quod in decreto, quo Deus ſtatuit futuram eſſe incarnationem Verbi ſuppoſito primi parentis peccato, & non aliter, certò cognouit, quòd ſi Adam non peccaſſet, Verbum diuinum carnem humanam non aſſumpſiſſet.

Secundò reſpondetur, Deum quidem certò cognoſcere ea omnia, quæ pendent ex voluntate ſua, ſed tamen ea cognoſcit ſuppoſita determinatione eiuſdem voluntatis, quæ quidem determinatio vel fuit ab æterno in Deo, vel nunquam erit, quia Deus eſt omnino immutabilis. Licet enim effectus ad extra poſſit obiici intel-

lectui

lectui diuino, vt futurus in noſtro tempore in ordine ad nos; volitio autem immanens in ipſo Deo non poteſt eius intellectui obiici, vt futura. Aliàs enim Deus non eſſet immutabilis. Nam inciperet velle aliquid de nouo, quod ab æterno re vera non voluit.

An futura contingentia conditionata ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ habeant in ſe ipſis actualem existentiam ex hypotheſi in æternitate, ratione cuius poſſint ante idem decretum certò à Deo cognoſci.

CAPVT V.

QVIDAM partem defendunt affirmatiuam, quam explicant ſequentibus propoſitionibus.

Dicunt Primò. Nihil poteſt certò, & infallibiliter cognoſci etiam à Deo, vt eſt futurum, neque vt eſt in ſuis cauſſis, ſed ſolùm quatenus eſt præſens & exiſtens. *D.Diotal. pag. 111. & 207. in opuſculo de ſcientia Dei.*

Probant hoc ex S. Thom. qui vbicumque agit de ſcientia futurorum contingentium, ſemper docet, Deum eatenus tantùm ea cognoſcere, quatenus videt illa, vt præſentia æternitati, atque extra cauſſas. Ita docet 1. *part. quæſt.*14. *artic.*13. *in corp.* vbi ſic ait: *Contingens aliquod dupliciter poteſt conſiderari; vno modo in ſe ipſo, ſecundùm quod iam in actu eſt: & ſic nòn conſideratur vt futurum, ſed vt præſens, neque ad*

vtrumlibet contingens: ſed vt determinatum ad vnum: & propter hoc ſic infallibiliter ſubdi poteſt certæ cognitioni, vtpote ſenſui viſus, ſicut cùm video ſortem ludere. Alio modo poteſt conſiderari contingens vt eſt in ſua cauſſa: & ſic conſideratur, vt futurum, & vt contingens nondum determinatum ad vnum, quia cauſſa contingens ſe habet ad oppoſita: & ſic non ſubditur per certitudinem alicui cognitioni. Et in ſolutione ad 2. pro eodem accipit, vt futurum contingens ſubſit certæ ſcientiæ Dei, atque ſit in ſua præſentialitate, ſeu extra cauſſas. Sic enim ait: *Et ſimiliter ſi dicam: ſi Deus ſcit aliquid, illud erit; conſequens intelligendum eſt, pro vt ſubeſt diuinæ ſcientiæ, ſcilicet, pro vt eſt in ſua præſentialitate: & ſic neceſſarium eſt, ſicut & antecedens, quia omne quod eſt dum eſt, neceſſe eſt eſſe, vt dicitur in* 1. *Periherm.* Et in 1. *ſententiarũ d.*38. *ar.* 5. *in reſp. ad* 3. *& ad* 6. expreſſe excludit omnem alium modum certæ & infallibilis cognitionis, per particulam, *niſi.* Inquit enim quòd *futurum contingens non refertur ad cognitionem diuinam, niſi ſecundùm quod eſt in eſſe actuali.* Et in ſolutione ad 4. ſubdit. *Res nõ ponitur ſubiacere ſcientiæ diuinæ, niſi dum eſt in actu, ſecundùm quod determinationem & certitudinem habet. Ipſum enim neceſſe eſt eſſe, dum eſt.* Et *q.*2. *de verit. art.*12. ait: *Ex quo patet, quod contingens vt futurum eſt per nullam cognitionem, cui falſitas ſubeſſe non poſſit, cognoſci poteſt; vnde cùm diuinæ ſcientiæ non ſubſit falſitas, nec ſubeſſe poſſit, impoſſibile eſſet quod de contingentibus futuris ſcientiam haberet Deus, ſi cognoſceret ea vt futura ſunt.* Idem docet 2. *contra gent. cap.*67. *& quæſt.*16. *de malo. articul.*7.

Ergo

Ergo ſecundùm Sanctum Thomam non aliter poteſt Deus certò cognoſcere futura contingentia abſoluta, quàm cognoſcendo illa, vt non amplius futura, hoc eſt vt ſunt in potentia cauſſarum, ſed vt actu exiſtunt præſentia æternitati.

Pro eadem ſentẽtia refertur Capreolus princeps Thomiſtarum in 1.*d.*38. *quæſt.*1.*art.* 2. *per totum*.Ferrar. 1.*cont.gent.cap.*66.§. *ad* 2. *dub.* & *cap.*67. Caiet. 1.*p.* *q.*14.*artic.*13.§. *dicit* 2. Deza Hiſpalen.*in* 1.*diſt.*38.*q.*1.*concl.*2.& 3.& *art.*4.*ad* 7.Aureol.*contra tertiam concluſionem*, & *in præmiſſis pro reſponſione ad argumenta Greg.contra* 4. *concluſionem*. Aquar.*in addit.in Capr.lib.*1.*ſent.* *diſt.*38.*concl.*6.& *ſequentibus*. Cather. *toto libello de præſcientia & prouidentia Dei.* Franciſcus à Chriſto in 1.*diſt.*39. *q.*6. & Palat. *diſt.*38.*q.* 25. Aurel. *c.*1.*diſt.*38.*art.*1. Scot.in 1. *diſt.* 39. *q.*1. & ibi Lichett. atque alij Scotiſtæ. Et hanc putant eſſe abſque vlla diſſenſione omnium Theologorum communem ſententiã. Rationes Theologicæ, quæ primum illud dictum ſuadere videntur,adductæ ſunt & ſolutæ *d.*10.*de Auxiliis.* ***Capreol.*** ***Ferr.*** ***Caiet.*** ***Deza.*** ***Aquar.*** ***Cather.*** ***Franciſcus à Chriſto.*** ***Palat.*** ***Aureolus*** ***Scotus.***

II. Hoc ſuppoſito fundamẽto,vt explicent qualiter Deus ante omne liberum decretum ſuæ voluntatis certò cognoſcat omnia contingentia futura ex hypotheſi, aduertunt:hanc hypotheticam (exempli cauſſa de futuro contingenti)quia Eua conſtituetur in Paradiſo terreſtri, & in his circunſtantiis ita tentabitur à ſerpente, liberè eliciet volitionem comedendi pomum vetitum & peccabit, poteſt accipi tripliciter. Primò quidem tanquam propoſitio coniun- ***Diotal. pag. 225.& ſeqq.***

Digitized by Google

ctione vna, ita vt vtraque eius pars formaliter ſit de futuro ſub ratione futuri. Secundò, ita vt prior pars, licèt quoad ſonum vocis ſit de futuro, quod tamen attinet ad modum cognitionis formaliter ſit de præſenti: quo pacto dum de contingentibus nos dicimus, hoc erit; in mente diuina ſolùm eſt hæc apprehenſio: Hoc eſt in tali differentia temporis. Tertiò denique accipi poteſt, ita vt vtraque pars verè, & formaliter ſit de præſenti ex modo cognitionis; & hypothetica illa cognoſcatur non vt propoſitio coniunctione vna; ſed per modum duarum diſtinctarum apprehenſionum ordinem inter ſe habentium, prout exigit connexio, quam habent obiecta ipſa inter ſe.

III. Eodem modo diſtinguunt propoſitiones de futuris contingentibus conditionatis, quæ reuera nunquàm futura ſunt, eſſent tamen, ſi talis vel talis conditio poneretur in eſſe: qualia ſunt illa quæ habentur Matth. 11. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone facta fuiſſent virtutes quæ facta ſunt in te, in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*; & 1. *Reg.* 23. *Si aſcenderis in Ceilam tradent te*, & ſimilia quæ *diſp.* 7. *de Auxiliis* adducta ſunt. Aiunt enim, quamlibet ex iis propoſitionibus poſſe dupliciter conſiderari. Primò tãquam propoſitionem coniunctione vnã de futuro ſub ratione futuri; ita videlicet, vt conſequens eiuſdem propoſitionis conditionalis eſſet ponendum in eſſe & coniungendum infallibiliter cum antecedente ex hypotheſi, ſeu ex ſuppoſitione; quod idem antecedens poneretur in eſſe. Secundò,

cundò, ita vt illa propoſitio conditionalis accipiatur & cognoſcatur, non quidem vt propoſitio hypothetica coniunctione vna, aut illatiua, cuius conſequens ſequatur ex vi conditionis, ſi purificaretur: ſed per modum duarum diſtinctarum propoſitionum ſimplicium ſignificantium duas res, quarum vna ſupponitur eſſe: altera verò in ſe ipſa cognoſcitur, vt actu exiſtens ex hypotheſi, quia nimirum, eo ipſo quòd cauſſa ſupponitur eſſe, cognoſcitur in ſe ipſo effectus vt actu procedens ex hypotheſi ab eadem cauſſa iuxta modum propriæ naturæ. Vt ſi ſupponamus ſolem, qui nunc exiſtit apud nos, eſſe apud Antipodas; eo ipſo cognoſcimus in ſe ipſo lumen procedens à ſole eſſe apud eoſdem Antipodas ex eadem hypotheſi: quamuis reuera nec ſol, nec lumen à ſole ipſo procedens ſit apud illos.

Dicunt ergo ſecundò: Futura contingentia conditionata, ſi conſiderentur quatenus ſignificantur per propoſitionem hypotheticam coniunctione vnam, non ſunt ſcibilia etiam à Deo certa & infallibili cognitione. Probāt hoc, quia ſub illa ratione ſignificantur vt futura contingentia, & vt ſunt in ſuis cauſſis contingentibus ſi ponerentur in eſſe. Sed futurum contingens in ratione futuri contingentis: & quatenus eſt in ſuis cauſſis non poteſt certa, & infallibili cognitione ab aliquo intellectu cognoſci, ſed ſolū cognitione coniecturali, vt conſtat ex primo dicto, quia cauſſa contingens ſe habet indifferenter ad vtrūlibet: Ergo. Idem dicūt propter

eamdem rationem de illa hypothetica propoſitione cauſſali de futuro contingenti : quia Eua in talibus circunſtantiis tentabitur à ſerpente, comedet de ligno vetito, & de aliis conſimilibus ſignificantibus futura contingentia, quæ reuera ponentur in eſſe. Sentiunt enim, quòd in ratione propoſitionis hypotheticæ cauſſalis de futuro contingenti non ſit cognoſcibilis per certitudinem etiam à Deo.

Diotal. pag. 232.

Dicunt tertiò. Futura contingentia conditionata, ſeu ex hypotheſi, ſi ſecundo modo conſiderentur vt exiſtentia extra ſuas cauſſas, & pręſentia ex hypotheſi in ordine ad Diuinum intuitum, ſub hac ratione, ante omne liberum decretum voluntatis Diuinæ habent obiectiuam veritatem, quæ certiſſimæ præſciétiæ Dei ſubiici poſſint in inſtanti rationis antecedente omnem actum liberum voluntatis diuinæ. Vt autẽ explicent hoc dictum, aduertunt, quod dupliciter poteſt dici aliqua res extra cauſſas exiſtere. Primo modo abſolutè, quatenus videlicet cognoſcitur non ex vi cognitionis cauſſæ, ſed in ſe ipſa vt conflata ex eſſentia & actuali exiſtentia exercita in certa differentia temporis, ita vt judicetur in tali differentia temporis actu & ſimpliciter eſſe. Secundo poteſt cognoſci res vt realiter extra ſuas cauſſas, exiſtens ſolùm ex hypotheſi, quæ quidem cognitio terminatur immediatè ad rem ipſam actu exiſtentem ex hypotheſi, non autem propter aliquam connexionem infallibilem, quæ ſit inter hypotheſim, & rem futuram ex hypotheſi, ſed quia apprehenditur per actum, qui in ipſam immediatè

Digitized by Google

immediatè feratur, eámque intelligenti repræſentet ad modum exiſtentis, & vt conflatam ex eſſentia & exiſtentia actu exercita, abſque iudicio tamen, & affirmatione huius exercitij. Et hoc modo cenſent, futura contingentia conditionata habere determinatam veritatem, quæ ante omne liberum decretum poſſit certò & infallibiliter cognoſci vt exiſtentia ex hypotheſi in æternitate, ſicut ſupra dictum eſt de exiſtentia lucis, quæ ex hypotheſi, quod ſol ſit nunc apud Antipodas cognoſcitur apud eos eſſe, licèt reuera non ſit ibi abſolutè, ſed apud nos.

Probant hoc. Primò, nam dato per hypotheſim, vt cauſſa libera, quæ abſolutè & realiter non exiſtit, actu exiſtat in certis circunſtantiis, in quibus certum habeat obiectũ ſibi cum perfecta cognitione propoſitum; pro primo quidem inſtanti rationis, quod eſt inſtans actus primi, libertas ipſius intelligitur indifferens ad amplectendum illud obiectum, atque ad illud poſitiuè, aut negatiuè per liberam ſuſpenſionem actus reiiciendum. Ex hac tamen ipſa hypotheſi ex natura rei ſequitur, vt in ſequenti inſtanti rationis ſit certus, & determinatus vſus libertatis eiuſdem cauſſæ eligentis illud obiectum liberè, aut liberè reſpuentis. Non quòd ex illa hypotheſi inferatur immediatè, & determinatè volitio, aut nolitio, aut libera ſuſpenſio vtriuſque: ſed quia cum illa hypotheſi incompoſſibile eſt, vt cauſſa libera in ſecundo inſtanti rationis non ſit in actu ſecundo libero, qui tamen non poteſt eſſe niſi certus, & determinatus, quem voluntas pro ſua libertate eligit, *Primũ arg.*

cùm potuerit alium eligere; ſed actus certus & determinatus poteſt infallibiliter cognoſci à Deo per propriam cognitionem,quæ immediatè in ipſum feratur, vt actu exiſtentem ex hypotheſi in æternitate.Ergo.

Confirmant hoc. Id ad quod cauſſa ſecunda libera pro ſua innata libertate ſe determinat, quando de facto eſt conſtituta in talibus circunſtantiis, & cum tali propoſitione obiecti,ad id ipſum ſe determinaret ex hypotheſi quod in eiſdem circumſtantiis conſtitueretur,& proponeretur ſibi idem obiectum, vt patet in Eua: Quia enim de facto conſtituta in Paradiſo voluptatis tentata à ſerpente; & propoſito ſibi pomo vetito ſe determinauit ad illicitam eius comeſtionem, rectè colligimus ex eadem hypotheſi futuram eamdem illicitam comeſtionem, etiamſi Eua nunquam producta fuiſſet in rerum natura. Ergo ſicut comeſtio illicita, quæ abſolutè fuit in rerum natura per liberam voluntatem Euæ eſt abſolutè exiſtens in æternitate, ratione cuius exiſtentiæ Deus ab æterno certò cognouit comeſtionem illicitam Euæ abſolutè futuram, ita etiam eadem illicita comeſtio futura ex illa hypotheſi eſt exiſtens ex eadem hypotheſi in æternitate, ac per conſequens certò cognoſcitur à Deo, non vt futura; ſed vt actu exiſtens ex hypotheſi in æternitate.

VI. Secundò probant ſpecialiter, quod eiuſmodi futura contingentia conditionata habeant determinatam veritatem obiectiuam cognoſcibilem à Deo ante omne liberum decretum voluntatis

luntatis diuinæ. Etenim in multis locis Scripturæ prædicuntur multa peccata futura ex hypotheſi, quæ abſolutè reuera futura non erant, vt patet 1. *Reg.* 23. Si aſcenderis in Ceilam, tradent te, & 3. *Reg.* 11. *Non ingrediemini ad eas, neque ex illis ingredientur ad veſtras, certiſſimè enim auertẽt corda veſtra vt ſequamini Deos earum.* Vbi includitur iſta conditionalis, ſi mulieres illæ ingreſſæ fuerint ad vos, aut vos ad eas, auertent corda veſtra, &c. Sed Deus nullum habuit decretũ etiam conditionatum vt peccata illa, vel actus mali fierent ex hypotheſi: ergo ante omne liberum decretum etiam conditionatum illa futura ex hypotheſi erant certò & infallibiliter Deo cognita.

Tertiò, *Matt.* 11. & *Luc.* 10. dicitur: *Si in Tyro & Sidone facta eſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Quibus ſanè verbis ſignificatur, Deum certò & infallibiliter cognouiſſe pœnitentiam Tyriorum & Sidoniorum futuram ex hypotheſi, quod in actu primo eodem modo penſatis omnibus cõſtituti fuiſſent, ſicut de facto cõſtituti fuerunt viri Corozaim, & Bethſaidæ, nimirum ſi eædẽ virtutes & miracula apud eos facta fuiſſent, & donata illis interior inſpiratio & gratia excitans, quæ donata fuit viris Corozaim & Bethſaidæ. In hoc autem conditionato nullum includitur decretum Dei, quo voluerit Tyrios & Sidonios ad ſe conuertere, aut gratiam efficacem eis donare ex hypotheſi, quod apud illos eiuſmodi miracula facta fuiſſent. Ergo ante omne liberum decretum pœnitentia illa Tyri & Sidonis futura ex hypotheſi

hypotheſi erat certitudine infallibili Deo cognita. Minor probatur. Aliàs exprobratio illa Chriſti Domini videretur irrationabilis. Nam ridicula eſt ea exprobratio, qua reprehenditur quiſpiam, quòd non præſtiterit illud, ad quod auxilio carebat planè neceſſario; cùm tamen illud ipſum præſtaturus fuerit alius, ſi eodem auxilio non careret.

VII. Confirmatur primò, eadem minor: quia fruſtra videretur Chriſtus Dominus vim feciſſe in virtutibus, quæ oſtenſæ fuerant illis vrbibus: Illa enim perexiguum erant donum, habita ratione ad auxilium gratiæ prædeterminantis ad pœnitentiam neceſſariæ, quam tamen Deus denegauit viris Corozaim & Bethſaidæ. Ergo ſi Deus decreuit conuertere Tyrios & Sidonios, & dare illis auxilium efficax prædeterminans ad pœnitentiam ex hypotheſi, quòd apud eos ſigna illa facta fuiſſent: ſequeretur, quòd non ex eo pœnitentiam egiſſent, quòd apud eos fierēt virtutes, ſed ex eo quòd phyſicè ad pœnitentiam prædeterminarentur, ad quam tamen prædeterminati non ſunt viri Corozaim & Bethſaidæ, ac per conſequens obiurgatio illa Chriſti Domini irrationabilis videretur.

Confirmatur ſecundò. Si credituri fuiſſent Tyrij & Sidonij, quia ſi miracula vidiſſent, Deus ex ſe decreuerat phyſicè illos prædeterminare ad credendum & pœnitentiam agendum, ſequeretur, nullum fuiſſe diſcrimen inter Tyrios ac Sidonios, & inter alios quoſcunque, nam alij etiam quicunque viſis miraculis & habita prædeterminatione phyſica ad credendum, vel pœniten

nitendum, fuiſſent pariter credituri, vel pœnitentiam acturi. Non ergo ſubintelligendum eſt decretum illud conditionatum circa Tyrios & Sidonios, cùm præſertim inter propoſitionem affirmatiuam & negatiuam diſcrimen tantummodò eſſe debeat propter affirmationem & negationem, non ob variationem aliorum; quod ſatis oſtendit, Tyrios, & Sidonios, cùm dicuntur viſis miraculis fuiſſe credituri, intelligendos eſſe præditos æqualibus auxiliis, cum iis qui, viſis eiuſdem miraculis, dicuntur non fuiſſe credituri.

Quartò argumentantur ratione. Decretum illud conditionatum circa omnia contingentia, quæ Deus præſcit ſub conditione futura, inauditum ſemper fuit, & ſecundùm nomen, & ſecũdùm rem ipſam inter Scholaſticos ante exortam hanc controuerſiam. ergo nulla ratione videtur admittendum, ac per conſequens ante omne liberum decretum certò cognoſcit Deus omnia contingentia futura ex hypotheſi.

Quintò. Si Deus oblatis ſibi per intellectum omnibus hominibus, decreuit quoſdam prædeterminare ad credendum, ſi apud eos fierent miracula, alios verò non prædeterminare, etiam ſi miracula viderent, vel hoc decretum conditionatum fuit prius ordine rationis decreto abſoluto de perducendis ad fidem aliquibus ex iis, circa quos verſatur illud conditionatum decretum, & de permittenda infidelitate aliorum; vel fuit poſterius, vel omnino ſimul. Nullũ iſtorum dici poteſt. Ergo non eſt admittendum tale decretum conditionatum. Minor, quod nõ fue-

rit

rit poſterius vel ſimul,probatur. Nam præſcientia conditionata, quod aliqui ſint crediturí, ſi viderent miracula, aliqui verò non ſint credituri, antecedit decretum abſolutum illis ſubueniendi per oſtenſionem miraculorum, hoc eſt, per decretum abſolutum eos ad fidem perducendi, vel deſerendi in infidelitate, vt conſtat ex S.Tho. 1.*p.qu.* 1. *artic.*5. *in reſponſione ad* 2. Vbi adducit verba illa Sancti Auguſtini *libro de dono perſeuerantiæ,c.*10. *Proinde, ſicut Apoſtolus ait, non eſt volentis, neque currentis: ſed miſerentis Dei, qui his quos præuidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros, quibuſdam ſubuenit, quibuſdam non ſubuenit, de quibus aliud occultè quidem, ſed iuſtè in ſua prædeſtinatione iudicauit.* Ex quibus verbis colligitur, quòd præſcientia conditionata antecedat in ſigno rationis decretum abſolutum ſubueniendi per miracula iſtis, & non illis. Ergo decretum illud conditionatum, quod eadem præſcientia conditionata requirit, non eſt poſterius, vel ſimul cum prædicto decreto abſoluto. Quod autem etiam nõ poſſit eſſe prius probatur. Nam ordo rationis qui inter actus diuinos conſtituitur à Theologis, non eſt ordo pro arbitratu noſtro confictus, ſed habere debet fundamentum aliquod in re. Sed nullum poteſt eſſe in re fundamẽtum, quo in Deo conſtitui poſſit, aut debeat noſtro modo intelligendi decretum illud conditionatum ante decretum abſolutum comparatione eiuſdem obiecti: quin potius id videtur repugnare perfectioni diuinæ, quia oporteret vt gradum faceret ab imperfecto ad perfectum, atque à decreto condi-
tionato

Auguſt.

tionato ad decretum abſolutum : & prius in ſigno rationis deliberare ſub conditione, ſi hoc facerem, expediret facere illud, & vellem illud ipſum executioni demandare; & ſi hunc rerum ordinem conſtituerem, hæc aut illa eidem annectere vellem, ac per conſequens deberet per hos actus gradum facere ad decretum abſolutum faciendi aliquid, vel non faciendi, quod tamen admitti non poteſt. Ergo non eſt admittendum in Deo illud decretum conditionatum.

Confirmatur. Vt conſtat ex Sancto Thoma *3. p. q. 1. art.* 3. hæc conditionalis contingens eſt veriſſima : ſi Adam non peccaſſet, filius Dei incarnatus non fuiſſet ; & conſequenter vera eſt etiam hæc : ſi Adam non peccaſſet, non habuiſſet Deus liberum illud, & abſolutum decretum de Incarnatione Verbi, quod habuit de facto : & ab æterno vtraque propoſitio fuit vera, & concepta ſub terminis de futuro. Harum autem propoſitionum veritas non pendet ab aliquo Dei decreto conditionato, ſed quocumque diuino decreto eſt prior. Ergo ſcientia contingentium ſub conditione futurorum in Deo eſt ante decretum. Minor probatur ratione facta; quia ſi hæc ſcientia conditionata pendet ab aliquo Dei decreto conditionato, vel hoc antecedit decretum abſolutum creandi Adam in illis circunſtantiis, in quibus præſciebat illum peccaturum comedendo de ligno vetito, vel fuit poſtea, aut omnino ſimul. Primum non poteſt dici. Nam ante illud decretum Adam ſolum erat ens poſſibile. Ergo ſi circa illum pro tali ſigno rationis admittatur illud IX.

decretum

decretum conditionatum, ſimilia etiam decreta conditionata admittenda erunt circa alia omnia poſſibilia, quæ ſanè ſuperuacanea ſunt circa ea præſertim poſſibilia, quæ de facto nunquam erunt. Nec etiam poteſt dici, quòd illud decretum conditionatum fuerit in ſigno rationis poſterius decreto abſoluto creandi Adam in Paradiſo in illis circunſtantiis, in quibus præuidebat peccatum eius futurum; quia poſt præuiſum peccatum Adæ abſolutè futurum habuit Deus decretum abſolutum, quo voluit incarnationem futuram in remedium peccati Adæ. Ergo non potuit in eodem ſigno habere decretum conditionatum non incarnandi, ſi Adam non peccaſſet. Nam decretum conditionatum debet eſſe, aut intelligi ante purificatam conditionem. Quòd verò illa duo decreta, nimirum decretum abſolutum creandi Adam in illis circumſtantiis, in quibus præſciebat peccatum eius futurum, & decretum conditionatum non incarnandi, ſi Adam non peccaſſet, non potuerint aliquo modo eſſe vnum, nec ſimul, probatur. Nam iuxta contrariam ſententiam decretum abſolutum incarnationis fuit poſt præuiſum Adæ peccatũ abſolutè futurum. Si ergo decretum conditionatum nõ incarnandi, ſi Adam nõ peccaſſet, fuit ſimul ratione cum hoc decreto abſoluto; ſequitur quod etiam decretum illud conditionatum non incarnandi fuerit poſt illam præuiſionem peccati abſolutè futuri: hoc autem eſt impoſſibile. Nam poſtquam Deus ſciuit conditionem purificatam, hoc eſt, peccatum abſolutè futurum, non potuit habere

Digitized by Google

habere voluntatem non incarnandi conditionatam per ordinem ad hanc conditionem: ſi nimirum peccatum non eſſet. Ergo in eo inſtanti rationis poſt præuiſionem peccati Adæ ſolum habere potuit decretum abſolutum incarnationis limitatum ad hunc finem redemptionis humanæ. Relinquitur ergo, prædicta futura conditionata certò & infallibiliter fuiſſe Deo cognita ante omne liberum decretum voluntatis eius.

X.

Quartum dictum inferunt. Eiuſmodi ſcientia futurorum conditionatorum non eſt dicenda ſcientia media, ſed ſcientia actu exiſtentium ex hypotheſi, & reducitur ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Quod probant, quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt illa, quæ antecedit omne liberum decretum voluntatis diuinę, & reſpicit obiectum poſſibile, quod reuera non eſt abſolutè futurum aut præſens, vel præteritum pro aliqua differentia temporis; ſed ſcientia conditionatorum antecedit omne liberum decretum voluntatis diuinæ, & eius obiectum non eſt abſolutè futurum, neque exiſtens pro aliqua differentia temporis, licet ſit æternitati præſens ex hypotheſi: ergo pertinet ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. *Quintum argumētum.*

Hæc tamen ſententia & multa ſupponit quæ nullum habent ſolidum fundamentum, & dum fugere vult inconuenientia, quæ inferuntur ex ſcientia media eo modo explicata quo ab alijs recentioribus traditur, in eadem tandem inconuenientia, aut multa maiora videtur incidere. Et vt diſcurramus per ſingula, & dubitationem

præſentem diſſoluamus,ſtatuendæ ſunt & probandæ ſequentes concluſiones.

XI. Prima concluſio contra primum dictum: Certum eſt præſertim in ſententia Sancti Thomæ, Deum non ſolùm cognoſcere infallibiliter futura contingentia, prout extra ſuas cauſſas, actu exiſtunt in ęternitate: Sed etiam prout ſunt in ſuis cauſſis prædeterminatis,& non impeditis,nec impediendis,præſertim in decreto abſoluto ſuæ voluntatis,quo ſtatuit vt fierent.Hanc concluſionem probaui *diſp.* 10.*de Auxiliis* , & *duabus ſequentibus*. Sed nunc ſpecialiter probatur,ex Sancto Thoma *de veritate q.* 3. *articulo* 6. Vbi ait: *Idea poteſt eſſe eius,quod nec eſt,nec erit,nec fuit:non tamen eo modo ſicut eſt eorum,quæ ſunt,vel fuerunt,vel erunt producenda: quia ad ea quæ ſunt, vel fuerunt, vel erunt producenda determinatur ex propoſito diuinæ voluntatis, non autem ad ea , quæ nec ſunt,nec erunt,nec fuerunt:& ſic huiuſmodi habent quodammodo Ideas indeterminatas.* Ex quibus verbis colligitur , Deum in Ideis determinatis per eius voluntatem certò cognoſcere quicquid in aliqua differentia temporis , vel in æternitate exiſtit.Certitudo autem ſcientiæ diuinæ prius terminatur noſtro modo intelligendi ad ipſum Deum tanquam ad obiectum primarium,quàm terminetur ad creaturas,quę ſunt obiectum eius ſecundarium: ergo iuxta mentẽ S.Tho.certò cognoſcit Deus in decreto ſuę voluntatis,ſiue in Ideis determinatis per idem decretum futura contingentia prius in ſigno rationis quàm intelligatur , vt actu exiſtunt extra cauſſas in menſura æternitatis.

Deus certò cognoſcit futura contingentia, & prout actu exiſtunt in æternitate & vt ſunt in cauſſis determinatis.

Item

Item etiam *lib.* 1*.contra gent.cap.* 66*.poſt* 6*.*rationem ait: *Ea verò , quæ ſunt præſentia, præterita, vel futura nobis , cognoſcit Deus ſecundùm quod ſunt in potentia ſua, & in propriis cauſſis, & in ſeipſis: & horum cognitio dicitur notitia viſionis: non enim Deus rerum quæ apud nos nondum ſunt, videt ſolum eſſe, quod habent in ſuis cauſſis, ſed etiam illud, quod habent in ſe ipſis, in quantum eius æternitas eſt præſens ſua indiuiſibilitate omni tempore.* Et c. 67. *in* 3*.ratione* ait: *Sicut ex cauſſa neceſſaria ſequitur effectus certitudinaliter : ita ex cauſſa contingenti completa, ſi non impediatur. Sed cùm Deus cognoſcat omnia, vt ex ſupradictis patet, ſcit non ſolùm cauſſas contingentium, ſed etiam ea quibus poſſunt impediri. Scit igitur per certitudinem an contingentia ſint, vel non ſint.* Vbi per cauſſam contingentem completam, & non impeditam intelligit cauſſam determinatam ad effectum , & non impeditam ab alia cauſſa. Completur enim cauſſa contingens extrinſecè quidem per decretum Dei, quo præordinauit; vt illa cauſſa contingens produceret talem effectum , intrinſecè verò per motioné præuiam, qua in tẽpore applicatur ad producendũ eundem effectum, vt *diſp.* 18.19.22.*&* 23*.de Auxiliis* oſtendi. Sentit ergo Sanctus Thomas Deũ certò cognoſcere futura cõtingẽtia, nõ ſolùm pro vt actu ſunt in ſeipſis, ſed etiã prout ſunt in ſuis cauſſis determinatis, & nõ impeditis.

Præterea etiam in *eodem libro cap.* 68. explicans qualiter Deus cognoſcat motus voluntatis creatæ, ſic ait in principio capitis: *Deinde oportet oſtendere, quòd Deus cogitationes mentium, & voluntates cordium cognoſcat in virtute cauſſæ, cùm*

Digitized by Google

ipſe ſit vniuerſale eſſendi principium. Et in ſecunda ratione ſubdit: *Sic Deus cognoſcendo ſuam eſſentiam, alia cognoſcit; ſicut per cognitionem cauſſa cognoſcuntur effectus: omnia igitur Deus cognoſcit ſuam eſſentiã cognoſcendo, ad quã ſua cauſſalitas extenditur: extẽditur autẽ ad operationes intellectu & voluntatis. Nã cùm qualibet res operetur per ſuam formam à qua eſt aliquod eſſe rei, oportet fontale principium totius eſſe, à quo eſt etiam omnis forma, omnis operationis principium eſſe: cùm effectus cauſſarum ſecundarum in cauſſas primas principaliter reducantur. Cognoſcit igitur Deus cogitationes, & affectiones mentis.* Id ipſum confirmat *in* 3. *ratione* cùm ſubdit: *Sicut eſſe ſuum eſt primum, & per hoc omnis eſſe cauſa: ita ſuũ intelligere eſt primũ, & per hoc omnis intellectualis operationis cauſſa. Sicut igitur Deus cognoſcendo ſuum eſſe, vel intelligendo cognoſcit eſſe cuiuslibet rei, ita cognoſcendo ſuum intelligere, & velle, cognoſcit omnem cogitationem & voluntatem* Ecce aperriſſimè dicit Sanctus Thomas, quòd Deus cognoſcendo ſuum intelligere, & velle, cognoſcit omnem cogitationem & motum voluntatis. Sentit ergo, Deum non ſolùm cognoſcere futura contingentia libera, prout habent eſſe actuale extra ſuas cauſſas in mẽſura æternitatis, ſed etiam in decreto ſuæ voluntatis, quo abſolutè præordinauit vt actus illi per voluntatem creatam fierent ſecundùm omnem rationem entitatis, & bonitatis quam habent. Et in calce eiuſdem capitis ex cauſſalitate & influentia ſuperioris cauſſæ vniuerſaliſſimæ, àqua omnis voluntas creata participat eſſe, & operari, concludit in hæc verba: *Et ſic manet cauſſalitas in*

tas in cauſa prima, quæ Deus eſt reſpectu motuū voluntatis, vt ſic Deus ſeipſum cognoſcendo huiuſmodi cognoſcere poſſit. Id eſt, cognoſcendo decretum ſuæ voluntatis, qua omnia, quæ voluit, fecit in cœlo, & in terra, cognoſcit cogitationes cordiū pro vt ſunt in intellectu, & affectiones prout ſunt in voluntate. Idem ſentit Ferrarienſis *eodem cap.* præſertim in ratione 4 & alij Doctores inferius allegandi. Et 1. *p. q.* 57. *artic.* 4. loquens de cogitationibus, prout ſunt in intellectu & affectionibus, pro vt ſunt in voluntate, ait: *Sic ſolus Deus cogitationes cordium, & affectiones voluntatum cognoſcere poteſt. Cuius ratio eſt, quia voluntas rationalis creaturæ ſoli Deo ſubiacet, & ipſe ſolus in eam operari poteſt qui eſt principale eius obiectum, & vltimus finis. Et ideo ea, quæ ex voluntate ſola dependent, vel quæ in voluntate ſola ſunt, ſoli Deo ſunt nota.* *Ferrar.*

XII. Secundò probatur ratione. Si voluntas creata eſſet immutabilis, & non poſſet impediri per concurſum alterius cauſſæ, ne fieret quod ipſa decreuit, eo ipſo quod ſtatuit operari craſtina die aliquem effectum contingentem, certò cognoſceret effectum illum eſſe futurum, ſed Deus ab æterno decreuit, vt fierent ſtatutis temporibus omnes effectus liberi, & contingentes, qui re ipſa fiunt, vt *diſp.* 22. *de Auxiliis* oſtendi, & voluntas eius eſt immutabilis, & impediri non poteſt per aliam cauſſam, ne fiat quod ipſe decreuit, vt Sanct. Auguſtinus ait in *Enchir. ad Laur. cap.* 96. & alijs in locis infra adducendis: Ergo eo ipſo quòd ab æterno cognoſcit decretum ſuæ voluntatis, quo ſtatuit tales effectus

operari per tales cauſſas liberas & contingentes, cognoſcit certò & infallibiliter effectus illos ſtatutis temporibus eſſe futuros.

Tertiò. In cauſſis contingentibus omnino indeterminatis ex eo non poteſt certò cognoſci determinatus effectus futurus, quia cauſſa contingens ſe habet ad vtrumlibet, & niſi determinetur ad alteram partem, non exit ab ea determinatus actus, qui poſſit certitudine infallibili cognoſci. Sed hæc ratio non procedit de cauſſis contingentibus ſecundùm quod ſubſunt efficaci motioni diuinæ, & ſecundùm quod decreto abſoluto voluntatis Dei prædeterminantur ad tales effectus conformiter ad ſuam naturam producendos: nam ex cauſſa contingenti ſic determinata ſequitur infallibiliter determinatus effectus, qui poſſit à Deo per certitudinem cognoſci. Ergo Deus in ſuo decreto, & in prædeterminatione cauſſæ contingentis certò cognoſcit omnes effectus futuros contingentes, & liberos.

Confirmatur. Id quod eſt aliqua neceſſitate neceſſarium, etiam ſi abſolutè & ſimpliciter ſit in ſe ipſo contingens, poteſt per certitudinem cognoſci. Hac enim ratione Deus cognoſcit certò futura contingentia, vt actu exiſtunt in æternitate; quia ſub hac ratione habent quãdam neceſſitatem, qua videlicet omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt, eſſe, vt dicitur 1. *Perihermen. c. 6.* quamuis eadem futura contingentia in ſe ipſis abſolutè conſiderata, nullam prorſus neceſſitatem habeant, ſed poſſint non eſſe. Hac ratione vtitur Sanctus Thomas 1. *p. q.* *S. Thom.*

14. *art.*

14.*art*.13.& alibi ſæpè ad probandum Deũ certò cognoſcere futura contingentia prout ſunt in ſua præſentialitate. Sed etiam eadem futura cõtingẽtia, prout ſunt in ſuis cauſſis, prædicto modo determinatis, induunt aliquam rationem neceſſitatis ſeu infallibilitatis, ratione cuius habent determinatam veritatem, qua poſſint certò & infallibili cognitione à Deo cognoſci antequàm fiant. Nam eiuſmodi actus contingentes futuri habent neceſſitatem infallibilitatis prouenientẽ tanquam ex prima radice ex decreto abſoluto Dei volentis vt fiant, ſicut *diſp*.25. *de Auxiliis* oſtendi: quæ quidẽ neceſſitas cùm non ſit neceſſitas ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, libertati & contingentiæ eorundem actuum non obſtat, vt in eadem *diſp.& diſp*.22. & 23. viſum eſt. Ergo.

Quartò. Tunc cognitio aliqua eſt infallibilis, quando non ſtant ſimul hæc duo, quòd nimirũ cognitio ſit, & obiectum non ſit, aut aliter ſe habeat, quàm cognoſcatur: Sicut me cognoſcente, & iudicãte quòd Petrus in hoc inſtanti currit, ſi reuera Petrus nõ ſit in rerũ natura, aut ſi eſt, nõ currit, mea cognitio erit falſa; quia intellectus cognoſcens rem aliter quàm eſt, falſus eſt: ſi autẽ currit, etiã ſi poſſit nõ currere, mea cognitio erit vera; quia per illã cognoſco rem eo modo, quo eſt. Sicut .n. ab eo quod res eſt, vel nõ eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa: ita & cognitio dicetur vera vel falſa ab eo quod res eſt, vel nõ eſt. Sed eſt impoſſibile hæc duo ſimul eſſe vera, quòd nimirum Deus abſoluto decreto velit aliquẽ actũ fieri tali tẽpore à cauſſa ſecũda cõtingẽte, & libera, & quod actus ille nõ fiat, vt cõſtat

 ex San-

ex Sancto Thoma 1.2.*quæſt.*112.*artic.*3.*in corpore* & 2.2.*quæſt.* 24.*ar.* 11. Et ex Sancto Auguſtino *in Enchirid.cap.*96. Ergo eo ipſo quòd Deus ab æterno cognoſcit ſuum decretum, certò ſcit in illo eundem actum contingentem eſſe futurum, & idem erit de omnibus alijs actibus contingentibus futuris.

XIV. Secunda concluſio. Illa diſtinctio propoſitionis conditionalis, videlicet vt eſt propoſitio hypothetica coniunctione vna, & vt habet rationem duarum ſimplicium propoſitionum; & altera diſtinctio, qua aliquid dicitur actu exiſtere in æternitate extra ſuas cauſſas, vel abſolutè, vel ex hypotheſi, quæ quidem diſtinctiones ſupponuntur ad explicationem dicti ſecundi, & tertij prioris ſententiæ, non videntur admittendæ. Probatur hoc, quia videntur nouæ, & in nullo Doctore antiquo habent fundamentum, quin potius illa prior diſtinctio, ſeu duplex acceptio futuri conditionati repugnat propoſitioni conditionali de futuro contingenti. Nam talis propoſitio ex ſua intrinſeca natura eſt hypothetica & coniunctione vna. Etenim iſta propoſitio: Si Petrus craſtina die petet eleemoſynam à Paulo diuite, obtinebit illam, nullum poteſt habere ſenſum, niſi propoſitionis hypotheticæ; cuius partes coniunguntur per illam copulam, *ſi*. Nec enim ſignificat illa propoſitio, quòd Petrus petet eleemoſynam, vel Paulus dabit illi; ſed ſolùm ſignificat conditionaliter, quòd ſi Petrus petierit, Paulus dabit eleemoſynam. Vnde ad veritatem & certitudinē huius propoſitionis, vel obiecti ſignificati per ipſam, neceſ-

Digitized by Google

neceſſariò requiritur; quod ſi ponatur in eſſe antecedens, ponendum ſit etiam in eſſe infallibiliter ipſum conſequens, nec requiritur ad veritatem eiuſdem propoſitionis quod Petrus petat eleemoſynam, neque quod Paulus det. Cùm ergo vna propoſitio non poſſit accipi ſub ratione formali oppoſita naturæ eiuſdem propoſitionis, niſi magna vis eiſdem inferatur, vel concedatur licentia fingendi pro libito acceptiones propoſitionum, relinquitur, propoſitionem conditionalem de futuro contingenti accipi non poſſe, niſi vt eſt propoſitio hypothetica coniunctione vna.

XV. *Nullum futurũ contingens etiam conditionatum habet determinatam veritatem ante decretum Diu. Voluntatis.*

Tertia concluſio. Ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ præordinantis, quid ſit futurum vel abſolutè, vel ex hypotheſi, nullum futurum contingens conditionatum habet determinatam veritatem, nec eſt cognoſcibile ſcientia certa etiam à Deo, vt actu exiſtens ex hypotheſi in æternitate, ſed ſolùm vt poſſibile fieri. Atquè adeo, etiam ſi diſputationis gratia admitteretur illa duplex acceptio propoſitionis conditionalis de futuro contingenti, & ſimiliter altera diſtinctio exiſtentium actu in æternitate, vel abſolutè, vel ex hypotheſi, adhuc nihil iuuant ad defendendam vel explicandam ſententiam, quæ aſſerit eſſe in Deo conſtituendum ante omne liberum decretum voluntatis eius ſcientiam infallibilem futurorum contingentium conditionatorum à voluntate creata dependentium, quod ſic oſtenditur.

Primò. Nam eadem argumenta, quę conuincunt, nullum contingens liberum ante omne

decretum voluntatis diuinæ eſſe nobis infallibiliter futurum ex hypotheſi, vel coniungendú infallibiliter cum antecedenti propoſitionis conditionalis, ſi poneretur in eſſe, probant etiam efficaciter eſſe impoſſibile, quòd ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ eadem futura contingentia conditionata ſint præſentia, vel exiſtant actu ex hypotheſi in æternitate. Quia ſicut nullum futurum contingens eſt abſolutè preſens in æternitate, niſi etiam ſit in aliqua differentia temporis futurum abſolutè in ordine ad nos: ita eſt impoſſibile, quod aliquid ſit præſens actu ex hypotheſi in æternitate, niſi etiam ſit reuera in aliqua differentia temporis futurum ex hypotheſi in ordine ad nos. Cùm ergo auctores, cum quibus diſputamus, fateantur in ſecundo dicto, propoſitionem conditionalem de futuro contingenti non poſſe certò cognoſci, vt eſt propoſitio hypothetica coniunctione vna ſignificans rem contingentem futuram ex hypotheſi: eò quòd res illa, quæ dicitur futura, non habet determinatam veritatem, vel infallibilem connexionem cum conditione, ſi poneretur in eſſe; neceſſe eſt etiam vt concedant, ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ eadem futura conditionata non eſſe præſentia, neque actu exiſtere ex hypotheſi in æternitate, ac per conſequens ante idem decretum non eſſe certò cognoſcibilia etiam à Deo: neque vt futura nobis ex hypotheſi, neque vt actu exiſtentia ex hypotheſi in æternitate.

Secundò id ipſum probatur. Cùm aſſerunt, Deum ante omne liberum decretum ſuæ volú-

tatis

tatis intueri in ſeipſis futura contingentia conditionata, vt ſunt actu præſentia ex hypotheſi in æternitate, videntur petere principium. Contẽdimus enim, quod ſicut nihil poteſt eſſe, aut intelligi per voluntatem creatam futurum in ordine ad nos ex hypotheſi, quòd talis conditio poneretur in eſſe, niſi prius intelligatur decretum, quo Deus ſtatuit, vt illud futurum conditionatum fiat, ſi purificetur conditio : ita etiam nihil poteſt certò cognoſci ante idem decretum voluntatis diuinæ, vt actu exiſtens ex hypotheſi in æternitate.

Tertiò. Auctores huius ſententiæ videntur in ſuis dictis manifeſtam contradictionem implicare. Quia ex vna parte fatentur, ſcientiam conditionatam, quam in Deo conſtituunt ante omne liberum decretum, non eſſe ſcientiam mediam, nec pertinere ad ſcientiam viſionis, ſed ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ : & ex alia contendunt, Deum per eandem ſcientiã conditionatam certò cognoſcere futura contingentia cõditionata, prout ſunt in ſe ipſis actu extra ſuas cauſſas exiſtentia ex hypotheſi in æternitate: quæ duo non videntur inter ſe poſſe cohærere: nam ſcientia, qua Deus videt futura contingentia pro vt actu exiſtunt abſolutè in æternitate, eſt ſcientia viſionis. Ergo ſi Deus videt futura conditionata, pro vt in æternitate actu exiſtunt ex hypotheſi, talis ſcientia dicenda erit ſcientia viſionis ex hypotheſi, & pertinebit ad ſcientiã viſionis, potiùs quàm ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: hoc autem in eorum ſentẽtia non poteſt admitti. Nam, vt ipſi fatentur, XVI.

ſcien-

Digitized by Google

ſcientia, quæ in Deo ordine rationis antecedit omne liberum eius decretum, eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ & merè naturalis. Cùm ergo affirment ſcientiam futurorum conditionatorum eſſe in Deo ante omne liberum decretum voluntatis eius, conſequenter dicere tenentur, eandem ſcientiam ſi daretur, non eſſe viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ; ac per conſequens non terminari ad res actu exiſtentes ex hypotheſi in menſura æternitatis.

XVI. Quartò Probatur. Etiam poſt decretum conditionatum, quo Deus ſtatuit, vt ſit talis actus contingens ex hypotheſi, quòd talis conditio poneretur in eſſe, adhuc futurum illud contingens non habet aliquod eſſe actuale exiſtentiæ in æternitate, ſed ſolùm haberet illud, ſi conditio poneretur in eſſe, ſicut etiam ex eodem decreto haberet eſſe actuale in aliqua differentia temporis ex eadem hypotheſi. Ergo multo minus habet ante omne decretum voluntatis diuinæ aliquod eſſe actualis exiſtentiæ etiam ex illa hypotheſi, ratione cuius poſſit certò à Deo cognoſci.

Confirmatur. Ante omne decretum voluntatis diuinæ res ſolùm habent eſſe poſſibile; eo quòd per Dei potentiam poſſunt produci & exiſtentiam habere. Ergo non ſunt cognoſcibiles certa ſcientia, niſi vt poſſibiles. Ergo non poſſunt cognoſci, vt actu exiſtunt ex hypotheſi.

Confirmatur ſecundò. Omnes res poſſibiles eſſent futuræ ex hypotheſi, quòd Deus vellet eas producere, & conſequenter ex eadem hypotheſi ſi haberent eſſe actualis exiſtentiæ in æternitate

nitate: & tamen de facto non cognoſcuntur à Deo per ſcientiam conditionatam, ſed per ſcientiam abſolutam ſimplicis intelligentiæ, quæ terminatur ad creaturas, vt ſunt poſſibiles, & vt habent eſſe in potentia Dei. Ergo ante omne liberum decretum voluntatis diuinę tam res merè poſſibiles, quàm futura contingentia conditionata non ſunt per certitudinem cognoſcibiles etiam à Deo vt futuræ nobis ex hypotheſi, neque vt actu exiſtentes ex hypotheſi in æternitate, ſed ſolùm vt exiſtentes poſſibiliter. Ex ijs facilè ſoluuntur argumenta facta pro primo & tertio dicto prioris ſententiæ.

Ad loca S. Thomæ in principio huius dubitationis adducta reſpondetur, Sanctum Doctorem expreſſis verbis docuiſſe noſtram ſententiam, vt concluſione prima oſtenſum eſt. Neque alicubi contradicit eidem. Etenim cùm ait futura contingentia, vt ſunt in ſua cauſſa, non poſſe per certitudinem cognoſci & ſimilia, intelligendus eſt de futuris contingentibus, pro vt ſunt in cauſſa contingenti, indifferenti, incompleta, & indeterminata; aliàs contradiceret ſibiipſi, qui in locis ſuperius inductis apertè docet, Deum in decreto ſuæ volũtatis, & in cauſſis cõtingentibus cõpletis, & nõ impeditis, nec impediendis certò cognoſcere futura cõtingentia. Et iuxta hanc doctrinam intelligendus eſt, quãdo inquit, quòd *Deus cognoſcit futura contingentia non ſolùm ſecundùm quod in ſe ipſis ſunt, ſed etiam ſecundùm quod ſunt in ſuis cauſſis.* intelligitur de cauſſis determinatis, & non impeditis, vel impediendis. Cùm ergo diuina voluntas **XVII.** *Ad* **S. Tho.**

ſe i-

ſcientia, quæ in Deo ordine rationis antecedit omne liberum eius decretum, eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ & merè naturalis. Cùm ergo affirment ſcientiam futurorum conditionatorum eſſe in Deo ante omne liberum decretum voluntatis eius, conſequenter dicere tenentur, eandem ſcientiam ſi daretur, non eſſe viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ; ac per conſequens non terminari ad res actu exiſtentes ex hypotheſi in menſura æternitatis.

XVI. Quartò Probatur. Etiam poſt decretum conditionatum, quo Deus ſtatuit, vt ſit talis actus contingens ex hypotheſi, quòd talis conditio poneretur in eſſe, adhuc futurum illud contingens non habet aliquod eſſe actuale exiſtentiæ in æternitate, ſed ſolùm haberet illud, ſi conditio poneretur in eſſe, ſicut etiam ex eodem decreto haberet eſſe actuale in aliqua differentia temporis ex eadem hypotheſi. Ergo multo minus habet ante omne decretum voluntatis diuinæ aliquod eſſe actualis exiſtentiæ etiam ex illa hypotheſi, ratione cuius poſſit certò à Deo cognoſci.

Confirmatur. Ante omne decretum voluntatis diuinæ res ſolùm habent eſſe poſſibile; eo quòd per Dei potentiam poſſunt produci & exiſtentiam habere. Ergo non ſunt cognoſcibiles certa ſcientia, niſi vt poſſibiles. Ergo non poſſunt cognoſci, vt actu exiſtunt ex hypotheſi.

Confirmatur ſecundò. Omnes res poſſibiles eſſent futuræ ex hypotheſi, quòd Deus vellet eas producere, & conſequenter ex eadem hypotheſi ſi haberent eſſe actualis exiſtentiæ in æternitate

nitate : & tamen de facto non cognoſcuntur à Deo per ſcientiam conditionatam , ſed per ſcientiam abſolutam ſimplicis intelligentiæ , quæ terminatur ad creaturas,vt ſunt poſſibiles,& vt habent eſſe in potentia Dei Ergo ante omne liberum decretum voluntatis diuinę tam res merè poſſibiles, quàm futura contingentia conditionata non ſunt per certitudinem cognoſcibiles etiam à Deo vt futuræ nobis ex hypotheſi,neque vt actu exiſtentes ex hypotheſi in æternitate , ſed ſolùm vt exiſtentes poſſibiliter. Ex ijs facilè ſoluuntur argumenta facta pro primo & tertio dicto prioris ſententiæ.

Ad loca S. Thomæ in principio huius dubitationis adducta reſpondetur , Sanctum Doctorem expreſſis verbis docuiſſe noſtram ſententiam , vt concluſione prima oſtenſum eſt.Neque alicubi contradicit eidem. Etenim cùm ait futura contingentia , vt ſunt in ſua cauſſa,non poſſe per certitudinem cognoſci & ſimilia , intelligendus eſt de futuris contingentibus , pro vt ſunt in cauſſa contingenti , indifferenti , incompleta,& indeterminata; aliàs contradiceret ſibiipſi,qui in locis ſuperius inductis apertè docet,Deum in decreto ſuæ volũtatis,& in cauſſis cõtingentibus cõpletis,&nõ impeditis,nec impediendis certò cognoſcere futura cõtingentia. Et iuxta hanc doctrinam intelligendus eſt,quãdo inquit,quòd *Deus cognoſcit futura contingentia non ſolùm ſecundùm quod in ſe ipſis ſunt,ſed etiam ſecundùm quod ſunt in ſuis cauſſis.* intelligitur de cauſſis determinatis , & non impeditis, vel impediendis. Cùm ergo diuina voluntas XVII. *Ad S.Tho.*

ſe i-

ſe ipſam ab æterno determinauerit ad producendum per cauſſas contingentes omnia contingentia, quæ futura ſunt, relinquitur iuxta ſententiam Sancti Thomæ Deum in eodem decreto certò cognouiſſe omnia futura contingentia.

Nec obſtat id, quod ait in primo ſententiarum, Deum nimirum non cognoſcere futurum contingens, *niſi* ſecundum quod eſt in eſſe actuali. Etenim per particulam, *niſi*, non excludit Sanctus Tho. à Deo certam cognitionem futuri contingentis, ſecundùm quod eſt in cauſa completa ſeu determinata, & non impedita, vel impedienda, vt conſtat ex aliis locis ſupra citatis. Nam in huiuſmodi cauſſa ſic determinata iam præintelligitur determinatus effectus futurus præexiſtens in prædeterminatione cauſſæ, qui quidem effectus futurus poſſit per certitudinem cognoſci. Sed ſolùm excludit certam cognitionem futuri contingentis ſecundum quod eſt in cauſſa contingenti indeterminata, vel impedienda per concurſum alterius
Eſaia 38. cauſſæ, ſicut fuit mors Ezechiæ Regis ab Iſaia prædicta, quæ licet deberet ſequi ex cauſſis naturalibus præexiſtentibus, fuit tamen impedita ſpeciali Dei beneficio, ne tunc ſequeretur; quindecim annis ad eius vitam adiectis.

XVIII. Secundò poteſt dici, quòd futura contingentia ſunt præſentia æternitati, tum quia in menſura æternitatis habent eſſe determinatum extra ſuas cauſſas, tum etiam quoniam habent etiam eſſe determinatum in decreto voluntatis diuinæ tanquã in prima cauſſa efficiẽte, quod

quodquidem decretum etiam menſuratur æternitate. Quando ergo ait Sanctus Thomas, quòd res contingens non poteſt ſubiacere ſcientiæ diuinæ, *niſi dum eſt in actu ſecundùm quod determinationem & certitudinem habet*, intelligitur, niſi dum eſt in actu primo, vel ſecundo modo. Nam ſecundùm vtramque rationem exiſtendi in æternitate, ſcilicet extra cauſſas, vel in decreto abſoluto diuinæ voluntatis habet determinationem & certitudinem: quia voluntas diuina non eſt ſecundùm ſe cauſſa contingens aut indifferens, ſed ex ſe neceſſitatem habet, quamuis ab æterno liberè ſe ipſam determinauerit ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam, vt 1.*parte quæſtione* 19. *articulo* 3.*ad quintum* dicit Sanctus Thomas.

Iuxta hanc doctrinam intelligenda eſt etiã illa propoſitio, quam ſæpè repetit Sanctus Thomas, videlicet, Deus nihil cognoſcit vt futurum, ſed pro vt eſt in ſua præſentialitate. Per hanc, & ſimiles locutiones non vult excludere à Deo cognitionem futuri, vt futurum eſt nobis, ſed tantùm cognitionem futuri, vt futurum cognitioni, & vt eſt tantùm in cauſis ſuis indifferentibus, & non determinatis eo modo, quo nos futurum cognoſcimus. Sic enim futurum contingens non ſubeſt certæ cognitioni. Sic explicat Sanctum Thomam Ferrar. *lib.* 1. *contra gent. cap.* 67. §. *Aduerte.*

Ad teſtimonia Scholaſticorum, qui pro eodem primo dicto adducũtur, reſpondetur, quòd nullus eorum fauet illi, ſed potiùs aduerſatur,

&

& omnes (Aureolo duntaxat excepto) expreſſè docent Deum, certò & infallibiliter cognoſcere futura contingentia; non ſolùm pro vt actu exiſtunt in æternitate, ſed etiam in decreto, ſeu determinatione diuinæ voluntatis, vel in ideis determinatis per idem decretum. Et ſolùm negant poſſe per certitudinem cognoſci pro vt ſunt in cauſſis contingentibus, hoc eſt, in cauſſis indifferentibus, ſeu indeterminatis. Quod vt euidentiùs appareat, examinanda ſunt diligenter, & diſcutienda eorum teſtimonia.

XIX. *Capreolus.* Capreolus princeps Thomiſtarum in *primo ſent. diſtinct.* 38. *q.* 1. *art.* 2. fatetur quidem, quòd contingens, vt futurum eſt, non poteſt infallibiliter cognoſci, ſed ſecundùm quod eſt in præſenti, & alia ſimilia, quæ ex Diuo Thoma ſuperius adducta ſunt. Sed ipſemet inferius in ſolutione ad argumenta Scoti agens de ideis, apertè dicit, quòd ideæ, quatenus determinantur per liberum decretum diuinæ voluntatis ad producendum res futuras, repræſentant infallibiliter futura contingentia. Sentit ergo Capr. Deum in ideis determinatis per liberum decretum diuinæ voluntatis ad repræſentandum futura contingentia certò, & infallibiliter ea cognoſcere. Sed ſpecialiter ad 3. Scoti ait: *Quòd poſſibilia nunquam fienda habent perfectè Ideas in Deo, ſicut poſſibilia fienda: ſed aliter, & aliter; quia illa, quæ in nulla parte temporis erunt, habent ideas indeterminatas: illa verò, quæ in aliqua parte temporis eſſe habent, dicuntur habere ideas deter-*

determinatas : ac per hoc non eſt inconueniens , ſi ideæ horum repræſentant , hæc eſſe in tali menſura : non autem ideæ illorum alia. Et in ſolutione ad argumentum Durandi contra primam concluſionem dicit cum Sancto Thoma : *quòd ea , quæ ſunt in cauſſis ſuis , vt ex neceſſitate ab eis prouenientia poſſunt per certitudinem cognoſci in cauſſis ſuis.* Sed Sanctus Thomas 1. *part. qu.* 19. *art.* 8. præſertim in ſolutione ad primum ait, *neceſſe eſt hanc conditionalem veram eſſe : ſi Deus hoc vult, neceſſe eſt hoc eſſe.* Sentit ergo Capreolus , quòd iuxta ſententiam Sancti Thomæ Deus certò cognoſcat futura contingentia in decreto ſuæ voluntatis , tanquam in prima cauſſa efficiente. Et in ſolutione ad tertium Aureol. contra ſecundum inquit , quòd *Dei cognitio , & cognitionis certitudo ſit prior rebus creatis , & earum cauſſis.* Ergo ſecundùm Capreol. prius intelligitur certitudo ſcientiæ diuinæ comparatione cuiuſcumque rei creatæ , quàm intelligantur ipſæ res creatæ , etiam vt exiſtunt in æternitate. Cauſſa enim prius intelligitur ſuo effectu. Ergo prius ſecundùm rationem cognoſcit Deus in decreto ſuæ voluntatis futura contingentia , quàm ea cognoſcat , vt actu exiſtunt in æternitate. Solum ergo docere intendit Capreol. futura contingentia, pro vt ſunt, in cauſſis contingentibus indeterminatis , non poſſe per certitudinem cognoſci. Diuina autem voluntas non eſt cauſſa contingens , vel indifferens , quia nullam includit potentialitatem; ſed ab æterno determinauit ſe ipſam, vt dictum eſt. Vnde in prædeterminatione ſuæ diuinæ volun-

tatis certò cognouit ab æterno quid ſit futurum,quid non ſit futurum nobis.

XX. *Ferrar.* Quòd attinet ad Ferrar. *primo contra gent. cap.66. in illo §. ad 2. dubium,* ſolùm ait,Deum omnia cognoſcere quæ actu præſentia ſunt ſibi ſecundùm eſſe; ſed non negat, Deum cognoſcere futura contingentia etiam in decreto ſuo diuinæ voluntatis. Quin potius *in cap.67.* expendens 3.rationem Sancti Thomæ expreſsè dicit cum Sancto Doctore, quòd in cauſſa determinata, & non impedita poteſt certitudinaliter effectus cognoſci. Et clarius *cap.68.*circa ſecundam rationem Sancti Thomæ expreſsè docet,Deum certò cognoſcere motus voluntatis, ex eo quòd eſt eorundem motuum prima cauſſa efficiens. Cùm ergo Deus per decretum ſuæ voluntatis operetur omnia, quæ fiunt in tempore, vt 1.*p.q.*19.*art.* 4. dicit S.Thom. relinquitur, quòd iuxta ſententiam Ferrar. Deus cognoſcendo ſuam eſſentiam, & determinationem ſuæ voluntatis, certò cognoſcat, quid in quacunque differentia temporis ſit futurum.

Caiet. Caietanus etiam immeritò allegatur pro ſententia contraria:Nam in 1.*p.q.*14. *art.*13. §. *quo ad ſecundum*, dicit quidem, contingentia futura certò cognoſci à Deo, pro vt ſunt actu in ſe ipſis, non autem vt ſunt in ſuis cauſſis; ſed loquitur apertè de cauſſis cõtingentibus indeterminatis,non autem de cauſſis determinatis,przſertim prima,quæ per decretum ſuæ voluntatis infert neceſſariò neceſſitatem infallibilitatis ſeu conſequentiæ effectum, quem vult producere. Quin potius §.immediatè ſequenti,qui incipit:

Aduerte

Aduerte hîc, fauet apertè ſententiæ noſtræ: ait enim, *quòd contingentia ſe tenet ex parte indeterminationis, neceſſitas autem ex parte determinationis: & ideo res contingens vt futura, & in potentia dicitur habere rationem contingentis, quo ad ſtatum: vt præſens autem in actu, dicitur habere rationem neceſſarij quo ad ſtatum.* Et ratione huius neceſſitatis ex ſuppoſitione concludit Caiet. futura contingentia ſubdi infallibili, & certæ cognitioni diuinæ. Sentit ergo quod in cauſſis determinatis per abſolutum decretum diuinæ voluntatis, poſſint certò cognoſci à Deo futura contingentia. Nam ſub hac ratione habent ſtatum determinationis ad alteram partem contradictionis, & induunt quandam neceſſitatem infallibilitatis, ſiue ex ſuppoſitione decreti abſoluti voluntatis diuinæ, vt ſupra dictum eſt. Et in §. ad obiectiones reſpondens ad quoddam argumentũ, inquit, *quòd iſta ſeſſio futura, vt futura, nõ habet eſſe niſi in ſuis cauſſis, ad cauſſas autem ſuas poteſt dupliciter comparari. Vno modo vt determinatas ad producendam craſtinam ſeſſionem meam, vel eius negationem. Alio modo vt determinatas ad illius productionem magis, quàm oppoſiti: vel cum excluſione oppoſiti. Futura primo modo non ſumuntur vt futura, ſed vt futura penitus contingentia: futura autem ſecundo modo ſumuntur quidem vt futura, ſed declinant à contingentia: ſecundùm quod determinatio cauſſarum ad alteram partem magis, vel minus, vel totaliter exigit. Futura igitur contingentia vt futura ex cauſſis indeterminatis, non ſunt ſcibilia,*

vt in litera dicitur, nec à Deo, nec à quocũque; quia non ſunt entia, nec actu, nec in potentia magis ipſa quàm oppoſita. Ex cauſſis autem determinatis ſunt cognoſcibilia iuxta determinationẽ cauſſarum. Quo nihil potuit dici clarius pro noſtra ſententia. Cùm enim voluntas diuina non ſit ſuſpẽſa, nec cauſſa contingens; ſed ab æterno ſe liberè determinauerit ad producendum per cauſſas ſecundas contingentes omnes effectus, qui fiunt in tempore, nec poſſit impediri eius voluntas abſoluta per concurſum alterius cauſſæ, quin fiant liberè, & contingenter, quæ ſic decreuit fieri, relinquitur, quòd in ſententia Caietani Deus certò & infallibiliter omnia futura contingentia certò cognoſcat in decreto abſoluto ſuæ voluntatis, tanquam in prima cauſſa iam ab æterno determinata ad producẽdum per cauſſas contingentes earum effectus. Denique in §. *ad ſecundum autem*, idem dicit de Ideis determinatis, quod aſſerit Capr. nimirum in huiuſmodi Idæis certò cognoſci à Deo futura contingentia.

XXI. *Ad Ant.* Aureol. etiam *diſt.* 38.*c.*1. immeritò allegatur pro prima ſententia, nam illam ex profeſſo impugnat *ead.concl.*4. vbi ſic ait: *Non ideo Deus futura cognoſcit, quia eorum exiſtentia exhibita in rerum natura, præſens eſt æternitati ſic, quòd diuinus intuitus feratur ſuper ea in ſua exiſtentia actuali; hoc enim verum non eſt: vt ſupra viſum fuit, quod ſcilicet res futuræ actualiter ſint præſentes æternitati: & dato quòd ſic eſſent, adhuc diuinus intuitus non ferretur in eas, vt ſic; nec haberet earum*

rum certam cognitionem, quòd ſic eſſent præſentes. Verum eſt quod etiam impugnat in prima & ſecunda propoſitione ſententiam aſſerentium, Deum in determinatione ſuæ voluntatis certò cognoſcere futura contingentia: & ipſe alia via incedit ad concordandam certitudinem infallibilem præſcientiæ diuinæ cum futurorum contingentia. Vnde abſque vllo fundamento adducitur in fauorem dicti primi ſententiæ ſuperiùs propoſitæ.

Scotus *in* 1. *diſt.* 39. *q.* 1. §. *viſo* de contingentia rerum expreſsè docet, quod ante liberum decretum diuinæ voluntatis futura contingentia non habent determinatam veritatem, quæ poſſit per certitudinem à Deo cognoſci. Verba Scoti ſunt: *Tunc autem* (ſcilicet ante decretum voluntatis diuinæ) *non ſunt vera contingentia: quia nihil eſt tunc, per quod habeant veritatem determinatam: poſita autem determinatione voluntatis diuinæ iam ſunt vera, videlicet pro illo ſecundo inſtāti.* Et infra docet, *quòd intellectus diuinus determinatur ad illud exiſtens, ad quod determinatur voluntas diuina.* & addit: *Non poteſt voluntas determinare quin intellectus determinatè apprehendat illud, quod voluntas determinat. Et immutabiliter; quia tam voluntas, quàm intellectus ſunt immutabiles.* Et hanc ſententiam idem Aureo. vbi ſupra tribuit Scoto *diſtinct.* 38. *allegata.* & Henrico, *quodlibeto* 8. *quæſt.* 2. Vnde perſiſtendo in ſententia Scoti nullus ex Scotiſtis poteſt dicere contrarium, vel Scotum adducere in fauorem dicti primi ſententiæ propoſitæ à principio huius dubitationis. Imo inter Diſcipulos Scoti **Scotus.**

Digitized by Google

Frater Antonius de Cordub. *in lib.1.quæſt.q.55. dub.5.opin.3.* affirmat eſſe Scoti ſentẽtiam, quòd à diuina voluntate determinatur diuinus intellectus ad cognoſcendum certò & infallibiliter futura contingentia, & aſſignat rationem: nam ante liberum decretum voluntatis diuinæ determinantis ſe ad alteram partem contradictionis, vel contrarietatis nihil intelligitur futurum, ſed ſolum, vt poſſibile, *& dub.10.§. ſed ex ſupradicto*, eandem ſententiam tribuit Scoto. Quanuis aſſerat eius ſententiam eſſe falſam, vel inſufficientem.

Præter allegatos autores ſunt alij quã plures, qui aſſerunt determinationẽ diuinæ voluntatis eſſe rationem ſufficientem cognoſcendi certò & infallibiliter omnia futura contingentia, inter quos eſt Durandus *in primo diſt. 38.art.2. q. 5.* & alij à nobis allegati *d.10.& 11.de Auxiliis.* Idem confirmari poteſt auctoritate Doctorum, qui ſentiunt Deum decreto abſoluto ſuæ voluntatis prædeterminaſſe omnia quæ fiunt in tempore ſecundùm omnem rationem entitatis & bonitatis, quam habent, quorum teſtimonia *diſp. 22. de Auxiliis, & duabus ſequentibus* adducta ſunt.

Durandus.

Ex his facilè colligi poteſt primum illud dictum ſententiæ, quam impugnamus non eſſe communiter receptum ab omnibus Theologis, quin potiùs aduerſari doct. S. Thom. & aliorum Doctor. vt ex præmiſſis patet.

Ad primum arg. pro tertiò dicto, fatemur quidem quòd dato per hypotheſim voluntatem exiſtere in talibus circunſtantiis, intelligitur libera

bera & indifferens in actu primo ad complectendum obiectum ſibi propoſitum, vel ad illud poſitiuè, aut negatiuè per liberam ſuſpenſionem actus reſpuendũ. Nam eo ipſo, quod liberum arbitriũ ſupponitur eſſe, oportet, vt ſupponatur eſſe cum vera potentia, ſeu facultate ad vtrumlibet, quæ eſt eius eſſentia. Negamus tamen, quòd ex hac ſuppoſitione, ſiue hypotheſi ſequatur ex natura rei ante omne liberũ decretum voluntatis Dei, ſaltem conditionatum ex parte obiecti voliti, determinatus vſus libertatis eiuſdem cauſſæ eligentis illud obiectum liberè, aut liberè reſpuentis. Sicut enim eo ipſo, quod ſupponitur liberum arbitrium eſſe conſtitutum in talibus circunſtantiis, neceſſariò etiam debet ſupponi, quod habeat illud eſſe ex decreto volũtatis Dei, à quo intrinſecè in ſuo eſſe dependet: ita poſtquã ſupponitur idẽ liberum arbitriũ eſſe in talibus circũſtãtiis, vt intelligatur, vel ſupponatur determinatus vſus libertatis eiuſdẽ arbitrij eligentis, vel reſpuẽtis obiectũ ſibi propoſitum, neceſſe eſt, vt præintelligatur liberũ decretũ Dei volentis & præordinantis, vt liberũ arbitriũ eliciat determinatũ actũ, vel ſuſpenſionem actus circa idem obiectũ ex hypotheſi, quòd in eiſdem circunſtantiis conſtituatur. Ratio huius eſt, quia ſicut eſt de intrinſeca ratione liberi arbitrij creati, quòd dependeat in ſuo eſſe à Deo: ita eſt de eius ratione, quod in ſua determinatione, vel actuali vſu dependeat, vt à prima cauſſa verè efficiẽte à prædeliberatione, & decreto eiuſdem voluntatis diuinæ, vt inferius explicabitur. Aliàs volũtas creata in ſuis actibus, vel in ſua determi-

terminatione non ſolũ eſſet libera à coactione, & neceſſitate abſoluta, ſed etiam à ſubiectione Dei, ac per conſequens eſſet primum liberum, & prima ſuæ determinationis cauſa efficiens, quod tamen admitti non poteſt, vt *in 2. ſent. diſt. 37. q. 2. art. 2.* docet S. Thomas.

Ad confirmationem reſpondetur, quod à poſteriori nos colligimus ante peccatum Euæ, illam conditionalem eſſe veram: ſi Eua conſtituatur in Paradiſo, & tentetur à ſerpente in talibus circumſtantiis, comedet liberè de ligno vetito, quia per diuinam reuelationem certò cognoſcimus, quòd purificata illa conditione comedit reuera de ligno vetito. Sed ſicut veritas illius propoſitionis de futuro abſolutè pendebat intrinſecè ex abſoluto decreto Dei volentis actum illum comeſtionis ſecundùm omnem rationem entitatis, & bonitatis, quam habuit, & permittentis eius malitiam: ita etiam ex eodem decreto Dei fuit pendens veritas determinata illius propoſitionis de futuro contingenti conditionato: ſi Eua conſtituatur in Paradiſo & tentetur à ſerpente in talibus circumſtantiis, liberè comedet de ligno vetito, & peccabit. Et idem dicendum proportionabiliter de aliis conſimilibus futuris conditionatis, quæ pro aliqua differentia temporis ponentur in eſſe. Vnde ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ non ſunt certò cognoſcibilia, vt futura etiam ex hypotheſi, neque vt actu exiſtentia ex hypotheſi in æternitate. Neque ex hoc ſequitur, Deum determinaſſe, aut voluiſſe peccatum Euæ, aut fuiſſe cauſſam illius,

vt

vt *c.*1.*n.*29.dictum eſt.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd Deus non habuit decretum etiam conditionatum, quo voluerit, vt peccata illa, vel actus mali fierent ex hypotheſi. Nam peccatum, & actus malus dicit actum poſitiuum cum deformitate, & malitia morali; vnde abſolutè non poteſt dici, Deum decreuiſſe actum malum, vel peccatum etiam ex hypotheſi: habuit tamen decretum, vt ex hypotheſi fierent illi actus mali, in quantum actus & entia ſunt, & ſimul etiam decreuit ex hypotheſi permittere illorum malitiam. Secundò poteſt dici cum Sancto Thoma 1.2.*q.*105.*art.*4.*ad* 6. quod in illis verbis 3. *Reg. cap.*11.explicatur morale periculum ſeductionis, & ſimiliter in illis verbis: *Si aſcenderis in Ceilam, tradent te*; explicatur diſpoſitio inferiorum cauſſarum, ſcilicet voluntatis Ceilitarum quam habebant ad tradendum Dauid, ſi aſcendiſſet Ceilam, quæ explicatio etiam eſt conformis doctrinæ eiuſdem S.Thom. 2.2.*q.*171.*art.* 6.*ad* 2.vbi alia loca ſcripturæ explicat in hoc eodẽ ſenſu.

Ad tertium argumentum reſpondetur, quòd Tyrij, & Sidonij non fuiſſent cõuerſi ad Deum ſolis illis ſignis, & virtutibus factis in Corozaim, & Bethſaida, ſi apud illos facta fuiſſent, etiam ſi donata eis fuiſſet inſpiratio interna ſufficiens, cui reſtiterunt viri Corozaim, quia vt *diſp.* 108. *de Auxiliis* viſum eſt, nunquam contingit, quòd ſtantibus in duobus hominibus auxiliis omnibus præuenientis gratiæ omninò æqualibus, vnus conuertatur, alter non conuertatur: ſed ſemper illi, qui conuertitur, donatur aliquod *Tyrij, & Sidonij conuerſi fuiſſent ex hypotheſi virtute decreti diuinæ voluntatis.*

Digitized by Google

maius auxilium præueniens,nimirum auxilium efficax præoperantis gratiæ.quo Deus efficit, vt conuertatur, quod quidem auxilium eſt multo fortius, & excellentius omnibus auxiliis ſufficientibus collatis hominibus illis, qui non conuertuntur. Vnde Tyrij, & Sidonij conuerſi fuiſſent, ſi apud illos facta fuiſſent miracula illa, & virtutes, non quidem ex ſola vi miraculorum etiam adiuncta inſpiratione ſufficiente, qua interius excitauit habitantes Corozaim, ſed ex ſpeciali auxilio efficaci,quo Deus ſtatuerat conuertere Tyrios, & Sidonios ex hypotheſi, quòd apud illos virtutes illæ, & miracula facta fuiſſent. Neque ex hoc ſequitur, quòd exprobratio illa Chriſti Domini fuerit irrationabilis: etenim ille, qui habet auxilium ſufficiens, quo poſſit implere aliquod præceptum ſi velit, rationabiliter reprehenditur, ſi præceptum illud non impleat, vt patebit infra. Hoc autem auxilium habuerunt viri Corozaim, & Bethſaidæ, ſed ex propriâ nequitiâ & obſtinatione noluerunt ad Deum conuerti. Vnde meritò Chriſtus Dominus exprobrauit illis, quòd non fuerint ad Deum conuerſi.

Ad primam confirmationem reſpondetur, Chriſtum Dominum ſpecialem vim feciſſe in miraculis, & virtutibus, quæ oſtenſæ ſunt illis vrbibus, quoniam eiuſmodi miracula & virtutes; quantum eſt ex parte externæ propoſitionis fidei,efficaciſſima erant ad ſuadendum myſteria fidei eſſe euidenter creabilia, & ad mouendum moraliter homines illos ad fidem; niſi ipſi præſtitiſſent impedimenta blaſphemantes, & ca-

lumnian

Digitized by Google

lumniantes Chriſtum Dominum, & dicentes: *In Beelzebub Principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia.* Et ſimilia, quæ in Euangelio referuntur quamplurima. Vnde pro nihilo habentes miracula, quæ apud illos Chriſtus Dominus fecit, alia ſigna petebant dicentes: *Magiſter volumus à te ſignum videre.* Et iterum: *Quod ſignum oſtendis nobis, vt videamus & credamus*: & rurſus ſignum ab eo quærebant de cœlo, quaſi non ſufficerent alia, quæ fecerat. Et licèt hæc ſigna & miracula externa ſint donum perexiguum comparatione internæ motionis efficacis gratiæ prædeterminantis liberum arbitrium ad pœnitentiam, tamen ſuo modo inducebant homines ad credendum, & piè operandum, videlicet in genere motiui exterioris inclinantis moraliter ad pœnitentiam. Vnde ſi loquamur de huiuſmodi motiuis externis ſuadentibus fidem,& pœnitentiam,veriſſimum eſt quòd Tyrij, & Sidonij ex eo pœnitentiam egiſſent,quòd apud eos fierent eiuſmodi virtutes, & miracula: ſed tamen ſi loquamur de motione interna inducente infallibiliter pœnitentiam, dicendum eſt, quòd non ex eo Tyrij & Sidonij pœnitentiam egiſſent, quòd apud eos fierent illæ virtutes, ſed quia Deus gratia interna prædeterminante decreuerat conuertere ad ſe eorum corda ex hypotheſi,quod apud eos ſigna illa facta fuiſſent.Nec ex hoc ſequitur,quod obiurgatio illa Chriſti Domini fuerit irrationabilis. Ratio enim quare viri Corozaim, & Bethſaidæ videntes illa miracula in ſua infidelitate perſtiterunt, non fuit illa, quæ in obiectione tangitur: quia

Matt. 12.

Ioan. 2.

quia nimirum prædeterminati non ſunt ad pœnitendum, ſed quia per ſigna externa & internam motionem ſufficientem,qua præuenti fuerunt, poterant credere, & ad Deum conuerti, ſi vellent, & ſua nequitia conuerti noluerunt. Etenim quòd non conuertamur cum auxilio ſufficienti,procedit ex nobis, quòd autem conuertamur procedit ex Deo miſerente ac mouente per auxilium efficax, vt liberum arbitrium gratiam ſufficientem, quæ tribuit poſſe, ad actum ſecundum liberum reducat, quia, vt 1.2. *qu.*112.*art.* 3.*ad* 2. dicit Sanctus Thomas, *defectus gratiæ prima cauſſa eſt ex nobis: ſed collationis gratiæ prima cauſſa eſt à Deo ſecundùm illud Oſeæ* 13.*Perditio tua ex te Iſraël, tantummodò in me auxilium tuum.*

XXV Ad ſecundam confirmationem reſpondetur; nullam fuiſſe differentiam inter Tyrios & Sidonios & alios quoſcumque, quantum ad hoc quòd viſis miraculis credidiſſent, ſi prædeſtinati fuiſſent ad credendum; & auxilio efficaci prædeterminante Deus efficeret; vt crederent, vel pœnitentiam agerent: quia negari non poteſt, omnes illos ex illa hypotheſi fore infallibiliter credituros, vel pœnitentiã acturos,id quod expreſsè docet S.Tho.1.2.*q.*112.*art.*3.*in corp.* & 2.2.*q.*24. *art.* 11. *in corp.* & aſſignat rationem, *quia intentio Dei deficere non poteſt.*Idem docet Sanctus Auguſtinus *lib. de dono perſeuerantiæ cap.* 14. vbi explicans præallegatum locum Matth. 11.ait: *Non erant ergo ſic excæcati oculi, nec ſic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum, quoniam crediſſent, ſi qualia viderunt iſti, ſigna vidiſſent: ſed nec illis profuit*

S. Thom.

Auguſt.

Digitized by Google

profuit quid poterant credere, quia prædeſtinati non erant ab eo, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, & inueſtigabiles viæ: nec iſtis obfuiſſet, quòd non poterant credere, ſi prædeſtinati eſſent, vt eos cœcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre. Ecce apertiſſimè docet Sanctus Auguſtinus, quòd ſi Iudæi prædeſtinati eſſent, & Deus voluiſſet, vel decreuiſſet per gratiam efficacem induratis cor lapideum auferre, ſine dubio credidiſſent, nihil obſtante eorum obduratione. Et in verbis immediatis ſubſequentibus pariter docet, quod Tyrij & Sidonij, etiam ſi miracula non viderent, credidiſſent, ſi prædeſtinati fuiſſent à Deo, vt crederent: Ait enim: *Verùm quod dixit Dominus de Tyriis, & Sidoniis aliquo alio modo poteſt fortaſſis intelligi: nemine tamen venire ad Chriſtum, niſi cui fuerit datum, & eis dari, qui in illo electi ſunt ante conſtitutionem mundi.* Et infra: *Audiunt enim hæc, & faciunt quibus datum eſt, non autem faciunt ſiue audiant, ſiue non audiant, quibus non datum eſt. Quia vobis*, inquit, *datum eſt noſſe myſterium Regni cœlorum, illis autem non eſt datum: quorum alterum ad miſericordiam, alterum ad iudicium pertinet illius, cui dicit anima noſtra: Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Certum eſt ergo & indubitatum in ſententia Sancti Auguſtini, nullam fuiſſe vel eſſe differentiam inter Tyrios, & Sidonios ex vna parte, & incolas Corozaim & Bethſaidæ, vel alios quoſcumque ex altera quantum ad hoc, quòd pœnitentiam egiſſent viſis, vel non viſis miraculis, ſi omnes illi prædeſtinati fuiſſent, & præordinati à Deo ad credendum, vel pœnitentiam

Matth. 13.

Pſal. 100.

tentiam

tentiam agendum. Nam omnes illi poſita prædeterminatione diuina ſine dubio credidiſſent, & pœnitentiam egiſſent. Erat ergo differentia inter eos quantum ad hoc, quod cor Tyriorum & Sidoniorum non erat ingrauatum & obduratum ex malitia, aut excœcatum; neque aduerſus Chriſtum, & eius miracula inuidia quadam Diabolica, & malignitate affectum, ſicut fuit re vera cor Iudæorum: ac per conſequens iſti multo maiora impedimenta præſtiterunt gratiæ, & motioni efficaci ad credendum, vel pœnitendum, quàm illi, propter quod exprobrauit Chriſtus Dominus Iudæorum incredulitatem.

Aug. Hanc differentiam aſſignat expreſsè S. Auguſtinus paulo ante verba inducta ex *cap.14. de dono perſeuerantiæ*, vbi ſic ait: *In eadem perditionis maſſa relicti ſunt etiam Iudæi, qui non potuerunt credere factis in conſpectu ſuo tam magnis, clarisq́ue virtutibus. Cur enim non poterant credere, non tacuit*
Ioan. 11. *Euangelium dicens: Cùm autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non crediderunt in eum, vt ſermo Iſaiæ*
Iſa. 53. *Prophetæ impleretur, quem dixit, Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? & ideo non poterant credere, quia iterum*
Iſa. 6. *dixit Iſaias: Excœcauit oculos eorum, & indurauit cor illorum, ne videant oculis, nec intelligant corde, & conuertantur, & ſanem illos.*

XXVI. Ad quartum argumentũ reſpondetur, quòd, vt multi ex defenſoribus ſcientiæ mediæ *cap. 1. num. 24.* allegati fatentur, Scholaſtici antiqui nihil omnino de hac ſcientia ſub conditione diſputauerunt, aut meminerunt. Vnde non mirum, quòd nullam fecerint mentionem diuini decreti

decreti conditionati, in quo infallibilitas futurorum contingentium conditionatorum innititur. Nihilominus ex his, quæ docent de ſcientia Dei abſoluta, comparatione contingentium, quæ per liberum arbitrium futura ſunt abſolutè, colligitur per euidentem conſequentiam, quòd ſicut antecedenter ad liberum decretum voluntatis diuinæ præordinantis actus liberos futuros in tempore per liberam cooperationem arbitrij, nullus actus liber eſt certa ſcientia cognoſcibilis, vt futurus abſolutè, vt ex dictis *diſput.* 7. *&* 22. *de Auxiliis* conſtat; ita proportionabiliter, niſi præſupponatur in Deo decretum conditionatum ex parte obiecti voliti, quo nimirum voluit, vt talis effectus liber ſequatur ex hypotheſi, quòd talis conditio poneretur in eſſe, non eſt ſcibile, etiam à Deo, quis nam actus determinatus ſit futurus ex hypotheſi prædicta. Sicut enim futurum abſolutè neceſſariò dependet ex decreto Dei abſoluto, vt à prima cauſſa efficiente: ita futurum conditionatum dependet intrinſecè ex decreto Dei conditionato, vt *cap.* 1. *num.* 8. *&* *ſequentibus* dictum eſt. Poſtquam autem à quadraginta annis, & infra orta eſt controuerſia circa modum, quo Deus cognoſcit futura contingentia conditionata, quæ ex libera cooperatione noſtri arbitrij dependent; & per quam ſcientiam cognoſcantur, an per ſcientiam mediam, an verò merè liberam, quæ ſupponit in Deo liberum decretum ſuæ voluntatis, neceſſarium fuit agere de eiuſmodi códitionatis decretis, in quibus infallibilis certitudo ſciētię diuinæ,

qua

qua cognoſcit hæc futura conditionata, fundari debet.

Ad quintum argumentum dicitur, quòd quando futura conditionata reuera nunquam ſunt futura, quia conditio nunquàm ponetur in eſſe, eſſent tamen futura ſi purificaretur conditio; non eſt conſtituendum in Deo duplex decretum, alterum conditionatum, alterum abſolutum, ſed vnicum dumtaxat decretum conditionatum ex parte obiecti voliti, quo nimirum voluit, vt talis effectus ſit futurus ex cauſſa contingenti, ſi in tali rerum ordine crearetur, vel conſtitueretur; nam hoc decretum ſufficit, vt contingens illud futurum ex hypotheſi habeat determinatam veritatem, quæ à Deo per certitudinem cognoſcatur. Si autem futura conditionata ſint etiam abſolutè futura; quia de facto purificabitur conditio, vt in hac propoſitione: Si Paulus Apoſtolus vocetur à Deo in talibus circunſtantiis, conuertetur, quæ quidem erat vera ab æterno ante vocationem, qua conuerſus eſt Paulus, tunc etiam non oportet conſtituere in Deo illa duo decreta, ſed ſufficit vnicum illud decretum abſolutum, quo ab æterno elegit Paulum, & prædeſtinauit, vt tali vocatione in talibus circunſtantiis conuerteretur ad Chriſtum, & ex perſequutore fieret vas electionis. Nam eo ipſo, quòd in Deo præceſſit ab æterno eiuſmodi decretum abſolutum, habuit determinatam veritatem ante conuerſionem Pauli, non ſolùm illa propoſitio de conuerſione Pauli contingenter futura abſolutè, nimirum Paulus vocatus à Deo conuertetur; ſed etiam

Digitized by Google

etiam illa propoſitio conditionalis: Si Paulus vocetur à Deo in talibus circunſtantiis, conuertetur. Nam in eodem prorſus decreto abſoluto fundatur determinata veritas vtriuſque propoſitionis. Vnde fruſtra inquiritur, quodnam decretum ex illis duobus ſit prius ſecundùm ordinem rationis vel poſterius. Nec loca inducta ex S. Auguſtino, & Thoma probant, quòd ſemper decretum conditionatum debeat eſſe prius decreto abſoluto ſubueniendi aliquibus, vel non ſubueniendi, ſed ſufficit vnicum, & ſimpliciſſimum decretum modo iam explicato ad conſtituendam in Deo ſcientiam infallibilem contingentium futurorum abſolutè, vel futurorum ex hypotheſi. Vnde etiam non ſequitur Deum in decretis ſuæ voluntatis procedere per quoſdam gradus ab imperfecto ad perfectum.

Ad confirmationem reſpondetur,illam propoſitionem conditionalem: Si Adam non peccaſſet, Verbum diuinum naturam humanam non aſſumpſiſſet, fuiſſe determinatè veram, & certò cognitam à Deo: ſed veritas illius habuit ortum ex decreto abſoluto, quo Deus voluit Verbi incarnationem futuram in remedium peccati Adæ à Deo præuiſi,& non aliter. Ex vi namque huius decreti ſubſequutum eſt opus incarnationis ordinatum in remedium contra peccatum ita, quòd peccato non exiſtente, incarnatio non fuiſſet, vt *artic.* 3. *allegato* docet Sanctus Thomas. Nec opus eſt fingere in Deo aliud decretum conditionatum, in quo veritas determinata illius propoſitionis conditionalis XXVIII.

fundetur, nimirum, ſi Adam non peccaſſet, Verbum diuinum non fuiſſet incarnatum; quia ſufficit ad eius veritatem decretum abſolutum, quo Deus poſt præuiſum Adæ peccatum voluit incarnationem Verbi vt ordinatum in remedium eiuſdem originalis peccati.

Ad Argumentum factum pro quarto dicto, reſpondetur, ſcientiam, quam Deus poſt decretum ſuæ voluntatis habet futurorum contingentium conditionatorum, quæ re vera futura non ſunt, eſſe ſcientiam liberam; & reduci ad ſcientiam viſionis, quia ſupponit decretum diuinæ voluntatis. Licet enim obiectum huius ſcientiæ conditionatæ non ſit abſolutè futurum, eſſet tamen futurum ex vi decreti præexiſtentis in Deo, ſi conditio fuiſſet impleta. Et ſi fiat argumentum, nam ſcientia viſionis fertur in rem actu exiſtentem in æternitate, reſpondetur, id eſſe verum in ſcientia, quæ directè, & per ſe eſt ſcientia viſionis. Cæterùm ad ſcientiam, quæ ex parte obiecti reducitur ad ſcientiam viſionis, ſufficit, quòd eius obiectum virtute decreti præexiſtentis in Deo, actu exiſteret in æternitate, ſi conditio fuiſſet impleta.

Vtrum

Digitized by Google

Vtrum Deus per ſcientiam liberam ſit cauſſa efficiens rerum.

CAPVT VI.

DE hac difficultate egi *diſput.* 16. *&* 17. *de Auxiliis*, vbi etiam tractaui aliam huic maximè annexam. Vtrum videlicet iſta cauſſalis ſit vera, quia hoc futurum eſt, ideo ſcitur à Deo, antequam fiat: an verò è contra ideo futurum ſit, quia ſcitur à Deo. Sed vt veritas lucidior appareat; iterum de hac quæſtione agendum eſt propter aliquorum inſtantiam, qui, vt defendant ſcientiam Dei liberam nõ eſſe cauſſam efficientem rerum, & conſequenter iſtam propoſitionem eſſe falſam, quia Deus per ſcientiam liberam ſcit hoc futurum eſſe, ideo futurum eſt; hanc autem propoſitionem eſſe veram, quia hoc futurum eſt per liberum hominis arbitrium, ideo ſcitur à Deo antequam fiat; ſtatum quæſtionis reſtringunt ad ſcientiam liberam: *Quatenus præcisè eſt ſcientia viſionis*, & in hoc ſenſu dicunt, quòd Deus per ſcientiam liberam, quatenus præcisè eſt ſcientia viſionis, non eſt cauſſa efficiens rerum, præſertim autem humanorum euentuum contingentium, qui à concurſu noſtri liberi arbitrij dependent, vt defendant actus liberos non eſſe à Deo abſoluta voluntate prædefinitos antecedenter ad liberam determinationem arbitrij creati à Deo per ſcientiam mediam præcognitam, vt futuram ex I.

hypotheſi,quòd in talibus circunſtantiis conſtituatur, & conuincuntur ſequẽtibus argumẽtis.

Primò argumentantur auctoritate *Geneſ.c.*1. vbi dicitur:*Vidit Deus cuncta,quæ fecerat,& erãt valde bona.*Vbi illud verbum, *vidit*, non poteſt, niſi de ſcientia viſionis intelligi,& verbum *fecerat* ſatis apertè indicat, illam viſionem ſuppoſuiſſe res iam factas:ac proinde,vt talis viſio eſt, non feciſſe illas, ſed eas per omnipotentiam à voluntate applicatam, & per alium modum ſcientiæ,vel artis directam iam factas vidiſſe, & in eis, tanquam bonis complacuiſſe. At verò ſcientia,quæ ſupponit rem factam,non eſt cauſſa eiuſdem,quatenus talis ſcientia eius eſt. Ergo nec ſcientia viſionis eſt cauſſa rerum factarum.

Secundò argumentantur auctoritate antiquorum Patrum,qui docent,non propterea aliquid futurum eſſe per liberum hominis arbitrium,quia ſcitur à Deo,ſed è cõtra,ideo Deum ſcire id futurum eſſe quia futurum eſt per liberum hominis arbitrium. Illa enim negatio in nullo proprio ſenſu poteſt eſſe vera, ſi ſcientia viſionis eſt cauſſa futurorum, quia ſi eſt cauſſa, eſt vera,imo & realis,ac phyſica cauſſa: ſed per illam cauſſalem locutionem nihil aliud ſignificatur, niſi huiuſmodi cauſſalitas, Ergo Patres negantes illam propoſitionem cauſſalem, dictam planè cauſſalitatem negant. Sunt autem illi Orig. Hier. Iuſtin. Chryſ. Beda, Cyrill. & Damaſcen. Quorum verba retuli *diſp.*16. *de Auxiliis in* 1.*arg.*Et verba Origenis refert S.Thom.1. *p.q.*14.*art.*8.*in* 1.*arg.*quod proponit ad probandum,quòd ſcientia Dei non ſit cauſa rerum.

Sed

Sed quia S.Doctor.in ſolutione ad 1.explicat Origenem, *quòd locutus eſt attendens rationem ſcientiæ,cui non competit ratio cauſſalitatis, niſi adiuncta voluntate,vt dictum eſt:* in quo etiam ſenſu intelligendi ſunt alij Patres: ideo vrgent,& expendunt verba Damaſceni in Dialogo contra Manichæos propè finem: vbi ſic ait: *Deus ea,quæ voluntariè à nobis futura ſunt,hoc eſt,ea,quæ in poteſtate noſtra ſita ſunt,nimirum virtutem,ac vitium præſciens, ea demum definit, quæ in arbitrio noſtro minimè conſiſtunt. Ac quidem vis Dei præſciens à nobis cauſſam haudquaquam habet: at verò, vt ea, quæ facturi ſumus, præſciat, à nobis proficiſcitur. Nam ſi facturi non eſſemus,ne ipſe quidem, quod futurum non eſſet,prænoſceret. Et quidem Dei præſcientia vera,atque inuiolabilis eſt,rerum ipſa haud quaquam cauſſa eſt, cur omnino fiat id,quod futurum eſt.quin potius quia hoc, vel illud facturi ſumus, idcirco prænoſcit Deus.* In quibus verbis aduertunt, Damaſcenum eleganter declaraſſe, Deum non accipere ſcientiam à rebus futuris, ſeu ſuæ æternitati præſentibus, ſed ex ſe habere vim præſciendi:& nihilominus,quòd illa ſcientia terminetur ad hoc,vel illud obiectum;à nobis pendere, quatenus in nobis eſt ponere, vel non ponere obiectum,ad quod terminanda eſt illa præſcientia, & ideo voluntas noſtra cauſſa eſt, quòd hoc, vel illud futurum ſit. *At quòd prænoſcat Deus*(vt infra repetit) *id verò præſcienti ipſius potentiæ abſcribendum eſt:*& in hoc ſenſu diſertè negat: *ſcientiam Dei,qua prænoſcit futura, eſſe cauſſam, cur omninò fiat id, quod futurum eſt.* Vbi particula *omninò*, emphaſim habet ad ſi- II. S. Thom. Damaſc.

 gnifican-

gnificandum, ſcientiam Dei non eſſe cauſſam determinantem talem euentum futurum, ſed futuritionem eius ſupponere. Et in eodem ſenſu ſubdit; *quia hoc, vel illud facturi ſumus: ideo prænoſcit illud Deus.* Vbi cauſſalis nota non dicit cauſſam ex parte Dei, ſed rationem, vel conditionem, quæ ſupponi debet ex parte obiecti.

III. *Euſebius. Hieron. Leo. Cyrillus. Gauden. Auguſt. Anſelm.* Pro eadem ſententia refertur Euſebius *lib.6. de præparatione Euangel.cap.9.* Hieronym. *Dial. 3.cont. Pelag.* Leo Papa *ſerm.16.de paſſion. Dom.* Cyrillus ſuperius allegatus. Gaudentius *tract.3.in Exod.ad Neophytos.* Auguſt. *lib.3. de lib. Arbitri.c. 4. & lib.5.de Ciuit. Dei. & lib.4. de Geneſ.ad litteram cap.32.* Anſelm. *toto lib.de concord.* Vbi docet quòd præſcientia futurorum non eſt ſuppoſitio antecedens futurum, vt futurum eſt; ſed conſequens illud, atque vltimo loco adducitur Boëtius *lib.5.de conſolat. proſ.3.* *Boëtius.*

Tertiò argumentantur ratione, Deus ita efficit res per intellectum, & voluntatem, vt immediatiùs ad extra efficiat per volũtatem, quàm per intellectum, ſiue voluntas immediatè per ſuum actum ad extra efficiat, ſiue per potentiam executiuam ratione diſtinctam, quod ad præſens nihil refert: ſed ſcientia viſionis eſt ratione poſterior, quàm voluntas illa, per quam Deus ad extra operatur. Ergo talis ſcientia non eſt cauſſa rei ad extra, ſed ſupponit iam productam per voluntatem, vel potentiam exequentem. Conſequentia eſt nota, & maior intellecta de propria efficientia, probatur ex D. Thom. 1. *part.q.19.art.4.ad 4.* vbi ait, *quòd ſcientia, & voluntas ſunt cauſſa eiuſdem operis, ſed ſcientia vt dirigens,* *S.Thom.*

Digitized by Google

rigens,& voluntas vt imperans. Et in hoc comparat Deum cum homine per artem operante, in quo ars, per quam concipitur forma operans, dirigit voluntatem, voluntas autem imperat, & mouet potentiam exequentem. Conſtat autem in artifice humano voluntatem immediatius concurrere ad exequutionem operis, quàm artem. Ergo ſcientia, quæ ſubſequitur poſt talem influxum voluntatis, & potentiæ, non eſt cauſſa rei ad extra: talis autem eſt ſcientia viſionis, vt conſtat. Ergo.

Confirmatur auctoritate Sancti Thomæ 1. *part. q.25. art.1. ad* 4. vbi ratione diſtinguendo illa tria, ſcientiam, voluntatem, & potentiam, ait, potentiam exequi quod voluntas imperat, & ad quod ſcientia dirigit. Vbi etiam ſolum tribuit ſcientiæ in hac cauſſalitate directionem voluntatis, & potentiæ, quæ directio, & remotior eſt, quàm voluntatis motio, & nullo modo tribui poteſt ſcientiæ viſionis, quæ voluntatem iam directam ſupponit.

Quartò, Deus cauſſat res ad extra per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vt applicatam, & determinatam per volũtatem. Ergo non per ſcientiam viſionis. Antecedens eſt expreſsè D. Th. 1. *part. q.14. art.*8. Vbi S. Doctor per ſcientiam de qua ibi loquitur, non intelligit ſcientiam viſionis; ſed ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: tùm quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt verè indifferens ad oppoſita: ſciẽtia autem viſionis minimè eſt indifferens, ſed determinata ad ea, quæ futura ſunt: tum etiam quia ars illa, vel ſciẽtiá, aut forma intelligibilis, quæ determinanda eſt IV. *S. Thom.*

per voluntatem, antecedere debet liberum decretum voluntatis, quo determinatur ſic autem præcedit ſcientia ſimplicis intelligẽtiæ, non autem ſcientia viſionis, quia hæc ſequitur decreta Dei libera. Ergo ſcientia, de qua D. Thom. in illo articulo loquitur & quæ per voluntatem determinatur, eſt ipſamet ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ ſecundùm ſe, & vt præcedit, ita vocatur, vt verò determinata eſt, & applicata per voluntatem ad agendum, proprium nomen accipit, & ſcientia approbationis dicitur, vt ibidem D. Thom. notauit.

S. Thom.

S. Thom.

Confirmatur primò. Quia per illam ſciẽtiam Deus ad extra operatur, quæ eſt illi principium, quaſi in actu primo ad operandum; ſed huiuſmodi principiũ ex parte intellectus eſt ipſa ſciẽtia ſimplicis intelligẽtiæ. Ergo. Maior patet, quia omnis res operatur per eam formam, quæ illam conſtituit in actu primo ad agendum. Minor verò probatur, tùm quia nunc Deus eſt ſufficienter conſtitutus in actu primo ad producendum omnia poſſibilia, quæ nunquam actu producet: tùm etiam quia artifex per ipſammet artis ſuæ conceptionem actualem eſt conſtitutus in actu primo ſufficiente ex parte intellectus ad artificioſè operandum, & tantum deeſt applicatio voluntatis, & potentiæ executiuæ, vt per illud principium ad extra operetur. Deus autem per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ conſtituitur ſupremus artifex in actuali conceptione omnium faciendorum, & factibilium. Ergo per illam ſcientiam eſt conſtitutus quaſi in actu primo ad operandum ad extra.

Confir

Digitized by Google

Confirmatur ſecundò. Nam S. Th. 1. *p.q.* 14. *art.* 16. *ad* 1. ait; *Scientiam Dei eſſe cauſſam, quorundam quidem actu, aliorum autem virtute, ſcilicet eorum, quæ poteſt facere, & tamen nũquam fient.* Ergo eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ; per illam ergo cõſtituitur Deus ex parte intellectus in actu primo ad efficiendas creaturas poſſibiles, & per eẽdem eſt cauſſa earum, quas aliquando facit. Et in *q.*15. *art.*3. *ad* 2. dicit idem S. Doctor: *Eorum, quæ neque ſunt, neque erunt, neque fuerunt, Deum non habere practicam cognitionem, niſi virtute tantùm.* Ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ talium rerum eſt, practica eſt, ſaltem virtute, id eſt, in actu primo, & quantum eſt ex ſe; ergo ipſa eſt principium operandi, & quando Deus vult aliquid operari per illam, tanquam per principium agendi illud operatur. *S.Thom.* *S.Thom.*

Quintò. Scientia Dei ſecundùm *quod eſt cauſſa rerum, conſueuit nominari ſcientia approbationis,* vt 1.*p.q.*14.*artic.*8. dicit Sanctus Thomas. Ergo ſcientia viſionis non eſt cauſſa rerum. Probatur conſequentia, nam ſcientia approbationis ratione diſtinguitur à ſcientia viſionis. *S.Thom.*

Confirmatur. Scientia viſionis præſupponit in ſigno rationis res exiſtentes, quod enim non exiſtit, videri non poteſt. Ergo ſcientia viſionis non poteſt eſſe cauſſa rerum efficiens: effectus enim præſupponi non poteſt ad ſuam cauſſam, ſed potiùs conſequitur ad illam, nam cauſſa eſt ad quam ſequitur effectus.

Sextò. Scientia Dei, quæ eſt cauſſa rerum debet eſſe ſcientia practica, vt docet S.Thom. *art.*4. *præallegato, & art.* 16. *eiuſdem quæſtionis* 14. *S.Thom.*

Digitized by Google

Sed ſcientia viſionis non eſt ſcientia practica, quia poſtquam ſcientia viſionis in ſua ratione completa eſt, nihil circa obiectum eius operandum relinquitur, quin potius talis ſcientia eſt quaſi mera contemplatio rei factæ, ſicut viſio corporalis, qua rem præſentem intuemur non immutat rem viſam, neque aliquid agit in illam. Ergo ſcientia viſionis non eſt cauſſa rerum.

S. Thom. Confirmatur. Nam S. Thom. rem hanc explicat exemplo artificis humani, qui per artem eſt potens ad agendum, per voluntatem applicat artem, vt actualiter operetur, dirigendo potentiam exequētem, poſtquam verò imaginem, v.g. operatus eſt, videt, & contemplatur illam; quæ viſio nullo modo practica eſt, nec iam poteſt applicari, ſed eſt mera contemplatio, & in ſola cognitione conſiſtit. Sic ergò ſcientia Dei ſimplicis intelligentiæ eſt ars, per quam Deus operatur; applicatur autem per voluntatem, & poſtquam ſic applicata operata eſt; ſiue per ſe, ſiue per voluntatem, ſiue per potentiam executiuam ratione diſtinctam, ſequitur ſecundùm rationis ordinem ſcientia viſionis per modum intuitionis ſimplicis; nullo ergo modo poteſt intelligi, vt cauſſa.

Septimò. Iuxta communem ſententiam Thomiſtarum Deus per ſcientiam viſionis intuetur res, vt actu exiſtentes extra ſuas cauſſas in menſura æternitatis. Ergo tali ſcientia non eſt cauſſa efficiens earum, ſed ſupponit eas exiſtentes, & ratione exiſtentiæ omnes intuetur.

Octauò. Si ſcientia viſionis facit ſuum obiectum. Ergo non determinatur ab illo, ſed potiùs determi

Digitized by Google

determinat illud, vt ſit: hoc autem eſt impoſſibile, nam repugnat actioni liberæ ab extrinſeco agente ad vnum determinari. Ergo.

Vltimo loco eandem ſententiam confirmat auctoritate Scholaſticorum, & pro ea refertur S. Thomas in 2. *Sententiarum diſtinct.* 21. *q.* 1. *art.* 1. Vbi docet, ſciētiam Dei eſſe cauſſam bonorum, *Secundum quod conſequuntur formam diuinæ artis, & finem, non tamen quod reſpectu horum dicat perfectam cauſſalitatem, niſi prout illi adiungitur voluntas.* Ex quibus verbis deſumitur argumentum: Scientiæ ad cauſſandum non adiungitur, niſi voluntas Dei, vt ait S. Thom. ſed voluntas Dei, vt operatiua, & determinata ad operandum ad extra, non adiungitur ſcientia viſionis; ſed potiùs viſio adiungitur illi. Ergo ſecundum doctrinam Sancti Thomæ nullo modo poteſt tribui ſcientiæ diuinæ, vt eſt viſio rei futuræ, quod ſit cauſſa, cur illa futura ſit. Pro eadem ſententia refertur Magiſter Senten. in 1. *diſtinct.* 38. *ca.* 4. S. Bonauentura *eadem diſtinctione art.* 1. *q.* 1. & expreſſius Gregor. *eadem diſtinct. q.* 2. *art.* 3. *ad* 3. *principale.* Marſilius *qu.* 40. *art.* 3. *in vltima eius parte.* Vbi in ſuppoſitione ſecunda tribuit cauſſalitatem ſcientiæ, quam vocat diſpoſitionis, ſeu approbationis. Egidius *eadem diſtinct. qu.* 1. & *diſtinct.* 40. *q.* 2. *art.* 2. Durandus *eadem diſtin. qu.* 1. Alenſ. *in* 2. *q.* 24. *memb.* 2. Vualdenſ. *lib.* 1. *doctrinal. fidei cap.* 25. *num.* 10. Ioan. Arbor. *tom.* 1. *Theoſophiæ lib.* 4. *cap.* 11. *circa finem.* Maſcareñ. *lib. de Auxiliis diſput.* 2. *part.* 6. *num.* 13. Peſantius 1. *par. quæſt.* 14. *art.* 8. Diotaleuius *diſp. de ſcientia conditionata.*

[Margin: VI. — *S. Thom.* — *S. Thom.* — *M. Sentent.* — *S. Bonauent.* — *Gregorius.* — *Marſilius.* — *Egidius.* — *Durandus.* — *Alenſ.* — *Vualdenſ.* — *Io. Arbor.* — *Maſcar.* — *Peſantius.* — *Diotaleu.*]

Secunda

VII. Secunda ſententia, quæ ſine dubio eſt Sancti Thomæ, & communis Thomiſtarum, docet ſcientiam viſionis, quæ à ſcientia Dei libera in ratione ſcientiæ non diſtinguitur etiam ratione ratiocinata, eſſe verè, & propriè cauſſam efficientem futurorum omnium, etiam contingentium ſecundùm omnem rationem entitatis, & bonitatis, quam habent, ſiue in genere moris, ſiue in eſſe naturæ. *Not. 1.* Ad cuius euidentiam aduertere oportet, quòd ſtatus controuerſiæ non conſiſtit in hoc, vtrum ſcientia viſionis conſiderata formaliſſimè, & præcisè in quantum eſt viſionis, ſit cauſſa efficiens rerum. Neque enim eſt aliquis Thomiſta (quem ego viderim) qui affirmet cum illa reſtrictione, ſcientiam Dei eſſe cauſſam rerum, ſed potiùs inquiūt, quod ſcientia viſionis, ſeu libera, in quantum eſt practica, ſit cauſſa rerum efficiens, ſed auctor ſtatum mutat quæſtionis, & eam coarctat ad præciſam, & formaliſſimam rationem ſcientiæ viſionis, *vt præcisè eſt viſio*, vt facilè poſſet noſtram ſententiam impugnare. *Status quæſtionis.* Nos autem nunquam egimus, neque agimus de ſcientia viſionis, vt præcisè eſt viſio, ſed abſolutè de ſcientia viſionis, quæ re & ratione omnino identificatur cum ſcientia libera: & aſſerimus, ſicut *diſput. 16 de Auxiliis ad 5. argumentum præmiſimus*, quòd ſcientia viſionis, in quantum eſt practica, eſt cauſſa efficiens rerum, ſed in quantum eſt viſionis, ſupponit in ſignorationis res factas per eandem ſcientiam, in quantum eſt practica. Et in hoc ſenſu intelligenda eſt ſententia Thomiſtarum: nam per ſcientiam viſionis intelligunt ſcientiam liberam.

Digitized by Google

ram. Vnde ſuperfluè multiplicantur tot argumenta ad probandum quòd ſcientia Dei, *in quantum præcisè & formaliſſimè eſt viſionis*, non ſit cauſſa efficiens rerum, cùm nullus Thomiſta id neget, ſed multi expreſsè id concedant.

Notandum Secundò, quod vt *diſp. 6. & 7. de Auxiliis* oſtenſum eſt, ſcientia Dei ſufficienter diuiditur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ eſt merè naturalis, & in ſcientiam viſionis, quæ ſupponit liberum decretum diuinæ voluntatis. & conſequenter eſt ſcientia merè libera. Vnde inter has duas ſcientias nulla datur in Deo tertia ſcientia, vt oſtenſum eſt in *diſpu. 7. de Auxiliis*, quod etiam conſtat ex dictis *cap. 1. huius libri; & ſequentibus*. Scientia verò approbationis non diſtinguitur in ratione ſcientiæ in Deo, etiam ratione ratiocinata à ſcientia viſionis, vt *diſp. 6. de Auxiliis n. 6.* viſum eſt. *Not. 2.*

Tertiò ſupponēdum eſt, quòd in Deo ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & ſcientia viſionis ſunt vnica & ſimpliciſſima ſcientia realiter, & formaliter, & ſolùm diſtinguuntur ratione ratiocinata, ſiue fundamentaliter, & eminenter, quatenus fundant diuerſos conceptus, ſecundùm quod ſcientia ſimplicis intelligentiæ dicit reſpectum rationis ad res merè poſſibiles, quæ nunquam habituræ ſunt eſſe, & ſub hoc reſpectu concipitur à nobis. Scientia verò viſionis, ſeu libera importat in Deo eandem ſcientiam cum habitudine rationis ad res in aliqua differentia temporis futuras ex libero decreto voluntatis diuinæ, & ſub hac ratione concipitur à nobis cum fundamento in re. *Not. 3.*

Quartò

Not. 4. Quartò notandum, quòd approbatio voluntatis diuinæ poteſt cadere ſupra ipſum actum diuinæ voluntatis, quo ab æterno decreuit, vt in tempore ſint futura ea omnia, quæ ipſe facit. Nam cùm talis actus ſit bonus, non poteſt non approbari à Deo. Secundò poteſt cadere ſupra rem, quam producit per ſuam ſcientiam practicam, & ſecundùm iſtam rationem prius intelligitur res facta, quàm intelligatur à Deo approbata, vt colligitur ex illo Geneſ. 1. *Et dixit Deus,*
Geneſ. 1. *fiat lux, & facta eſt lux.* Et ſtatim ſubditur: *Et vidit lucem, quòd eſſet bona,* id eſt, approbauit lucem à ſe factam tanquam bonam. Et cõfirmatur; nam approbatio eſt, quaſi quædam confirmatio, & ratihabitio, qua id, quod factum eſt pro firmo ha-
Simile. betur. Quod etiam explicari poteſt exemplo Regis, qui ea, quæ facta ſunt per eius miniſtros, cùm ad eius iudicium referuntur ratificat, & approbat, dicens, bene factum eſt, quod Hiſpanè his verbis explicatur, *è nos tuuimoslo per bien.* Vnde argumenta omnia, quibus auctores primæ ſententiæ probare nituntur Deum per ſcientiam viſionis non eſſe cauſſam efficientem futurorum retorqueri poſſunt à fortiori contra eorum opinionem, & multo efficacius, quia etiam ſcientia approbationis præciſè; & formaliſſimè, vt ſcientia approbationis eſt, non eſt cauſa efficiens rerum, nam, vt ſic ſupponit in ſigno rationis res ipſas factas, ac per conſequens ſub iſta præciſione non poteſt eſſe cauſa earum efficiens.

Not. 5. Quintò ſupponendum eſt ex his, quæ dixi
S. Thom. *diſp.* 17. *de Auxiliis,* quòd præter intellectum, & voluntatem non eſt in Deo conſtituenda ad

Digitized by Google

producendum res ad extra tertia potentia exequutiua eminenter, vel ratione ratiocinata diſtincta, ſed immediatè per intellectum, & voluntatem operatur ad extra, vt in eadem diſputatione pluribus locis Scripturæ oſtenſum eſt, quam ſententiam tanquam probabiliorem defendit Caietanus 1. *p.q.*25.*art.*1.*&* *q.*54.*art.*5. & eam docet expreſsè S.Thom. *eadem quæſt.*25.*art.* 1.*ad* 4.*in* 2.*ſolutione*, per quam correxit primam: ait enim: *Ipſa ſcientia, vel voluntas diuina ſecundùm quod eſt principium effectiuum habet rationem potentiæ.*His ſuppoſitis ſit *Caietanus.* *S. Thom.*

IX. *S. Thom.* Prima Concluſio. Scientia Dei eſt cauſa efficiens rerum.Hæc concluſio,vt iacet eſt expreſſa ſententia S. Thomæ 1.*par.qu.*14.*art.* 8. *in corpore*, quam probant efficaciſſimè loca Scripturæ, & rationes Theologicæ à nobis adductæ *diſp.*16.*de Auxiliis, concluſ.* 1. *&* 2. Ibi poterunt videri, nec opus eſt ea in præſenti repetere. Vt autem explicemus, quæ ſcientia Dei ſit cauſſa rerum, & qualiter; vtrum id competat ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, vt antecedit in ſigno rationis liberum actum diuinæ voluntatis,an verò id tribuendum ſit ſcientiæ liberæ,qualis eſt ſcientia viſionis,ſit

Secunda çoncluſio:Scientia Dei,vt præintelligitur ante omnem actum liberum diuinæ voluntatis,eſt cauſſa rerum per modum dirigentis, quatenus per illam cõcipitur forma operis. Hæc concluſio eſt S. Thomæ 1. *parte quæſt.* 19. *artic.* 4. *ad* 4. vbi ait: *Quod vnius & eiuſdem effectus, etiam in nobis eſt cauſſa ſcientia, vt dirigens, qua concipitur forma operis, & voluntas vt imperans:*

Digitized by Google

imperans: quia forma, vt eſt in intellectu tantùm, non determinatur ad hoc, quòd ſit vel nõ ſit in effectu, niſi per voluntatem. Et expreſſius idipſum docet in 1. *ſent. diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 1. *in corpore.* Vbi ſic ait: *Sciendum eſt ergo, quòd ſcientia ſecundùm rationem ſcientiæ non dicit aliquam cauſſalitatem; aliàs omnis ſcientia cauſa eſſet: ſed in quantum eſt ſcientia artificis operantis res, ſic habet rationem cauſſæ reſpectu rei operatæ per artem. Vnde, ſicut eſt cauſſalitas artificis per artem ſuam, ita conſideranda eſt cauſſalitas diuinæ ſcientiæ. Eſt ergo iſte proceſſus in productione artificiati. Primò ſcientia artificis oſtendit finem: ſecundò voluntas eius intendit finem illum: tertiò voluntas imperat actum, per quem educatur opus, circa quod opus ſcientia artificis ponit formam conceptam.*

X. Probatur hæc concluſio ex differentia, quæ reperitur inter agentia naturalia, & agentia libera: nam agentia naturalia, ex eo quod per ſuam formam ſunt ad vnum determinata, & ad vnum modum producendi, & cauſſandi ſuos effectus, non indigẽt aliquo extrinſeco dirigente: ſed per ſuas formas, & inclinationes naturales producũt ſemper eodem modo ſuos effectus. Cæterùm agentia libera, quæ operãtur per intellectum, & voluntatem, cùm non ſint per ſuas formas actiuas ad vnum determinata, ſed operẽtur per formam vniuerſalem, & liberam, poſſunt diuerſos effectus ſecundùm ſpeciem producere, & diuerſimodè indigent aliquo dirigente, per quod determinentur, quo ad ſpecificationem ad iſtum effectum producendum, potiùs quàm ad illum; & ad operandum potiùs hoc modo particulari, quàm

quàm illo. Cùm ergo Deus ſit agens liberum, oportet, quòd ſcientia Dei proponat voluntati effectum particularem, quem ipſa debet producere, & modum quo talis effectus ſit producẽdus: Hoc autem competit ſcientiæ Dei, prout in ſigno rationis antecedit liberam determinationem voluntatis, cùm nihil ſit volitum, quin præcognitum. Ergo ſcientia Dei, vt in ſigno rationis præcedit liberam determinationem voluntatis eius, eſt cauſſa rerum per modum dirigentis.

Secundò probatur. Scientia Dei, vt in ſigno rationis antecedit actum diuinæ voluntatis, & productio rerum eſt earum cauſſa eo genere cauſſalitatis, quo ſcientia artificis eſt cauſſa rei artificiatæ: Deus enim eſt ſupremus rerum artifex: Iuxta illud *Sap.* 8. *Si autem ſenſus operatur: quis horum, quæ ſunt, magis quàm illa eſt artifex.* Sap. 8. Et *cap.7. Omnium enim artifex docuit me Sapientia.* Sed ſcientia artificis priuſquam per potentiã exequutiuam efficiat rem artificiatam, dirigit eius operationem, oſtendendo qualiter ſit exequenda iuxta regulas artis. Ergo ſimiliter ſcientia Dei, prius in ſigno rationis, quàm producat res ad extra, eſt earum cauſſa per modum directionis præſtituendo finem, & media, quibus ad illum peruenitur, vt per voluntatem ipſa ſcientia artificis determinetur, & applicetur ad tale, vel tale opus exequendum.

Confirmatur auctoritate Ariſt. *6. Eth.* Vbi definit artem, quòd *ſit recta ratio rerum factibiliũ*, vt oſtenderet quod ſcientia artificis eſt, quæ dirigit opus factibile, prius quàm fiat, vt ſecundũ

rectam rationem iuxta regulas artis producatur. Ergo idem etiam tribuendum eſt ſcientiæ Dei comparatione rerum, quas per ſuam artem producit.

Tertiò probatur. Voluntas non poteſt mouere, quantum ad exercitium, nec determinare ſe ipſam ad amplectendum, vel exequendum aliquod bonum, niſi proponatur ei ab intellectu. Ergo, vt volũtas Dei eligat, & amplectatur productionem huius vniuerſi cum omnibus eius partibus, potiùs quàm alterius, debet dirigi ab eius intellectu, ſeu ſcientia.

Confirmatur. Nam (vt probaui 1. 2. *q.9.diſp.* 45.) voluntas mouet intellectum, quoad exercitium, ſed intellectus mouet voluntatem obiectiuè, quantum ad ſpecificationem, ex eo quòd eã dirigit proponendo, & oſtendendo bonum, quod debet eligere, & modum quo eſt exequutioni demandandum. Ergo.

XII. *Obiectio. S.Thom.* Et ſi quis obijciat. Nam directio voluntatis tribuitur ideis diuinis, ad quarum ſimilitudinem res producuntur in eſſe, vt patet ex his, quæ docet S.Tho.1.*p.q.*15. Ergo non debet tribui ſcientiæ, quæ ratione ratiocinata diſtinguitur ab ideis. Reſpondetur, quòd voluntas Dei dirigitur ab eius ſcientia, & ideis, aliter tamen, & aliter. Nam ab idea dirigitur, tanquàm ab exemplari, quod res imitatur, & ad cuius ſimilitudiné producitur, iuxta illud, quod dictũ eſt Moyſi Exodi 25. *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Scientia verò dirigit volũtatem, vt principium cognitionis, tàm ipſius exemplaris, quàm etiam rei ab illo exemplatæ. *Exod.25.*

Tertia

Tertia concluſio. Scientia ſimplicis intelligentiæ ſecundùm ſe, & quatenus antecedit in ſigno rationis omne liberum actum diuinæ voluntatis, eſt in actu primo cauſſa efficiens omnium creaturarum, non autem in actu ſecundo, & quantum ad exercitium, niſi per voluntatem determinetur ad opus exequendum. Prima pars huius concluſionis eſt expreſſe S. Tho. 1. *parte q.* 14. *ar.* 16. *in corpore.* vbi ſic ait: *De his, quæ poteſt Deus quidem facere, ſed ſecundùm nullum tempus facit, non habet practicam ſcientiam, ſecundùm quod practica ſcientia dicitur à fine. Sic autem habet practicam ſcientiam de his, quæ ſecundùm aliquod tempus facit.* Et in ſolutione ad 2. ſubdit: *Quòd ſcientia Dei eſt cauſſa, non quidem ſui ipſius, ſed aliorum: quorundam quidem actu, ſcilicet eorum, quæ ſecundùm aliquod tempus fiunt. Quorundam verò virtute, ſcilicet eorum, quæ poteſt facere, & tamen nunquam fiunt.* Quibus verbis expreſſe affirmat, quòd ſcientia Dei eſt cauſſa efficiens in virtute, hoc eſt, in actu primo, eorum, quæ poteſt facere, & tamen nunquam fiunt. Et probatur. Eſſe cauſſam rerum in actu primo, eſt habere virtutem, & potentiam actiuam, qua poſſit producere aliquem effectum, etiam ſi de facto illum non producat: eo quòd agẽs ſua libertate, vel alia ex cauſſa noluit illum producere, vt patet in artifice, qui per eandem artem poteſt alia quàm plurima artificiata producere diſtincta ab illis, quæ producit, vel eſt producturus: ſed Deus, cùm ſit ſupremus artifex, poteſt per ſuam ſcientiam producere alias res quàm plurimas diſtinctas ſecundùm ſpeciem, & numerum ab ijs, quæ

producuntur ab illo in quacumque menſura: aliàs non poſſet facere, niſi ea, quæ facit, ac per conſequens eius potentia eſſet finita, & limitata, nec Deus eſſet omnipotens, quod eſt contra fidem, vt oſtendit S. Thom. 1. *p.q.* 25. *art.* 2. *&* 3. Ergò ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vt in ſigno rationis antecedit liberum actum voluntatis Dei, eſt cauſſa creaturarum in actu primo.

S. Thom.

XIII. Secunda verò pars cõcluſionis etiam eſt manifeſta, & aſſeritur expreſſè à S. Tho. *q.* 14. allegata, & ratio illius euidens eſt, nam Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ non producit omnia, quæ poteſt producere, niſi per voluntatem determinetur, vt in actu ſecũdo, & in exercitio ea producat de facto, aliàs produceret omnia, quæ poteſt producere, quod eſt impoſſibile, & contra ea, quæ ſuperius dicta ſunt. Ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ non eſt in actu ſecundo, & in exercitio cauſſa efficiens eorum omnium, quæ poteſt facere.

S. Thom.

Secundò probatur. Habitus practicus exiſtẽs in mente artificis, non eſt cauſſa in actu ſecundo, & in exercitio artificiatorũ, quæ poteſt facere; ſed nunquam faciet. cuius ratio eſt, nam, cùm talis habitus practicus ſit in potentia intellectiua, quæ per talem habitum reſpicit artificiata in vniuerſali, ſicut & obiectum eiuſdem potentiæ eſt vniuerſale: ideo ſecundùm ſe non eſt determinatus ad producendum in exercitio iſtam rẽ artificiatam, potiùs quàm illam, niſi determinetur aliunde, ac per conſequens poteſt ad plura ſe extendere, quàm ad ea, quæ operatur de facto, propter quod Ariſtoteles ait, quod intellectus ſpecu-

Ariſt.

ſpeculatiuus extenſione fit practicus. Ergo idem tribuendum eſt ſcientiæ diuinæ, cùm ſit ars vniuerſalior, & omnium ſuprema.

Quarta concluſio. Eadem ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vt præuenit in ſigno rationis liberum actum diuinæ voluntatis, eſt cauſſa exemplaris omnium aliarum ſcientiarum, & earum menſura: non autem eſt ſub ratione ſcientiæ cauſſa exemplaris aliarum rerum. Prima pars concluſionis probatur. Nam aliæ ſcientiæ imitantur diuinam perfectionem ſecundùm rationem formalem ſcientiæ, quæ in Deo eſt: nam ad eius ſimilitudinē producuntur. Vnde S. Tho. in 1. *ſent. diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 1. *in corpore.* vbi ait, *quòd Deus ſcientia ſua eſt cauſſa per modum efficientis, & exemplaris omnium ſcientiarum*, & paulo antea ponit exemplum in diuerſis Dei attributis, quæ licet ſint vna & eadem res, aliquid attribuitur vni, quod nō attribuitur alteri. Et inde eſt, quòd bonitas diuina dicitur cauſſa bonorum, & vita cauſſa viuētium, & ſic de alijs, & loquitur apertè de cauſſa efficiente, & exemplari, vt conſtat ex toto corpore articuli. Ergo. XIV. S. Tho.

Præterea probatur ex illo communi, & ab omnibus recepto principio, primum in vnoquoque genere eſt cauſſa omnium aliorum, quæ ſunt in illo genere, quod de cauſſa exemplari intelligendum eſt; ſed in genere ſcientiæ, diuina ſcientia eſt prima, & perfectiſſima, atque infinita. Ergo eſt cauſſa exemplaris omnium aliarum ſcientiarum, quæ in intellectu creato reperiuntur.

Dixi in concluſione, ſcientiam Dei eſſe cauſ- XV.

Digitized by Google

ſam exemplarem aliarũ ſcientiarũ:non autẽ dixi aliarum rerum, nam ſcientia diuina non eſt cauſſa exemplaris aliarum rerum, ſed ſolum aliarum ſcientiarum, vt expreſſe videtur docere Sanctus Thomas in 1. *ſent. articulo.* 1. *allegato.* Vbi ſolùm tribuit ſcientiæ diuinæ, quòd ſit cauſſa exemplaris aliarum ſcientiarum: non autem aliarum creaturarum, & aliam cauſſalitatem tribuit ſcientiæ comparatione omnium creaturarum; ait enim quod eſt cauſſa earum alio modo, & hanc ſententiam defendit M. Bagnes 1. *p. q.* 15. *art.* 1. *circa ſecundum punctum, concluſ.* 3. quam prius docuit Durandus *in* 1. *diſt.* 38. *q.* 1. & Sylueſ. *in conflato q.* 14. *art.* 11. Et alij Thomiſtæ, quamuis M. Zumel 1. *p. q.* 14. *art.* 8. *concluſ.* 2. teneat oppoſitum: ait enim quòd ſcientia diuina eſt cauſſa exemplaris rerum, & loquitur abſolutè de omnibus rebus. Sed probatur noſtra ſententia ratione M. Bagnes. Diuina eſſentia non eſt idea creaturarum, prout eſt ſpecies intelligibilis, neque prout eſt cognitio creaturarum, neque prout eſt ſcientia, neque prout eſt ars, ſed prout eſt forma obiecta diuino intellectui, & cognita ab ipſo, vt imitabilis à creaturis. Quod ſic oſtenditur, nam cauſſa exemplaris eſt illa ad quam reſpiciens agens operatur, vt patet ex loco Exodi ſuperius inducto. Ergo neceſſariò debet habere rationem obiecti cogniti, ad cuius ſimilitudinem producitur effectus, ſed ſcientia Dei in quantũ ſciẽtia, nõ habet rationẽ obiecti cogniti, ad quod reſpiciens agens operatur, & ad cuius ſimilitudinem producuntur omnes

S. Thom.
M. Bagnes.
Sylueſt.
M. Zumel.
M. Bagnes.

omnes creaturæ, quia non omnes creaturæ imitantur ſcientiam diuinam, nam quædam ſolùm imitantur eſſentiam diuinam in quantum habent eſſe, ſicut lapides: quædam illam imitantur in quantum eſt viuens, quædam verò imitā-tur illam ſecundùm gradum intellectiuum, ſicut Angeli, & homines: Ergo ſcientia diuina, in quantum ſcientia, non eſt cauſſa exemplaris omnium creaturarum.

Confirmatur. Nam ſcientia, in quantum ſcientia, eſt principium cognitionis, ſeu cognitio obiectorum, quæ per illam attinguntur. Ergo in ratione ſcientiæ non eſt cauſſa exemplaris omnium ſcitorum, quæ per illam cognoſcuntur.

Secūdò probatur: Eſſe cauſſam exemplarem rerum, eſt proprium idearum in mente diuina exiſtentium, ad quas reſpiciens Deus producit res ad extra; ſicut artifex reſpiciens ad ideam domus, quam habet in mente, conficit domum ad extra: ſed ſcientia diuina in quantum ſcientia, non habet rationem ideæ, cùm ſcientia, & idea ſint diſtincta attributa, quæ diſtinguuntur in Deo ratione ratiocinata, propter quam diſtinctionem hæc propoſitio eſt falſa: attributum ſcientiæ eſt attributum ideæ. Ergo ſcientia Dei, in quantum eſt ſcientia, vel ars, non habet, quòd ſit cauſſa exemplaris omnium creaturarum.

Tertiò probatur. Vt docet S. Tho. 1. *p.q.*15. XVI.
artic. 1. forma, quæ eſt principium cognitionis *S. Thom.*
in mente alicuius, diſtinguitur ab ea, quæ eſt exemplar, & terminus cognitionis: ſed ſcientia Dei habet rationē principij cognitionis: exēplar

autem habet rationem termini, & obiecti cogniti, ad cuius imitationem artifex producit effectum. Ergo ſcientia Dei, in quantum ſcientia, non eſt cauſſa exemplaris omnium creaturarũ.

Obiectio. Et ſi quis obijciat, ſequeretur ex hac ratione, quòd ſcientia Dei, in quantum ſcientia, non ſit cauſſa exemplaris aliarum ſcientiarum, quod eſt contra Sanctum Thomam in 1. *ſenten.* ſuperius allegato, & contra ea quæ dicta ſunt in quarta concluſione, Reſpondetur negando cõſequentiam. Nam ſcientia Dei habet vtrumque, & quòd ſit principium cognitionis, & quòd ſit obiectum cognitum, ad quod reſpiciens operatur Deus alias ſcientias, quæ imitantur perfectionem ſcientiæ diuinæ, & ideo ſcientia Dei poteſt eſſe cauſſa exemplaris aliarum ſcientiarum, non autem poteſt eſſe cauſſa exemplaris aliarum rerum: quia non omnes res imitantur, nec poſſunt imitari perfectionem ſcientiæ diuinæ, etiam in quantum ſcientia eſt obiectum cognitum, nec produci ad ſimilitudinem illius. Vnde non eſt ſimile.

S.Thom.

Solutio.

XVII. Quinta concluſio. Scientia Dei libera eſt in actu ſecundo, ſiue in exercitio cauſſa efficiens rerum omnium, quantum ad omnem entitatem, & bonitatem, quam habent. Hæc concluſio ſub his terminis negari non poteſt, etiam ab auctoribus primæ ſententiæ, quam probant multa argumenta ex factis à principio, & eſt expreſſa S. Tho. 1. *p.q.* 14. *art.* 8. Et *q.*19. *articu.*4. & eam defendunt Caietanus, M. Bagnes, & Zumel in vtroque articulo. Et Egidius in 1. *diſt.* 38. *art.*1. *q.* 1. Albertus Magnus, & expreſſius eam docet

S.Thom. Caiet. M.Bagn. Zumel. Egidius Alber.Magnus.

itized by Google

docet S.Tho.1.*p.q.*25.*art.*1.*ad quartum*.Vbi ait: *Quòd ipſa ſcientia, vel voluntas diuina, ſecundùm quod eſt principium effectiuum, habet rationem potentiæ.* S.Thom.

Præterea probatur teſtimonijs Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum adductis in *lib.*2. *de Auxiliis diſp.*16. *&* 17. ſed præſertim ex illo *Prou.*3.*Dominus ſapientiâ fundauit terram: ſtabiliuit cœlos prudentiâ*, quo in loco tribuitur ſcientiæ Dei efficientia cœli, & terræ, & aliorum omnium, quæ in cœlo, & terra continentur, quæ omnia ſignificantur nomine cœli, & terræ, ſicut in Symbolo fidei, cùm profitemur, Deum creatorem cœli, & terræ. Et vt oſtenderet, huiuſmodi efficientiam competere ſcientiæ Dei, vt habet coniunctam voluntatem, ideo vocauit eam *prudentiam*, quæ eſt cognitio habens coniunctum actum voluntatis. Prou.3.

XVIII. Tertiò probatur. Deus per actum imperij producit res ad extra, vt patet ex illo *Geneſ.*1. *Fiat lux, & facta eſt lux*, & in toto diſcurſu capitis productio aliarum creaturarum tribuitur efficienter Deo imperanti per verbum, *fiat*, quod explicans Pſalmiſta, inquit: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*: Sed imperium eſt actus intellectus, vt mouetur à volútate, ſicut expreſſe docet. S.Tho. 1. 2. *q.*17. *art.* 1. Quod etiam nos probauimus *eodem art. diſp.* 62. Ergo ſcientia Dei, vt habet coniunctum actum voluntatis, eſt cauſſa efficiens omnium rerum. Manifeſtum eſt autem ſcientiam Dei, quæ habet coniunctum actum voluntatis eſſe ſcientiam liberam: ideo enim Geneſ.1. Pſal.32. S.Thom.

dicitur ſcientia libera, quia fundatur in libero decreto voluntatis diuinæ, & illud in ſigno rationis præſupponit, per quod ipſa Dei ſcientia determinatur ad producendas in exercitio res ad extra; cùm tamen ex natura ſua non eſſet ad eorum productionem determinata. Ergo Deus per ſcientiam liberam eſt cauſſa efficiens creaturarum.

Quartò probatur. In Deo ſolùm eſt duplex ſcientia, videlicet ſcientia ſimplicis intelligentię quæ eſt naturalis, & ſcientia libera: ſed Deus nō producit, nec produxit in actu ſecundo, ſiue in exercitio res creatas per ſcientiam naturalem, aliàs ex neceſſitate naturæ, & non liberè res produxiſſet, quod eſt contra fidem, vt conſtat ex illo Iacob 1. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*. Ergo.

Iacob.1.

Confirmatur primò. Cauſſa libera eſt perfectior, quàm cauſſa naturalis, ſed perfectiſſimus modus cauſſandi, & perfectior ratio cauſſæ tribuenda eſt Deo. Ergo Deus liberè produxit res ad extra. Ergo per ſcientiam liberam.

Confirmatur ſecundò. Quia ſi per ſcientiam naturalem produxiſſet in actu ſecundo creaturas, ſiue ex neceſſitate naturæ, ſequeretur, quòd produxiſſet eas ab æterno. Item etiam ſequeretur, quòd produxiſſet omnes creaturas poſſibiles. Conſequens quoad vtramque partē eſt cōtra fidē, vt cōſtat ex illo Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cœlū, & terrā*, id eſt, in tēporis initio, vt explicant cōmuniter Sācti Patres, qui ex hoc loco probāt, mūdū nō fuiſſe ab æterno productum, à Deo, quod etiam definit Conc. Lat. & refertur

Geneſ.1.

Conc. Lat.

cap.

cap. Firmiter. de ſumma Trinitate, & fide catholica. vbi ſic dicitur: *Deus ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, & ſpiritualem, & corporalem:* quia niſi per liberam Dei voluntatem eſſet determinatum tempus, in quo creaturæ producendæ erant, nulla poſſet aſſignari ratio, quare productæ fuerint in initio temporis, neque eſſet maior ratio, propter quam ſcientia Dei ex omnibus creaturis poſſibilibus creauerit potiùs iſtas, quàm illas; cùm ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ſeu naturalis æqualiter ſe habeat ad omnes creaturas poſſibiles. Ergo produxiſſet ab æterno omnes creaturas, quas poterat producere.

Quinta concluſio. Scientia viſionis, in quantum eſt ſcientia practica, eſt cauſſa efficiens creaturarum in actu ſecundo, ſiue in exercitio. Hæc concluſio videtur contra auctores primæ ſententiæ, ſed defenditur à multis Thomiſtis, & videtur expreſſa D. Auguſtini *lib.* 13. *confeſſionum cap.* 38. vbi ſic ait: *Nos itaque iſta quæ feciſti videmus, quia ſunt: tu autem quia vides ea, ſunt. Et nos foris videmus, quia ſunt; & intus, quia bona ſunt: tu autem vbi vidiſti facta, ibi vidiſti facienda.* Idem docet Sanctus Gregorius *lib.* 20. *Moral. cap.* 13. Cuius verba ſunt: *Nam, & quæ ſunt, non ab æternitate eius videntur, quia ſunt; ſed ideo ſunt, quia videntur.* Et probatur, nam ſcientia Dei libera eſt cauſſa efficiens rerum, vt concluſione præcedenti oſtenſum eſt: ſed ſcientia libera non diſtinguitur in Deo, etiam ratione ratiocinata à ſcientia viſionis in ratione ſcientiæ. Nam tam ſcientia XIX. *Auguſt.* *Greg.*

viſio

viſionis, quam ſcientia libera præſupponit in ſigno rationis liberũ decretum diuinę voluntatis, & terminatur ad eaſdem creaturas exiſtentes extra ſuas cauſſas in menſura æternitatis. Ergo ſcientia libera, in quantum eſt ſcientia practica, eſt in actu ſecundo cauſſa efficiẽs creaturarum.

Secundò probatur. In Deo nulla datur tertia potentia executiua diſtincta, etiam ratione ratiocinata ab eius intellectu, & voluntate, ſed immediatè per intellectum, & voluntatem producit res ad extra, vt ſupra dictum eſt. Ergo per ſcientiam viſionis immediatè, quæ importat actum intellectus, præſuppoſito actu voluntatis producit res ad extra. Dixi in concluſione, per ſcientiam viſionis, in quantum practica. Nam in quantum practica, producit res effectiuè, ſed in quantum viſionis, intuetur res non ab alia cauſſa, ſed à ſe ipſa productas, & in quantum ſcientia approbationis, eas approbat, & ſibi complacet in illis, iuxta illud Geneſ.
Geneſ. 1. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Pro cuius maiori intelligentia aduertere oportet, quòd vt viſio alicuius rei ſit cauſſa illius, non oportet, quòd ſint omnibus modis ſimul; ſed ſufficit, quòd coëxiſtant ſimpliciter in eadem duratione. Poteſt enim contingere, quòd eadem viſio ſit cauſſa obiecti, quod videt, licet in quantum eſt cauſſa præcedat ordine naturæ obiectum, quod videt, vt patet in Angelo, qui intuitiuè cognoſcendo aliquam rem producit eius Verbum, & eadem actione, qua producit Verbum, viuet illud: ſed in quantum viſio ſupponit Verbum à ſe productum, in quan-

Not.

Digitized by Google

in quantum eſt dictio. Similiter etiam, ſi Deus tribueret alicui Sancto, quod videndo aliquem cœcum, per talem viſionẽ tribueret illi viſum, eadem viſio eſſet cauſſa obiecti, quod videt; etiam ſi viſio, in quantum cauſſa, præcedat ordine rationis, vel naturæ obiectum illud: Multo ergo à fortiori id dicendum eſt de ſcientia viſionis, qua Deus videt creaturas per eandem ſcientiam productas, cùm ſit virtutis infinitæ: & forſan Chriſtus Dominus videndo multos infirmos, per eandem viſionem eos ſanauit, ſicut per vmbram Petri id fecit, vt dicitur *Actor.* 5.

Ad primum igitur argumentum ex factis à principio reſpondetur per ea quæ dicta ſunt in 5. *concluſ.* quòd ſcientia viſionis, in quantum practica, producit efficienter res, quas in quantum eſt viſio, intuetur. Vnde in quantum viſio, ſupponit in ſigno rationis res factas à ſe ipſa, in quantum eſt ſcientia artificis practica. XX.

Ad ſecundum reſpondetur, Patres; qui negant illam cauſſalem: Quia Deus præſciuit aliquid futurum eſſe, ideò futurum eſt; explicandi ſunt, & intelligendi in eo ſenſu, quo S. Thomas. 1. *p.* *q.* 14. *art.* 8. *ad* 1. explicat ſimilia verba Origenis quòd ſcilicet *loquũtur, attendentes rationem ſcientiæ, cui non competit ratio cauſſalitatis, niſi adiuncta voluntate*, vt dictum eſt. Et argumentum potius retorqueri poſſet contra defenſores ſententiæ contrariæ. Ipſi .n. aſſerunt, Deum per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe cauſſam rerum. Ergo tenetur concedere illam cauſſalem; Quia Deus per ſcientiam ſimplicis

S. Thom.

Arg. ad hominem.

ſimplicis intelligentiæ ſcit aliquid eſſe futurum per liberum arbitrium, ideo futurum eſt. Quòd ſi dicant, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe cauſſam rerum per modum dirigentis: non autem per modum efficientis efficientia reali ad modum cauſſæ Phyſicæ, tunc inſurgit contra illos maior difficultas. Nam tenetur aſſignare in Deo aliam ſcientiam ratione ratiocinata diſtinctam à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, per quam Deus verè efficienter producat res futuras per liberum hominis arbitrium. Hæc autem non poteſt eſſe alia, niſi ſcientia libera, quæ re, & ratione eſt eadem cum ſcientia viſionis. Ergo tenetur concedere illam cauſſalem: Quia Deus ſcientia viſionis, in quantum eſt practica, ſcit res eſſe futuras per liberum arbitrium, ideo futuræ ſunt, ita videlicet, vt illa cauſſalis denotet veram cauſſam efficientem, ac per conſequens in eodem ſenſu, quo S. Thom. debent explicare Patres inductos, niſi velint incidere in aliud inconueniens, quòd ſcilicet ſcientia Dei habens coniunctum liberum actum ſuæ voluntatis non ſit verè, & propriè cauſſa efficiens eorum, quæ per liberum arbitrium creatum futura ſunt, quod tamen concedi non poteſt, vt *diſputat. 16. de Auxiliis* oſtenſum eſt. Et patebit amplius in fine huius operis.

Sed dato illis, & non conceſſo, quòd ſola voluntas diuina ſit cauſſa efficiens rerum, tunc inſurgit fortius argumentum contra illos. Nam ſequitur, quòd etiam in eorum ſententia iſta cauſſalis ſit vera: Quia Deus voluit res eſſe futuras, ideo futuræ ſunt; & conſequenter hæc etiam

Digitized by Google

etiā erit vera: Quia Deus voluit, vt liberũ arbitriũ ſe determinet ad tales actus liberos, & producat illos, ideo tales actus liberi ſunt infallibiliter futuri per concurſum, & cooperationem creati arbitrij. Ergo neceſſe eſt, vt fateantur Deum abſoluto, & æterno decreto ſuæ voluntatis præuoluiſſe, & prædeterminaſſe omnes actus liberos futuros in tempore, quantum ad omnem entitatem, & bonitatem, quam habent; ac per conſequens in tali decreto poteſt Deus certò cognoſcere tales actus liberos infallibiliter eſſe futuros, nulla præſuppoſita ſcientia media. Etenim ex prædicto decreto infallibiliter ſequitur, quòd actus liberi à Deo prædeterminati ſint futuri, iuxta illud, quod dicit Augu- *Aug.*
ſtinus *in Enchiridio ad Laurentium cap.* 103. *Rogandus eſt, vt velit, quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit.* Et loquitur de neceſſitate conſequentiæ, quæ libertatem non tollit, non autem de neceſſitate abſoluta, vt *prima parte, quæſtione* 19. *articulo* 8. *ad* 1. explicat Sanctus Thomas.

Quòd autem dicunt prædallegati Patres, illam cauſſalem eſſe veram: Quia per liberum arbi- XXI.
trium aliquid futurum eſt, ideo ſcitur à Deo, antequam fiat, *intelligendum eſt* (vt ait Sanct. *S. Tho.* 1. *p.*
Thom.) *ſecundùm cauſſam conſequentiæ: non ſe-* *q.* 14. *ar.* 8.
cundùm cauſſam eſſendi. Sequitur enim, ſi aliqua *ad* 1.
ſunt futura, quòd Deus ea præſcierit; non tamen res futuræ ſunt cauſſa, quòd Deus ſciat.

Sed contra iſtam ſolutionem obiicitur. Nam *Obiectio.*
ſcientia Dei libera non eſt cauſſa efficiens, quod fiant peccata per liberum arbitrium,

ſed

ſed potiùs ipſum peccatū futurum per liberum arbitrium eſt cauſſa,vel cōditio neceſſariò prærequiſita ex parte obiecti ſecundarij, vt ſcientia Dei terminetur ad illud. Ergo idem erit dicendum de actibus bonis. Nam eſt eadem ratio, eo quòd tàm actus bonus, quàm malus debet eſſe actus liber, quam tamen libertatem non haberet, ſi Deus ante præſcientiam cooperationis arbitrij ex hypotheſi futuræ decerneret abſoluta, & efficaci voluntate, vt tales actus fierent per liberum abitrium, vel eſſet cauſſa efficiens, vt liberum arbitrium ſe determinaret ad tales actus producendos.

Solutio. S.Thom.

Reſpondetur, quod, vt docet S. Thom. *in 1. ſentent. diſtinct. 38. q. 1. art. 1. in corpore: Malum, quod eſt deuiatio à forma, & à fine, non cauſſatur à ſcientia Dei: ſed tantùm cauſſalitatem habet reſpectu bonorum, ſecundùm quod conſequuntur formam diuinæ artis & finem.* Et ex hoc fundamentò deducit in ſolutione ad primum, *quòd ſcientia artificis non eſt cauſſa defectus, qui contingit in artificiato, quamuis etiam eſſet præſcitus ab eo.* Sic ergo peccatum, quia deficit à recta regul a ſupremi artificis, eſt quidem præſcitum à Deo: ſed non cauſſatum per ſuam artem, & ſcientiam practicam, niſi ſecundùm quid, videlicet in quantum eſt actus & ens. Nam ſub hac ratione eſt bonum quoddam, & conſequenter procedit effectiuè à ſummo bono, tanquam à prima cauſſa efficiente, vt ſupra diximus *lib. 1. cap. 1. num. 29.* & expreſſe docet S. Thom. 2. *ſent. diſt. 37. q. 2. art. 1.* & conſtat ex dictis *diſp. 24. de Auxiliis.* Vnde non eſt ſimile.

Quia

Quia verò in argumento ſit magna vis in verbis Damaſceni, & aliorum Patrum, ſigillatim oportet ad eos reſpondere. Igitur quæ fuerit mens S. Damaſceni ex materia, quam tractat, colligi debet. Agit enim cõtra Manichæos, qui, vt refert Auguſtin. *lib.* 1. *Retractationum cap.* 9. aſſeruerunt, peccatores naturâ malos eſſe: non autem proprij arbitrij libertate; nam liberum negabant arbitrium, & omnia fieri fatali neceſſitate contendebant, vt refert Hieronym. *in proœmio Dialogi aduerſus Pelagianos*; & Sanctus Auguſt. *lib.* 2. *contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap.* 2. *&* 7. Solùm ergo intendit probare Damaſcenus loco præallegato, & in aliis locis, Deum per ſuam ſcientiam, & voluntatem non eſſe cauſſam noſtrarum actionum abſque libera cooperatione noſtri arbitrij, nec infert illi abſolutam neceſſitatem, ſiue actus ſit bonus, ſiue malus. Sed tamen quando actus eſt bonus, cauſatur à Deo, tanquam à prima cauſſa efficiente, & in quantum actus, & in quantum eſt bonus, quod per ſcientiam eius practicam fieri debet. Quando verò actus eſt malus, & peccatum, cauſſatur à Deo, in quantum eſt actus; ſed non in quantum malus, vt expreſsè docet S. Thom. *in* 2. *ſentent. diſtinct.* 37. *quæſt.* 2. *art.* 2. *in corpor. ad* 3. Et ideo peccatum abſolutè loquendo ſolùm tribuitur libero arbitrio deficienti, quod ideo defectibile eſt; quia ex nihilo factum eſt, vt docet idem Damaſcenus *lib.* 2. *fidei orthodoxæ capit.* 27. & alij Patres, quos allegaui *diſput.* 11. *de Auxiliis numer.* 2. Vnde illa verba Damaſceni: *Ea demum definit, quæ in*

XXII.

Ad Damaſcenum.

Auguſt.

Hieron.

Digitized by Google

arbitrio noſtro minimè conſiſtunt,ex quibus colligunt auctores ſententiæ contrariæ, Deum non prædeterminare actus noſtros liberos, intelligenda ſunt, ſicut ea S.Thom. explicat 1. *part. quæſt.*23.*artic.*1.*ad* 1.*& lib.*3.*contr.gentes cap.*90. *Quòd ſcilicet Damaſcenus nominat prædeterminationem impoſitionem neceſſitatis: ſicut eſt in rebus naturalibus, quæ ſunt prædeterminatæ ad vnum. Quod patet ex eo, quod ſubdit: non enim vult malitiam, neque compellit virtutem. Vnde prædeſtinatio non excluditur.* Illa enim particula *omnino*, quam arguens expendit in Damaſceno,vt illum trahat in ſuam ſententiam, noſtræ potiùs apertè fauet, & explicationi traditæ à S.Thoma. Deſignat quippe, ſcientiam Dei,qua prænoſcit futura, non eſſe ſolam cauſſam *omnino* eorum; quæ fiunt per noſtrum liberum arbitrium. Nam etiam voluntas noſtra à Deo mota liberè concurrit, & ſe determinat ad eandem operationem producendam, quam *Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur*, ſicut dicitur in Concil. Arauſicano 2. *canone.* 9. Nam illa particula, *omnino*, videtur excludere liberum concurſum, & determinationem noſtri arbitrij. Et propterea *diſput.*23. *de Auxiliis numer.* 1. obſeruaui, quòd Deus per motionem efficacem prædeterminat quidem liberum arbitrium ad bene operãdum, ſed non prædeterminat illud *omnino*,ſicut tribuitur Thomiſtis. Nam per illam particulam *omnino* videtur ſignificari, Deum eadem motione ita voluntatem prædeterminare ad conſenſum; vt ipſa voluntas non ſe determinet, nec poſſit diſſen

diſſentire,ſi velit; quod alienum eſt à ſenſu, & ſententia, nedum Thomiſtarum,ſed etiam omnium Catholicorum.

Damaſc. Illud verò, quod Damaſcenus ait; *vt Deus ea,quæ facturi ſumus, præſciat, à nobis proficiſcitur; nam ſi facturi non eſſemus, ne ipſe quidem, quod futurum non eſſet, pranoſceret*, veriſſimum quidem eſt, ſed ſecundùm regulam Sancti Thomæ ſuperius traditam, ita videlicet, vt intelligatur *ſecundùm cauſſam conſequentiæ, non ſecundùm cauſſam eſſendi: ſequitur enim ſi aliqua ſunt futura, quòd Deus ea præſcierit*, & ſimiliter ſequitur, quòd ſi aliquid non eſt futurum, Deus non præſciat illud eſſe futurum, ſed potius præſciat non eſſe futurum, aliàs ſcientia Dei eſſet falſa, & hæc quoad auctoritatem Damaſceni.

XXIII. *Ad Euſebium.* Euſebius loco allegato loquitur de præſcientia peccatorum, quæ non cauſſantur à ſcientia Dei libera, ſed ſolum præcognoſcuntur. Quæ explicatio colligitur ex verbis ipſius. Ait enim: *Deus cùm vniuſcuiuſque voluntatem prauideat, hunc perperam, illum rectè acturum, non ignorat. Non ergo præcognitio futurorum cauſſa. Nec enim vllo pacto ad peccandum Deus quemquam impellit, aut mouet, ſed è contra.* Sed in actibus bonis non excludit, nec poteſt excludere prædeterminationem voluntatis diuinæ.

Et in eoden ſenſu loquitur Hieron. *dialog.3. contr. Pelagianos*, cùm ait: *Non ideo peccauit Adam, quia Deus hoc facturum nouerat, ſed præſciuit Deus, quaſi Deus, quod erat propria voluntate facturus.*

P 2 Leo

Leo Papa. Leo Papa *ſerm.* 16. *de paſſione Domini*, loquitur expreſsè de peccato eorum, qui occiderunt Chriſtum, cuius ſcientia Dei non fuit cauſſa. Ait enim: *Non impias furentium manus immiſit in ſe Dominus, ſed admiſit: nec praſciendo, quod faciendum eſſet coëgit, vt fieret.* Vbi notandum eſt illud verbum, *coëgit*, quo ſignificatur præſciētiam Dei nullam inferre vim, aut neceſſitatem abſolutam libero arbitrio ad operandū bonum, vel malum, ſed vtrumque liberè per noſtrum arbitrium fieri. Et ſicut à parte rei noſtra voluntas liberè ſe determinat in exercitio ad iſtum actum, aut illum: ita Deus præſcit eundem actum eſſe futurum liberè, ſicut liberè futurus eſt.

Cyrill. Cyrillus etiam loquitur de peccato Iudæ. Ait enim: *Non ideo, quia de illo ſcriptum eſt, quòd periturus eſſet, propterea eo nequitiæ proceſſit, &c. verùm quoniam malignitate ſua periturus omnino erat, idcirco id omnino futurum eſſe ſcriptura prædixit, quam falſum quicquam dicere impoſſibile eſt. Deus enim ipſe per ſcripturam loquitur.*

XXIV. *Auguſt.* Quod attinet ad teſtimonia Sancti Auguſtini, iam *diſputatione* 16. *de Auxiliis* oſtenſum eſt, ipſum expreſsè docuiſſe noſtram ſententiam *lib.* 15. *de Trin. cap.* 13. vbi ſic ait: *Vniuerſas autem creaturas ſuas, & ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideo nouit; ſed quia nouit, ideo ſunt. Non enim neſciuit, quæ fuerat creaturus. Quia ergò ſciuit, creauit; non quia creauit, ſciuit.* Et *lib.* 6. *cap.* 10. id ipſum repetit. Quod etiam docet *libr. de prædeſtinat. Sanctorum capit.* 9.

&

& 10. & 19. & lib. de dono perſeuerantiæ cap. 14. cuius verba adduxi *diſput. 7. de Auxiliis numer.* 17. Neque in *lib. 5. de Ciuit. Dei capit.* 10. dicit contrarium; quin potius apertè fauet noſtræ ſententiæ. Solùm enim docet contra Ciceronem, quòd præſcientia Dei non tollit libertatem humanorum actuum, & loquitur etiam de præſcientia practica, qua Deus ſua futura facta præſciuit, & id, quod prædeſtinauit, impleuit, vt ipſe ait *lib. de prædeſtin. Sanctor. capit. 9. & 10. & 12.* Nec obſtat, quod ſubdit in *eodem capit. 10. de Ciuit. Dei*, vbi ait: *Nec enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum eſſe præſciuit.* Hoc enim veriſſimum eſt, ſi id intelligatur, ſicut intelligendum eſt, loquendo de peccato abſolutè, & ſimpliciter, vt in *2. ſent. diſtinct. 37. quæſt. 2. artic. 2.* dixit Sanct. Thom. Neque ex verbis Auguſtini poteſt colligi id, quod infert auctor, ipſum loqui, etiam de peccato, in quantum eſt quidam actus, & ens in genere naturæ. Hæc enim collectio non habet fundamentum in doctrina Sancti Auguſtini in *capit. illo* 10. vel in aliis eius libris. Quin potius pluribus in locis expreſsè docet oppoſitum, vt *diſput. 24. de Auxiliis numer.* 16. apertiſſimis eius teſtimoniis oſtenſum eſt. Sed præſertim *lib. 2. de lib. arbitr. capit.* 19. vbi proponit quæſtionem ſub his verbis: *Sed tu fortaſſis quæſiturus es: quonam mouetur voluntas, cùm ſe auertit ab incorruptibili bono ad mutabile bonum, vnde ei iſte motus exiſtat, qui profectò malus eſt.* Et ſtatim *cap.* 20. ad quæſtionem reſpondens, inquit: *Omne bonum ex Deo: nulla ergo natura*

S. Thom.

eſt, quæ non ſit ex Deo: motus ergo ille auerſionis, quem fatemur eſſe peccatum; quoniam defectiuus motus eſt: omnis autem defectus ex nihilo eſt, vide quo pertineat: & ad Deum pertinere non dubites, qui tamen defectus, quoniam eſt volũtarius, in noſtra poſitus eſt poteſtate. Quibus verbis, vt in *eadem diſp.24.de Auxiliis* notaui, S. Auguſtin. diſtinguit manifeſtè, in actu peccati motum realem, & phyſicum voluntatis, in quantum motus eſt, & iſtum docet ex Deo eſſe, & ad Deum pertinere, nec de hoc eſſe dubitandum. Alterum eſt defectus à recta ratione, quem ad ſolam voluntatem creatam deficiẽtem reducit, quæ quidem ex eo habet, quòd ſit defectibilis, quia ex nihilo eſt. Et eodem modo loquitur S.Thom. qui fuit interpres fideliſſimus doctrinæ Sancti Auguſtini, & eius defenſor, ſed præſertim in 2. *ſententiarum diſt.37.quæſtione 1.art.2.citato.* Vbi in peccato diſtinguit entitatem actus in quantum eſt actio, & ens quoddam ab eius defectu, & deformitate, & primum tribuit Deo, tanquàm primæ cauſſæ efficienti: quia omnis actus, in quantum actio, & ens, bonus eſt, & conſequenter procedit efficienter à primo bono, & à primo ente, à quo participat entitatem, & bonitatem, quam habet. Secundum autem refert in ſolam voluntatem deficientem, ex quibus principiis ſic concludit: *Et ideo quodcumque nomen deformitatem ſimul cũ actu ſignificat, ſiue in generali, ſiue in ſpeciali, non poteſt dici, quòd hoc à Deo ſit ſimpliciter. Vnde nõ poteſt dici abſolutè, quòd peccatũ ſit à Deo, vt homicidium, aut aliquid huiuſmodi, niſi cum hac additione, in quantum eſt actus, & in quantũ eſt ens.*

Cùm

Digitized by Google

Cùm ergo iuxta ſententiam S. Auguſt. locis ſuperius allegatis Deus per ſciētiam practicam ſit cauſſa efficiens rerum, quas ipſe facit, ſiue immediatè per ſe ipſum, ſiue per cauſſas ſecundas, etiam liberas, relinquitur, quod in eius ſententia Deus per eandem ſcientiam liberam ſit cauſſa efficiens actus peccati, in quantum actus, & ens eſt. Neque in *lib. 4. Geneſ. ad litteram c. 31.* ſuperius allegato aliquid dicit, quod ſententiæ contrariæ fauere videatur: ſolùm enim ex illo afferuntur hæc verba, *Neque enim cognitio fieri poteſt, niſi cognoſcenda præcedant*, ſed ibi Sanct. Doctor non loquitur de ſcientia Dei, ſed de cognitione Angelica. Sic enim ait: *Mens verò Angelica pura charitate inhærens verbo Dei, poſtea quàm in illo ordine creata eſt, vt præcederet cætera, prius ea vidit in Verbo Dei facienda, quàm facta ſunt: ac ſic prius in eius fiebant cognitione, cùm Deus dicebat, vt fierent, quàm in ſua propria natura: quæ itidem facta in eis ipſis etiam cognouit, minore itaque notitia, quæ veſpera dicta eſt. Quam notitiam ſanè præcedebant, quæ fiebant, præcedit cognitionem quicquid cognoſci poteſt. Niſi enim prius ſit, quod cognoſcatur, cognoſci non poteſt.* Poſtmodum verò in eodem capite apertè fauet noſtræ ſententiæ, cùm ſubdit. *Ac per hoc etiam ſi nulla hic morarum temporalium ſint interualla, præceſſit tamen ratio condendæ creaturæ in Verbo Dei, cùm dixit, Fiat lux: & ſecuta eſt ipſa lux qua angelica mens formata eſt, atque in ſua natura facta eſt, non autem alibi ſequebatur, vt fieret. Et ideò non prius dictum eſt, & ſic eſt factum, & poſtea dictum, fecit*

XXV. *Auguſt.*

Geneſ.

P 4 *Deus*

Deus lucem: continuò poſt verbum Dei, facta eſt lux, adhæſitque creanti luci lux creata videns illam, & ſe in illa, id eſt, rationem, qua facta eſt.

XXVI. Multo minori cum apparentia allegatur Boëtius *proſa* 4. pro ſententia oppoſita, cùm idem Boëtius *lib.* 4. *proſa* 4. doceat apertè nexum cauſſarum, ex quibus in tempore procedunt effectus contingentes, & liberi eſſe, per diuinam prouidentiam præordinatum, quod ſic oſtenditur, nam ibi diffinit fatum dicens: *Fatum eſt inhærens rebus mobilibus diſpoſitio., per quam prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus.* Quam diffinitionem explicans S. Thomas 1.*p. q.* 116. *artic.* 1. *in corp.* ait: *Quod ea, quæ hîc per accidens aguntur, ſiue in rebus naturalibus, ſiue humanis, reducuntur in aliquam cauſſam præordinantem, quæ eſt prouidentia diuina, &c. Nihil etiam prohibet ea, quæ hîc per accidens aguntur, vt fortuita, vel cauſſa alia reduci in aliquam cauſſam ordinantem, quæ per intellectum agat, & præcipuè in intellectum diuinum. Nam ſolus Deus poteſt voluntatem immutare, vt ſupra habitum eſt. Et per conſequens ordinatio humanorum actuum, quorum principium eſt voluntas ſoli Deo attribui debet. Sic igitur in quantum omnia; quæ hîc aguntur, diuinæ prouidentiæ ſubduntur, tanquam per eam ordinata, & quaſi prælocuta fatum ponere poſſumus: licet hoc nomine Sancti Doctores vti recuſauerint propter eos, qui ad vim poſitionis ſyderum hoc nomen retorquebant.* Et *art.* 2. eiuſdem quæſtionis ex eadem auctoritate Boëtij probat. Quod, *fatum eſt in ipſis cauſſis creatis, in quantum ſunt ordinata à Deo ad effectus producendos.* Et loquitur expreſsè

P. Suarez Prolog. 2. *c.* 10. *n.* 12.

S. Thom.

Quæſt. 105. *art.* 4. & *q.* 106. *art.* 2. & *q.* 111. *art.* 2.

Digitized by Google

expreſsè de omnibus cauſſis, tam naturalibus, quàm liberis, & contingentibus, vt euidenter demonſtrant verba ipſa Boëtij, quæ in corpore eiuſdem articuli refert S.Thomas.Et *art.*3.eiuſdem quæſtionis ex verbis illis Boëtij: *Fatum eſt immobilis diſpoſitio rebus mobilibus inhærens*, concludit, *quòd fatum ſecundùm conſiderationem ſecundarum cauſſarum mobile eſt,ſed ſecundùm quod ſubeſt diuinæ prouidentiæ, immobilitatem ſortitur, non quidem abſolutæ neceſſitatis, ſed conditionatæ ſecundùm quod dicimus hanc conditionalem eſſe veram, vel neceſſariam: Si Deus præſciuit hoc,futurum erit.*Et *art.* 4.probat ex eodem Boëtio: *Quòd omnia illa, quæ fiunt à Deo mediantibus cauſſis ſecundis,ſub fati ſerie continentur*, vt ait in ſolutione ad 1. Cùm ergo tàm clarè, & apertè faciat pro nobis Boëtij ſententia, ſicut à S.Thoma explicatur, & defenditur, abſque vllo fundamento trahitur, & allegatur pro contraria. Vbi enim verba Boëtij ſunt ita clara, & manifeſta, ſuperfluum eſt, per conſequentias præſertim inualidas, mentem illius venari. S. *Thom.*

Sanctus Anſelmus loco allegato ſolùm docet, quòd neceſſitas antecedens non compatitur ſimul cum libertate: ſed per neceſſitatem antecedētem intelligit neceſſitatem abſolutam, vt oſtenſum eſt *diſput.*22.*de Auxiliis num.*40.non autem neceſſitatem ex ſuppoſitione, quæ eſt neceſſitas conſequentiæ, ſeu conditionata. Hæc enim non repugnat libertati,vt *diſp.*25.*de Auxiliis* probaui ex profeſſo.Sed circa ſenſum Anſelmi erit diſcutienda ſpecialis difficultas libr. vlt. huius operis. S. *Anſel.*

P 5 *Reſpon*

Digitized by Google

Reſponſio ad alia argumenta ex rationibus Theologicis deſumpta.

XXVII. AD tertium argumentum reſpondetur primò, ſolùm concludere, quòd ſcientia viſionis, in quantum formaliſſimè eſt viſio, non ſit cauſſa efficiens rerum; non tamen probat, quòd eadem ſcientia, in quantum eſt libera; & ſcientia practica in actu ſecundo, non ſit cauſſa efficiens rerum, vt conſtat ex dictis *concluſ.* 3. *&* 4.

Secundò reſpondetur, quòd Deus eſt cauſſa efficiens rerum per intellectum, & voluntatem, videlicet per actum imperij, iuxta illud *Pſal.*148. Pſalm. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt.* *S. Thom.* Imperium autem, vt docet S. Tho. 1.2.q.17. *art.* 1. *in corpore: eſt actus rationis praſuppoſito actu voluntatis, in cuius virtute ratio mouet per imperium ad exercitium actus.* Quod etiam nos latè oſtendimus ſuper eundem *art. diſp.* 62. Vnde per ſcientiam ſuam, & artem, quatenus per actum voluntatis determinatur ad producendas creaturas, quæ in qualibet menſura exiſtunt, eſt Deus cauſſa earum efficiens. Cùm ergo huiuſmodi ſcientia ſit libera, & practica, relinquitur, quòd per ſcientiam liberam ſit Deus cauſſa efficiens rerum.

Argu. ad hominem. Sed dato diſputationis gratia, & non cōceſſo, quòd ſola voluntas Dei ſit cauſſa efficiens rerũ, vt arguens contendit, tunc retorqueo argumentum contra illum; ſequitur, quòd etiam in eius ſententia iſta cauſſalis ſit vera: Quia Deus voluit

iſtum

iſtum actum liberum eſſe futurum per liberum concurſum liberi arbitrij:ideo futurus eſt. Ergo tenentur concedere, quòd determinatio diuinæ voluntatis debeat præcedere ratione, & cauſſa liberam determinationem, & cooperationem creati arbitrij; ac per conſequens tenentur fateri, Deum æterno, & abſoluto decreto prædeterminaſſe omnes actus liberos, & contingentes, qui in tempore fiant; quantum ad omnem entitatem, & bonitatem, quam habent. Nam tale decretum, cùm ſit in ipſo Deo, neceſſe eſt, quòd ab æterno præceſſerit in illo, aliàs mutaretur, ſi in tempore inciperet velle aliquid, quod ab æterno non voluit.

Sed dicunt Deum habuiſſe quidem ab æterno liberum decretum producendi in tempore per liberum arbitrium liberos actus bonos, ſed hoc decretum non eſt abſolutum, & efficax, niſi prius in ſigno rationis præintelligatur in Deo ſcientia media, qua certò præſciuit liberam cooperationem, & determinationem creati arbitrij futuram ex hypotheſi, quod conſtituatur in talibus circunſtantiis, ſed hoc ſufficiēter manet impugnatum ex ſupradictis *lib.1.cap.1.& 3.* *Solutio.*

Ad confirmationem reſpondetur, quod S. Thom. in illa reſponſione *ad* 4. adhibet ſecundam ſolutionem, per quam videtur primā correxiſſe. Sic enim ait: *Vel dicendum, quòd ipſa ſcientia, vel voluntas diuina ſecundùm quod eſt principium effectiuum, habet rationem potentiæ.* Quibus verbis nullam admittit in Deo potentiam exequutiuam ratione ratiocinata diſtinctam ab eius intellectu, & voluntate. Senſit ergo, quòd per ſuā ſcientiam *S.Thom.*

præ

præſuppoſito actu voluntatis, eſt cauſſa efficiens rerum. Secundò reſpondetur iuxta primam ſolutionem S. Thomæ, quòd ſcientia ſimplicis intelligentiæ dirigit proponendo voluntati formam conceptam, & oſtendendo finem, vt voluntas illum intendat. Deinde voluntas diuina imperat actum, per quem educatur opus; ſed illud imperium eſt actus intellectus, vt mouetur à voluntate, ſicut dictum eſt; ac demum ſcientia ſua tanquam ſupremus artifex ponit formam conceptam, ſicut expreſsè dicit S. Tho. in 1. *ſententiar. diſtinct.* 38. *q.* 5. 1. *art.* 1. *in corp.* Vbi ex proportione, & ſimilitudine ad cauſſalitatem artificis per artem ſuam explicat cauſſalitatem ſcientiæ diuinæ comparatione creaturarum. Et in eodem articulo pluries docet, quòd ſcientia Dei, ſicut & ſcientia artificis eſt earum cauſſa per modum efficientiæ.

S. Thom.

XXVII. Ad quartum dicitur, quòd ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vt determinata per voluntatem ad exercitium operis faciendi eſt ſcientia libera, ſeu ſcientia viſionis, & ſub hac ratione non eſt indifferens ad oppoſita; ſed determinata ad alteram partem per liberum decretum voluntatis diuinæ. Vnde per hanc ſcientiam Deus eſt cauſſa efficiens rerum.

Ad primam confirmationem reſpondetur, quòd ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vt ex tertia concluſione conſtat, eſt quidem in actu primo principium operandi ad extra. Nam per illam poteſt Deus efficere quodcumque voluerit, cùm talis ſcientia reſpiciat omnia poſſibilia, vt poſſibilia ſunt: ſed tamen in exercitio, & in actu ſecundo

cundo

Digitized by Google

cundo eſt cauſa efficiens rerum, ſecundùm quod per voluntatem determinatur, & applicatur ad opus faciendum, & ſub hac ratione eſt ſcientia libera. Vnde per ſcientiam liberam eſt cauſa efficiens rerum. Et per hæc patet ſolutio ad primam confirmationem. Omnes enim fatemur Deum, per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe cauſſam rerum, quaſi in actu primo, & in virtute; ſed per ſcientiam liberam, quæ re, & ratione eſt eadem cum ſcientia viſionis, eſt earum cauſſa efficiens in actu ſecundo, & in exercitio, vt dictum eſt, & hoc tantùm probant teſtimonia inducta S.Tho. *Ad 1. conf.*

Ad quintum reſpondetur, quòd ſcientia approbationis non diſtinguitur, etiam ratione ratiocinata à ſcientia libera, ſeu viſionis, vt dictum eſt. Vnde ſicut ſcientia approbationis dicitur cauſſa efficiens rerum, ita etiam ſcientia libera, & ſcientia viſionis, in quantum eſt practica, debet dici cauſſa efficiens rerum in actu ſecundo, ſiue hoc nomine, ſiue illo ſignificetur. Sunt enim ſynonyma.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd ſcientia viſionis, in quantum præcisè eſt viſionis, præſupponit in ſigno rationis res exiſtentes, quas intuetur: ſed quoniam hæc eadem ſcientia eſt etiam practica in actu ſecundo, ideò in quantum practica, eſt factiua, imo efficit de facto exiſtentiam obiecti, quod intuetur, in quantum eſt viſio, ſicut etiam artifex per eandem ſcientiam, & artem, qua efficit domum, intuetur illam, & approbat, tanquam conformem ideæ exiſtenti in eius mente, ad cuius ſimilitu

Obiectio. litudinem fuit producta. Sed obiiciunt, nam eſt impoſſibile, quòd cauſſa efficiens præſupponat ſuum effectum productũ, aliàs effectus præexiſteret ante ſuam cauſſam efficientem; ſed ſciẽtia viſionis præſupponit eſſe res, quas videt, vt *Auguſt.* exiſtentes. Neque enim, vt dicit Aug. *lib. 4. de Geneſi ad literam cap. 32. Cognitio fieri poteſt, niſi cognoſcenda præcedant*, quæ verba procedunt de cognitione intuitiua. Ergo non poteſt eſſe cauſſa *Solutio.* earum efficiens. Reſpondetur, quòd effectus alicuius cauſſæ efficientis præexiſtere non poteſt pro aliquo inſtanti, vel duratione temporis, antequam à ſua cauſſa efficiente producatur. Nam ab illa neceſſariò dependet in ſua exiſtentia; non tamen inconuenit, quòd in priori ſigno rationis præintelligatur ſecundùm aliquam rationem præcedere ſuá cauſſam efficientem: Habemus enim huius rei manifeſtum exemplum in contritione, quæ quidem in quantum eſt vltima diſpoſitio ad infuſionem gratiæ habitualis præcedit in ſigno rationis ipſam gratiam habitualem, & habitum pœnitentiæ in genere cauſſæ materialis, & diſpoſitiuæ, nihilominus eadem contritio; in quãtum eſt meritoria gloriæ procedit efficienter à gratia iuſtificante, & ab habitu pœnitentiæ; vt *diſp. 66. de Auxiliis* dictum eſt.

XXIX. Ad ſextum argumentum reſpondetur, ſolùm concludere, quòd ſcientia viſionis in quantum præcisè eſt viſio, & contemplatio obiecti, non ſit ſcientia practica: non tamen probat, quod in quantum ſcientia libera non ſit practica. Cùm enim ſcientia libera ſit ſcientia artificis ad opus determinata per eius voluntatem, neceſſe eſt, vt in actu

Digitized by Google

in actu ſecundo, & in exercitio ſit practica, & per hæc patet ſolutio ad confirmationem.

Ad ſeptimum reſpondetur, quòd ſcientia viſionis, in quantum viſio ſupponit in ſigno rationis res exiſtentès in menſura æternitatis, & in eadem menſura productas efficienter à ſe ipſa, in quantū eſt ſcientia libera, & practica, vt dictū eſt.

Ad octauum reſpondetur, quòd ſciētia viſionis, in quantum libera, non determinatur ab obiecto, quod efficit, ſed ſolùm terminatur ad illud, tanquam ad obiectum ſecundarium: Scientia enim Dei, & eius voluntas, cùm ſit per eſſentiam libera, determinari non poteſt ab alio, quia non habet dependentiam ab aliqua alia cauſſa determinante, vt expreſsè docet S. Tho. 1. *p. q.* 19. *art.* 3. *ad* 5. vbi ait: *Quòd cauſſa, quæ eſt ex ſe eſt contingens oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum, ſed voluntas diuina, quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſe ipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.* S. Thom.

Ad nonum argumētum ex auctoritate Scholaſticorum deſumptum, quod attinet ad S. Tho. certiſſimum eſt eius ſententiam eſſe, quòd Deus per ſcientiam liberam, ſit cauſſa efficiens rerum: ſic enim docet expreſsè 1. *p. q.* 14. *art.* 8. *in corpore.* vbi ait, *quòd ſcientia Dei eſt cauſſa rerum, ſicut ſcientia artificis eſt cauſſa artificiatorum, & ſicut calor eſt principium calefactionis.* Sed ſcientia artificis, ſiue eius ars eſt cauſſa efficiens artificiatorum, nam eſt habitus practicus, vt docet S. Tho. 1. 2. *q.* 57. *ar.* 2. & 3. & ſimiliter calor eſt principiū effectiuū calefactionis: Sētit ergo, ſcientiā Dei liberā eſſe cauſſam efficientē rerū. Et in ſolutione ad primū nō obſcurè XXX. *Ad teſtimonia Schol.* S. Thom.

obſcurè docet, quia Deus ſciuit aliquid futurum eſſe, ideo futurum eſt, ſi propoſitio intelligatur de ſcientia Dei ſecundùm quod inclinatur ad opus per voluntatem; & in ſolutione ad ſecundum ait, *quòd ſcientia Dei eſt cauſſa rerum, ſecundùm quod res ſunt in ſcientia* : idem dicit eadem 1. *p. q.* 25. *art.* 1. *ad* 4. vbi ait, *quòd ipſa ſcientia, vel voluntas diuina ſecundùm quod eſt principium effectiuum habet rationem potentiæ.* Et expreſſiùs id aſſerit in 1. *ſentent. diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 1. vbi ait: *Conſtat, quod ſcientia ſua eſt cauſſa per modum efficientis, & exemplaris omnium ſcientiarum.* Et inferius docet, quòd eadem ſcientia habens adiunctam voluntatem eſt cauſſa efficiens omnium rerum. Et ad teſtimonium Sancti Thomæ, quod in contrarium adducitur ex *lib.* 2. *ſentent. diſt.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 1. reſpondetur, quòd in tota illa quæſtione non agit Sanctus Doctor de ſcientia Dei, nec meminit illius, ſed ſolùm de peccato primorum Parentum: Verba autem, quæ ex illo adducuntur, habentur in 1. *ſentent. diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 1. vbi ait: *Sciendum eſt, quòd ſcientia ſecundùm rationem ſcientiæ non dicit aliquam cauſſalitatem, aliàs omnis ſcientia cauſſa eſſet, ſed in quantum eſt ſcientia artificis operantis res ſic habet rationem cauſſæ reſpectu rei operatæ. Vnde ſicut eſt cauſſalitas artificis per artem ſuam, ita conſideranda eſt cauſſalitas diuinæ ſcientiæ.* Sed hæc verba pro nobis faciunt, nam ſcientia artificis, quatenus per voluntatem applicatur ad opus, eſt cauſſa efficiens rerum, vt expreſsè in *eod. art.* ait S. Thom. Alia verò teſtimonia, quæ adducũtur ex S. Tho. ſolùm probant, quòd ſcientia viſionis, in quantum præcisè eſt viſio, & intuitio rei factæ, ſeu præſen

Suarez c. 10. *cit. nu.* 4.

S. Thom.

præſentis, non ſit cauſſa efficiens rerum, quod libenter fatemur. Ex quibus omnibus conſtat abſque fundamento quoſdam aſſerere, quod S.Thom. nunquam tribuit ſcientiæ aliam cauſſalitatem præter directionem, cùm ex locis inductis euidenter conſtet oppoſitum.

Ad locum adductum ex Magiſtro Sentent. *in 1.diſt.38.cap.4.* reſpondetur, quòd ibi tantùm docet, quòd ſcientia Dei, vt eſt ſimplex notitia, non ſit cauſſa rerum: nihilominus ſtatim ſubdit: *Si verò nomine ſcientiæ includitur etiam beneplacitum, atque diſpoſitio, tunc rectè poteſt dici cauſſa eorum, quæ Deus facit.* Et in hoc ſenſu docet, illam propoſitionem eſſe veram (quia Deus ſciuit) ſcientia beneplaciti, ſeu libera aliquid eſſe futurum, ideo futurum eſt, & affirmat eſſe traditam ab Aug. *lib.15.de Trinit.cap.13. & lib.6.c.10.* vbi ait: *Non enim hæc, quæ creata ſunt, ideò ſciuntur à Deo, quia facta ſunt, ſed potius ideo facta ſunt, quia immutabiliter ab eo ſciuntur.* *Suarez c.10. citato n. 15.*

XXXI. Eodem modo reſpondetur ad alios Scholaſticos antiquos: Etenim Greg. & Marſilius cùm dicunt, quòd præſcientia non eſt cauſſa rerum, explicandi ſunt, & intelligendi de ſcientia Dei, vt eſt ſimplex notitia. Egidius ſolùm docet, ſcientiam non eſſe cauſſam, niſi media voluntate, & quatenus per illam extenditur ad praxim. Vnde apertè fauet nobis. Nam ſcientia, quæ per voluntatem extenditur ad praxim, eſt ſcientia libera. Sentit ergo, ſcientiam Dei liberam eſſe cauſſam efficientem rerum. Durandus videtur ſupponere, præter intellectum, & voluntatem eſſe in Deo tertiam potentiam exequutiuam, *Greg. Marſil. Egidius. Durand.*

per quam immediatè producat res ad extra, ſed hæc ſententia impugnata eſt *diſp.6.& 7.de Auxiliis*, & oſtenſum, Deum immediatè per intellectum, & voluntatem producere res abſque tertia potentia exequutiua, quæ ſit etiam ratione ratiocinata diſtincta ab eius intellectu,& voluntate.

Alenſ. Alexander Alenſis loco allegato docet,ſcientiam ſimplicis notitiæ non eſſe cauſſam rerum, & earum cauſſalitatem tribuit ſcientiæ approbationis: conſtat autem ſcientiam approbationis ſolo nomine diſtingui à ſcientia libera, vt ſupra dictum eſt. Locus autem Vualdenſis, in quo aſſerit, *non ex eo, quòd Deus ſcit futurum aliquid, ideo futurum eſt*, debet intelligi de ſcientia ſimplicis notitiæ,vel de præſcientia peccatorum,iuxta ea, quæ ex eodem Vualdenſi dicta ſunt *cap.1.num.31.* Ad alios auctores in eodem argumento allegatos, iam reſponſum eſt ſupra eodem *cap.1.num.32.& ſeq.* *Vuald.*

Vtrum Deus per intellectum, & voluntatem immediatè ſit cauſſa efficiens rerum, an verò ſit in illo conſtituenda tertia potentia exequutiua, per quam immediatè res producat.

Caput VII.

I. DE hac difficultate egi *diſp.16. de Auxiliis*; ſed quoniam eſt valde connexa cum præcedenti,ideo breuiter eſt attingenda.

Suarez Prologom. 2. c. 10. num. 32. Eſt ergo prima ſententia cuiuſdam Auctoris moderni,

Digitized by Google

moderni, quòd licet ſcientia Dei adæquatè diuidatur in ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, illud maximè verum eſt in ratione ſcientiæ. Nam in ratione cauſſæ actualis additur ſcientia approbationis; vel ipſamet ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſubdiuiditur, quaſi duos habens ſtatus ante, vel poſt decretum liberum voluntatis. Addunt, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ex ſe practicam eſſe virtualiter, ſeu in actu primo, compleri autem per voluntatem, per quam ad operandum actu applicatur.

Sed idem auctor *lib.* 1. *de eſſentia prædeſtinationis cap.*14. *præſertim num.* 3. diſtinguit in Deo duas voluntates ratione diſtinctas: alteram vocat voluntatem intentionis, & electionis: alteram dicit eſſe voluntatem exequutionis: & per hanc ſecundam voluntatem ait, Deum eſſe cauſſam donorum, quæ tribuit nobis. Vnde huic voluntati tribuit rationem potentiæ exequutiuæ, qua immediatè res producit. Probat hanc ſententiam:

Primò. Nam Deus vult ordine intentionis gloriam prædeſtinato ex ſola ſua gratia, dat autem eandem gloriam non ex ſola liberalitate, ſed ex meritis. Non dat autem niſi per voluntatem: Ergo neceſſe eſt intelligere in Deo voluntatem, qua exequitur donationem gloriæ, vt ratione diſtinctam à priori voluntate, qua eandem gloriam intendit.

Secundò item probat de omnibus aliis effectibus naturalibus. Deus prius intendit finem, & propter illum applicat media, per quæ poſtea exequitur effectum intentum, quam exequutio-

 nem

nem per ſuam etiam voluntatem facit. Ergo neceſſe eſt illam eſſe aliquo modo diſtinctam.

Tertiò. De diuinis rebus nos philoſophari non poſſumus, niſi ex humanis ſeruando proportionem, & tribuendo Deo quidquid perfectionis eſt, & remotis imperfectionibus. Sed in nobis inuenimus hos duos ordines intentionis, ſeu conſultationis, & executionis eſſe diſtinctos, & neceſſarios ad perfectum modum operandi propter finem ex propria intentione, & relatione ipſius operantis. Eſt autem imperfectionis in nobis, quòd hæc facimus per actus re ipſa diſtinctos, & per mutationem realem noſtræ voluntatis, & medio diſcurſu, conſultatione, & inquiſitione mediorum. Ergo ſecluſis his imperfectionibus in vnico, & ſimpliciſſimo actu voluntatis Dei, vtramque rationem actuum intelligere debemus, cùm perfectiſſimè operetur propter finem.

S.Thom. Quartò idem probat S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 15. *&* 16. *præſertim art.* 4. vbi hoc modo diſtinguit conſenſum, & electionem ex vna parte, ab vſu. Nam conſenſus pertinet ad ordinem conſultationis, dicitque acceptionem talis medij per affectum, & complacentiam, vel etiam per electionem, ſi cum aliis conferatur, non dum tamen ex vi talis actus fit; quia in eo non ſe gerit voluntas, vt facultas operatiua ad extra. Vſus verò ſequitur poſt electionem, & inchoat executionem effectus; quia iam verſatur circa illum, vt operabilem. Ergo.

Hæc ſententia eſt mihi valdè difficilis, & auctor illius non videtur ſibi ipſi conſtare. Nam

ex

ex vna parte affirmat, & bene, quòd Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſt in actu primo cauſſa creaturarum, & ex alia parte docet, quòd per nullam ſcientiam, tanquam per potentiam exequutiuam eſt cauſſa efficiens creaturarum, ſed per ſolam voluntatẽ exequutionis efficienter producere res ad extra, quæ duo non videntur ſibi cohærere. Nam cùm omne agens operetur in quantùm eſt actu, neceſſe eſt, vt per eamdem formam efficienter producat in actu ſecundo, & in exercitio ſuos effectus, per quam conſtituitur in actu primo, ſicut ignis, ideo per calorem, quem in ſe habet, efficienter producit in exercitio calorem in aqua; quia per eundem calorem eſt conſtitutus in actu primo, & habet virtutem calefactiuam. Et propterea quandò ignis applicatur calefactibili, per talem calorem, tanquam per cauſſam efficientẽ calefacit aquã: ſed Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſt in actu primo cauſſa creaturarum, vt auctor cum quo diſputamus expreſsè fatetur. Ergo per eandem ſcientiam, vt noſtro modo intelligendi determinatam per liberam Dei voluntatem ad productionem talium, vel talium rerum, eſt in actu ſecundo, & in exercitio cauſſa earum efficiens. Et confirmatur, nam eius eſt actus, cuius potentia, ſed poſſe producere creaturas competit ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ. Hæc enim ſcientia reſpicit res poſſibiles, ſecundùm quod ſunt in potentia Dei. Ergo eidem ſcientiæ, vt habet coniunctum actum voluntatis modo ſuperius explicato, debet tribui actualis rerum productio, vt cauſæ verè efficienti.

 Secundò

III. Secundò habet difficultatem illa diſtinctio, qua in Deo diſtinguitur ſecundùm rationem ratiocinatam duplex voluntas. Altera intentionis, & electionis, altera exequutionis; quia neque in S. Thoma, neque in Scholaſticis antiquis, vel Sanctis Patribus habet fundamentum. Et contra illam diſtinctionem eſt argumentum, nam cùm voluntas Dei abſoluta ſit efficaciſſima, vt 1.*p.q.*19.*art*.8. docet S. Thom. per eundem actum voluntatis, quo efficaciter intendit finem, vt aſſequendum per talia media, eſt cauſſa efficiens in actu ſecundo, vt conſequatur talis finis per eadem media. Ergo non oportet diſtinguere alium actum voluntatis exequutiuæ, per quem effectiuè attingat finem, & media, quæ ad illum ordinantur.

S. Thom.

Tertiò id ipſum impugnatur auctoritate illa Pſal. *Omnia quacunque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra.* Ergo eo ipſo, quòd Deus habet voluntatem abſolutam dandi alicui gratiam, & gloriam, per eandem voluntatem vtrunque ei confert. Ergo ſuperfluum eſt conſtituere in Deo aliam voluntatem exequentem ratione ratiocinata diſtinctam.

*Pſal.*113.

IV. Quartò idem impugnatur. Intentio efficax, qua Deus intendit aliquem finem, vt aſſequendum per talia media, neceſſariò debet ponere aliquam mutationem realem in creatura. Ergo per talem intentionem, præciſa quacunque alia voluntate exequutiua, Deus eſt in actu ſecundo cauſſa efficiens creaturarum: ergo voluntas exequutiua non eſt in Deo, etiã ratione ratiocinata diſtincta ab efficaci intentione finis, vt aſſequendi

Digitized by Google

quendi per talia media. Antecedens probatur. Deus aliter ſe habet in ordine ad creaturas poſt illud decretum liberum, quo efficaciter intendit finem aſſequendum per talia media, quàm antea, nam poſt illud decretum refertur ad creaturas noua relatione rationis, qua prius non referebatur. Similiter etiam creaturæ poſt idem decretum aliter referuntur ad Deũ quàm antea, nam poſt decretum referuntur ad Deum relatione realis dependentiæ: antea verò ſolùm referebantur relatione rationis, ſed hæc diuerſa relatio non poteſt conſurgere, niſi adſit nouum fundamentum, & aliqua noua mutatio in altero ex duobus extremis; Cùm ergo hæc mutatio nõ poſſit eſſe in Deo, cùm ſit omnino immutabilis, relinquitur, quòd neceſſariò debeat eſſe in creaturis, ac per conſequens per eandem prorſus voluntatem, qua Deus efficaciter vult finem aſſequendum per talia media, eſt eorum cauſſa efficiens abſque nouo actu voluntatis exequentis. Reſpondet auctor ſententiæ contrariæ, Deũ neque velle per reſpectum rationis, nec talem reſpectum eſſe de intrinſeca ratione decreti liberi, ideóq; parum referre, quod nos poſſumus talem reſpectũ concipere, nec ne, vt Deus poſſit velle liberè hoc, vel illud: neque enim pendet Deus in ſuis decretis liberis ex noſtro modo concipiendi. Nam Deus verè, & realiter amat, quod liberè vult, non tamen habet talem reſpectum verè, & realiter. Item impoſſibile eſt, id, quod nos cùm fingimus, & non exiſtit, eſſe de intrinſeca ratione amoris diuini. Denique, Deus ipſe cognouit ſua decreta libera, prout in **Solutio.**

Digitized by Google

ſe ſunt, nullum fingendo reſpectũ rationis, nam hoc prouenit ex imperfecto modo concipiendi noſtro : ratio autem, ſeu natura talis decreti potius iudicanda eſt ex modo, quo à Deo cognoſcitur, quam à nobis : ergo quidquid ſit de reſpectibus rationis, non ſunt Deo neganda decreta libera, quæ per ſe ad perfectionem ſpectãt. Non quidem, quòd terminari ad hoc, vel illud obiectum liberè addat Deo perfectionem, ſed quòd ad infinitam perfectionem illius ſimpliciſſimi actus pertineat, poſſe terminari ad hæc omnia obiecta ſine ſui mutatione, aut varietate.

Impugnatio. Hæc tamen ſolutiò nõ videtur ſatisfacere, nã licet Deus non velit, neque producat res ad extra per reſpectum rationis, cùm talis reſpectus non ſit actiuus, nec etiam ſit de eſſentia decreti liberi exiſtentis in Deo, eo quòd tale decretum, quantum ad abſolutum eſt ipſamet eſſentia diuina, nihilominus ad actum liberum voluntatis diuinæ, quo efficaciter vult producere creaturas, conſequitur neceſſariò nouus reſpectus rationis Dei ad creaturas, & creaturarum ad Deum, qui neceſſariò requirit mutationem realem in altero extremo pro aliqua differentia temporis. Cùm ergo talis mutatio non poſſit eſſe in Deo, fit conſequens, vt debeat eſſe in ipſis creaturis aliqua mutatio realis pro aliqua differentia temporis. Et quidem, quòd ille reſpectus rationis ex parte Dei ad creaturas includatur in illo decreto diuino, vel conſequatur ad illud abſque vlla mutatione, vel imperfectione eſſentiæ diuinæ, habemus exemplũ manifeſtũ in ideis, quæ nihil aliud ſunt in Deo, niſi ipſa eſſentia diuina

ſecundùm

Digitized by Google

ſecundùm quod eſt diuerſimodè imitabilis, & participabilis ſecundùm aliquem modum ſimilitudinis à creaturis, & ideo ideæ multiplicantur in Deo ſecundùm reſpectus ad diuerſas creaturas, vt expreſsè docet S.Tho. 1. *p.q.* 15. *ar.* 2. *ad* 3. vbi ait, quòd huiuſmodi reſpectus multiplicantes ideas non ſunt in rebus creatis, ſed in Deo. *S. Thom.* Idem proportionabiliter dicendum eſt de liberis decretis diuinis. Licet enim, ſint idem realiter, & formaliter cum eſſentia diuina, prout eſt in ſe: nihilominus in ratione liberi decreti, quo vult creaturas eſſe, includit reſpectum rationis ad creaturas actu exiſtentes extra ſuas cauſſas in menſura æternitatis, & futuras aliquando, vel exiſtentes in propria menſura; & huiuſmodi reſpectus cauſſantur ab intellectu diuino comparante eſſentiam ſuam ad res, quas liberè vult eſſe, vel producere virtute eiuſdem decreti. Nec poteſt negari, Deum cognoſcere huiuſmodi reſpectus rationis; nam cùm à nobis cognoſcantur, neceſſe eſt, quòd etiam cognoſcantur à Deo; cùm ſcientia Dei ſe extendat ad omnia cognoſcibilia, ſiue ſint entia realia, ſiue rationis, vt 1. *p.* *q.* 14. *art.* 9. *& ſequentibus* docet S.Tho. de quo latiùs in eadem quæſt. agendum eſt. *S. Thom.* Et quamuis nos diuerſis conceptibus eoſdem reſpectus rationis concipiamus, hæc tamen diuerſitas fundatur in perfectione infinita eſſentiæ diuinæ, quam tamen Deus vnico, & ſimpliciſſimo actu perfectiſſimè cognoſcit, & in illa cognoſcit etiam omnia quomodolibet cognoſcibilia. Et quamuis Deus in ſuis decretis liberis non pendeat ex noſtro modo concipiendi, neque à creaturis; ſed

Digitized by Google

ipſe ſolus pro ſua libertate ſe liberè determinet ad productioné creaturarum, nihilominus talia decreta dicunt reſpectum rationis ad creaturas, tanquam ad terminum, & effectum volitum, & cauſſatum ſuo tempore in propria menſura.

V. *Obiectio.* Et cùm obiicitur, nam Deus verè, & realiter amat, quod liberè vult, non tamen habet talem reſpectum verè, & realiter: reſpondetur, quòd cùm relatio rationis nō ſit ens reale, non poteſt habere eſſe reale in aliquo, nihilominus verè habet in intellectu diuino eſſe proportionatum ſibi, quale poteſt habere, ſcilicet eſſe rationis, ad quod ſufficit, quòd realiter ſint in Deo decreta libera. Neque huiuſmodi reſpectus rationis confinguntur à nobis abſque fundamento in re, ſicut confingimus chimæram, ſed verè habent fundamentum in eminentia, & infinita perfectione eſſentiæ diuinæ. Et propterea ſunt in Deo fundamentaliter, & cognoſcuntur ab intellectu diuino multo perfectius, quàm ab intellectu creato. Concedimus ergo in Deo decreta libera, ſed dicimus per talia decreta, in quantum ſunt efficax volitio finis acquirendi per talia media, eſſe immediatè cauſſam efficientem rerum abſque alia noua voluntate ratione ratiocinata diſtincta, quæ ſit tertia potentia exequutiua.

Præterea probatur noſtra ſententia. Actus voluntatis, qui in Deo diſtinguuntur ratione ratiocinata, oportet, quòd in nobis diſtinguantur realiter; ſed in nobis non diſtinguuntur realiter actus quo voluntas efficaciter intendit finem, vt acquirendum per talia media; vel quo efficaciter vult

vult medium propter finem, vt 1.2. *diſpu.* 42.*&* 43.oſtenſum eſt. Quia vbi eſt vnū propter aliud, ibi eſt vnum tantùm. Ergo in Deo intentio efficax finis, & electio mediorum, vt acquiratur finis, non diſtinguuntur ratione ratiocinata. Ergo multò minùs diſtinguitur voluntas exequens à voluntate, qua Deus efficaciter vult media propter finem. Confirmatur. Voluntas, qua Deus efficaciter vult finem, & media propter finem, ex eo dicitur efficax; quia efficit in actu ſecundo id, quod vult, aliàs eſſet inefficax, vel ſaltem non eſſet voluntas abſoluta, & beneplaciti: ſed eſſet voluntas antecedens, & conditionata; ſicut eſt illa voluntas, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Ergo eadem voluntas Dei, qua efficaciter vult finem, & media propter finem immediatè per ſe ipſam abſque alia voluntate ratione ratiocinata diſtincta, quæ ſit tertia potentia exequens, producit res efficienter. Ex his omnibus ſequentes infero concluſiones.

Prima concluſio. In Deo præter intellectum, & voluntatem nulla eſt conſtituenda tertia potentia exequutiua, per quā Deus immediatè producat efficienter res ad extra. Hæc concluſio probata eſt à nobis *diſp.*17.*de Auxiliis*, & eam docet Caietanus 1.*p.q.*25.*art.*1.*&* *q.*54.*art.* 5. Et nunc breuiter probatur; quia in natura purè intellectuali, qualis eſt natura diuina, & Angelica, nulla poteſt eſſe alia potentia, niſi intellectus, & voluntas. Ergo Deus immediatè per intellectum, & voluntatem eſt cauſa efficiens rerum abſque alia tertia potentia exequutiua. VI. *Caietanus.*

Præterea

S. Thom. Pręterea probatur. Vt docet S.Th. 1.*p.q.*23.*art.* 5.*ad* 3.*&* *q.*20.*art.*2.*in corp.* hæc eſt differẽtia inter voluntatem noſtram, & voluntatem Dei, quòd voluntas noſtra non eſt cauſſa bonitatis rerum, ſed ex parte obiecti præſupponitur bonitas vera, vel apparens, quæ moueat nos ad amandum illud obiectum. *Sed amor Dei* eſt infundens, & creans bonitatem in rebus. Ergo eo ipſo, quòd Deus amat aliquod obiectum, & voluntate abſoluta vult illi bonum, per eandem voluntatem, & amorem cauſſat efficienter illud bonum in creaturis. Ergo præter intellectum, & voluntatem non eſt in Deo conſtituenda tertia potentia exequutiua, per quam efficienter producat in rebus illud bonum, quod vult illis communicare.

Solutio. Reſpondet auctor præallegatus; quòd in Deo diſtinguenda eſt duplex voluntas, altera intentionis, & electionis, altera exequutionis, & per hanc immediatè eſt cauſſa efficiens rerum: non autem per priorem voluntatem. Sed hæc ſolutio manet ſatis impugnata ex his, quæ ſuperiùs dicta ſunt.

VII. Secunda concluſio. Actualis productio rerum non eſt tribuenda ſoli voluntati diuinæ, ſed etiam eius intellectui, & ſcientiæ practicæ, aliter tamen, & aliter, nam voluntati tribuitur efficienter productio rerum, tanquam inclinanti, & determinanti, noſtro modo intelligẽdi, ſcientiam Dei practicam, vt producat opus, quod intellectu conceptum eſt: intellectui verò, tanquam dirigenti, quatenus per illum concipitur forma operis faciendi, vt dicit S.Thom. 1.*p.q.*19.

S. Thom. *artic.*

Digitized by Google

artic.4.ad 4. & efficienter tanquam principio rei artificiatæ, ſecundùm quod per voluntatem inclinatur, & determinatur ad effectum producendum, vt in *eadem 1.p.q.14.art.8.in cor.*& aliis in locis ca. præcedenti allegatis docet expreſsè S. Doctor. Quod etiam in eodem capite pluribus rationibus theologicis oſtenſum eſt.

Ad primum argumentum ex factis à principio reſpondetur, quòd Deus voluntate abſoluta, & efficaci vult prædeſtinatis gloriam conſequendam per talia media, videlicet per determinata merita propria, fundata in gratia, ſi ſunt adulti, vel per merita Chriſti ſibi applicata per Sacramentum regenerationis, ſi ſunt paruuli: Et quoniam ipſa merita, per quæ prædeſtinatus re ipſa conſequitur gloriam, ſunt effectus prædeſtinationis, & gratiæ, vt *diſp.37.& 38.de Auxiliis* oſtenſum eſt; Ideo ipſa prædeſtinatio, & electio efficax ad gloriam, eſt omnino gratuita, nec pendet ex meritis gratiæ. Et quamuis in exequutione per merita gratiæ conſequatur prædeſtinatus gloriam, Deus nihilominus per eamdem omnino gratuitam voluntatem, qua efficaciter elegit prædeſtinatos ad gloriam, confert illis bona merita, per quæ infallibiliter conſequantur gloriam, aliàs voluntas Dei abſoluta qua prædeſtinatis vult gloriam, & talia media, quibus cum infallibiliter conſequantur non eſſet per ſe efficax; Sed auctor ex eo conſtituit in Deo voluntatem exequentem ratione ratiocinata diſtinctam à voluntate, qua prædeſtinatis vult gloriam, & eligit media, quibus conſequantur

quantur gloriam, vt defendat illam propoſitionem, quòd libera cooperatio, & determinatio liberi arbitrij futura ex præuenienti gratia efficaci, non ſit à Deo voluntate abſoluta præuolita, & prædeterminata, ſed ſolùm præcognita per ſciêntiam mediam, & poſt talem præcognitionem approbata.

Ad ſecundum argumentũ reſpondetur, quòd Deus tàm in rebus naturalibus, quàm ſupernaturalibus vnico, & ſimpliciſſimo actu abſque vlla ſucceſſione, & diſcurſu vult finem, & determinata media, quibus conſequitur finem ſicut Angelus vnico, & ſimpliciſſimo actu abſque ſucceſſione, vel diſcurſu cognoſcit principia, & concluſiones in ipſis principiis, vt 1.*p.q.*58.*art.*3.
S. Thom. docet S.Tho. Vnde, quamuis noſtro modo concipiendi prius intelligamus voluntatem Dei, ſecundùm quod vult finem, quàm, vt terminetur ad media, & poſtmodum ſuo tempore exequatur omne illud, quod ab æterno prædefiniuit, nihilominus per eandem prorſus voluntatem producit res in tempore, qua voluit ab æterno, vt in propria menſura ſint futuræ.

IX. Ad tertium argumentum reſpondetur, quòd in hominibus, quia non ſunt merè intellectuales, ſed compoſiti ex anima, & corpore præter intellectum, & voluntatem; quibus determinant aliquid facere, datur tertia potentia exequutiua in membris corporis exiſtens, per quam exequitur immediatè effectus præconceptos, & prædeliberatos diuerſis actibus eiuſdem voluntatis: in Deo autem, cuius natura eſt purè intellectualis, dari

Digitized by Google

dari non poteſt tertia potentia exequutiua ab eius intellectu, & voluntate, etiam ratione ratiocinata diſtincta, per quam immediatè res efficiat, vt ex præmiſſis conſtat. Vnde eadem prorſus voluntate, qua efficaciter vult finem, & media propter finem, exequitur in tempore abſque ſui mutatione ea omnia, quæ decreuerat facere. Alia argumenta, quæ ſolent obiici contra noſtram ſententiam propoſita ſunt, & ſoluta *diſp.17.de Auxiliis.*

RESPON

Google

RESPONSIONVM AD OBIECTIONES ADVERSVS CONCORdiam liberi arbitrij cum diuina præſcientia, prouidentia, & prædeſtinatione:

Atque cum efficacia præuenientis gratiæ, prout à S. THOMA, *& Thomiſtis defenditur, & explicatur,*

Liber Secundus.

In quo agitur de prædefinitionibus, & cauſſalitate diuina comparatione humanorum actuum, eorum præſertim per quos prædeſtinati ad vitam perducuntur æternam.

I. CVM Deus per intellectum, & voluntatem ſit cauſſa rerum efficiẽs, vt libro præcedenti oſtenſum eſt, vbi nonnullæ difficultates circa ſcientiam Dei practicam diſcuſſæ ſunt, oportet ad maiorem eorum intelligentiam agere in hoc ſecundo libro de prædefinitionibus diuinis, & explicare modum, quo diuina voluntas

luntas ſit cauſſa efficiens omnium futurorum contingentium, eorum præſertim, quæ à libera cooperatione humani arbitrij dependent. Circa quod decem ſuper ordinem examinanda.

Primò. Vtrùm Deus abſoluto, & æterno decreto, & efficaci, aut præuia motione omnes noſtras bonas operationes prædefinierit, ac prædeterminauerit antecedenter in ſigno rationis ad omnem præſcientiam liberæ cooperationis noſtri arbitrij futuræ, etiam ex hypotheſi.

Secundò. Vtrùm virtute abſoluti decreti voluntatis diuinæ, & motionis efficacis præuenientis gratiæ, ſequatur neceſſariò conſenſus voluntatis neceſſitate ex ſuppoſitione ſiue infallibilitatis, quæ aliàs dicitur neceſſitas conſequentiæ.

Tertiò Vtrùm in inſtanti tẽporis, quo voluntas piè operatur, moueatur duplici motione actuali, altera qua determinetur à Deo ad piè operandum, altera qua voluntas ſe liberè determinet, an verò vnica ſimpliciſſima determinatione determinetur à ſeipſa, & à Deo.

Quartò. Vtrùm diſſenſus liberi arbitrij ſtet ſimul cum præueniente gratia efficaci mouente ad conſenſum.

Quintò. Vtrùm illi, quibus æqualem gratiã præuenientem Spiritus Sanctus impartitur, æqualiter ſemper cum illa conentur.

Sextò. Vtrùm Deus ſolùm ſub conditione paratus ſit concurrere cum cauſſis liberis, & cõtigentibus, ſi nimirum ipſæ voluerint operari.

Septimò, Vtrùm efficacia auxilij præuenientis gratię pẽdeat à ſolo Deo, atq; ab abſoluto decreto volũtatis eius, qua vult, vt volũtas hominis quã

eodem auxilio mouet, conuertatur, vel piè operetur.

Octauò. Vtrùm donum perſeuerantiæ in ratione doni perſeuerantiæ, & efficacia illius pendeat ex libera cooperatione noſtri arbitrij cum eo.

Nonò. Vtrùm donum perſeuerantiæ à dono confirmationis in gratia realiter diſtinguatur, an verò ſint eſſentialiter: idem donum ſolum accidentaliter diſtinctum.

Decimò. Quid intelligant Cōcilia, & Patres, cùm docent, pias operationes fieri in nobis per inſpirationem, & infuſionem, vel operationem Spiritus Sancti.

Vtrum Deus æterno, & immutabili decreto ſuo, aut præuia motione omnes noſtras bonas actiones præfinierit, ac prædeterminauerit.

CAPVT I.

I. CVM prædeterminatio diuina duplex ſit, interna videlicet in ipſo Deo manens, quæ conſiſtit in decreto abſoluto quo ſtatuit, vt aliquid fiat, & prædeterminatio extra Deũ tranſiens & in voluntate noſtra recepta, qua Deus verè efficienter, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ facit, quòd voluntas ſe determinet, vt actus illos faciat; quos Deus ab æterno præordinauit, per eam fieri: De vtraque prædeterminatione erit agendum in præſenti.

Qui-

Quidam exiſtimant, Deum nec decreto extrinſeco, nec motione in voluntate creata recepta eam prædeterminare ad aliquam operationem. *Leſſius de præd. & reprob. ſec. 2. ratione 8. nu. 17.*

Primum & potiſſimum fundamentum huius ſententiæ eſt. Nam hæc prædefinitio non videtur ſatis conſiſtere cum perfecta, & pleniſſima hominis libertate, quæ poſtulat, vt omnibus præuijs non ſolùm intrinſecis, ſed etiam extrinſecis poſitis, poſſit abſolutè opus omitti; at poſito decreto Dei abſoluto prædeterminante, vt voluntas hîc, & nunc prorumpat in talem actum, non poteſt voluntas in illum non prorumpere; aliàs eſſet fortior voluntate diuina; & impediret, ne ſequeretur effectus prædefinitus à Deo. Ergo non ſunt admittendæ eiuſmodi prædefinitiones abſolutæ in Deo.

Secundò. Eiuſmodi prædefinitiones non videntur congruere cum illo Eccleſiaſtici 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui, adiecit mandata, & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſeruare, cõſeruabunt te. Appoſuit tibi ignem & aquam: ad quod volueris, extende manum tuam, &c.* Quomodo enim reliquit eum in manu conſilij ſui, ſi ipſe ſuo conſilio quid velit ab eo fieri, ante omnem præuiſionem minutiſſimè prædefiniuit? Si Dominus prædefiniret hoc modo omnes actiones, quas vellet fieri à famulo, & ſumma cura curaret illum eas exequi, diceretur ne relinquere famulum in manu conſilij ſui, vt ipſe ſuo conſilio, & arbitrio ſtatuat quid faciendum ſit? *Eccl. 15.*

Confirmatur. Si homo ſciret decreta illa

Dei abſoluta, non cenſeretur eſſe relictus in manu conſilij ſui; quia iam videret ſe diuino conſilio circa ſingula præuentum; nec fieri poſſe, vt in re aliud, aut aliter fiat. Ergo etiam dum neſcit, non eſt relictus conſilio ſuo; quia eſſe relictum conſilio ſuo, non pendet ex ignorantia & errore hominis.

Tertiò. Non videtur iſta prædefinitio congruere cum illa doctrina patrum, qua docent, præſcientiam diuinam non afferre noſtris operibus neceſſitatem: eo quòd hæc non ideo futura ſint, quòd Deus ea præſciat; ſed ideo Deum illa præſcire, quia futura ſunt. Ita Hieronymus in caput 26. Ieremiæ: *Non ex eo quòd Deus ſcit futurum aliquid, ideo futurum eſt; ſed quia futurum eſt, Deus nouit, quia præſcius futurorum eſt.* Eodem modo loquitur Iuſtinus Martyr *quæſtione* 58. Origenes *libro 7. in epiſtolam ad Romanos*, in illa verba: *quos præſciuit*. Sanctus Auguſtinus *libro 3. de libero arbitrio cap.* 4. *& libro* 5. *de Ciuitate Dei cap.* 10. Cyrillus *libro 9. in Ioannem cap.* 10. Sanctus Chryſoſtomus *homilia 60. in Matth.* & alij. At ſi omnia opera bona eſſent abſoluta voluntate præfinita, falſum eſſet Deũ ea noſſe, quia futura. Nam præſciret ea, quia præfinita, non quia futura. Imo ideo eſſent futura, quia præſcita. Nam illa præſcientia eſſet practica, ac proinde eorum cauſſa: ſicut qui firmiter ſtatuit domum fabricare, præſcit illam futuram: & per ſuam ſcientiam, qua nouit qualis eſſe debet, eam fabricat.

Hiero. cap. 26. Ier.

Iuſt. Mart.

Origenes.

Auguſt.

Quartò. Si talis præfinitio omnium bonorum operum facta eſt, ſequeretur, quòd tota ratio

cur

cur hîc & nunc tale opus cũ iſtis circunſtantiis à te fiat, referenda eſſet in decretum diuinum: quod ſanè videtur abſurdum. Nemo enim cum de huiuſmodi quæritur, decretum diuinum allegat; ſed vel placitum ſuæ voluntatis, vel finem à ſe intentum. Verbi gratia: Cur hoc momento, hoc loco vis dare eleemoſynam, audire ſacrum, orare, &c? Dicendum erit, quia Deus abſoluto decreto prædefiniuit, vt hoc momento, hoc loco tale opus velim facere. Cur tam intensè, tam remiſsè facis? quia Deus prædefiniuit, vt opus ſic fieret?

Confirmatur. Quia ſequeretur, Deum ex ſe abſolutè velle, vt faciamus interdum opera imperfecta intenſiuè. v.g. vnius, vel duorum graduum intenſionis, quod eſt incredibile. Cur enim velit, vt tepidè operemur?

Quintò. Pleraque opera iuſtorum noui Teſtamenti ſupponunt Chriſtum, eiúſque religionem: atqui Chriſtus non erat venturus in carne, ſi Adam non peccaſſet. Ergo opera iuſtorum ſecundùm ſuam ſpeciem & obiecta, non ſunt efficaciter præfinita ante præuiſionem peccati; & multò minus ſecundùm omnes ſuas circunſtantias.

Sextò. Sicut ſingula opera bona ponuntur decreta antecedenter ad noſtram cooperationem: ita omnes particulæ corporum electorum poni debent prædefinitæ ante præuiſionem curſus rerum; ſaltem quatenus pendent à libertate creaturæ. Ergo, ſicut ab initio mundi vſque ad finem res omnes diſponuntur, vt illa opera cum ſuis circunſtantiis, momen-

tis præfinitis fiant: ita etiam omnia debebunt ordinari,& dirigi, vt corpora ſingulorum illis particulis conſtent, quibus debere conſtare decretum eſt: quod non videtur admittendum. Nam ad hoc opus eſt magna mirabilique prouidentia, vt videlicet tam infinitæ particulæ materiæ infinitis locis diſperſæ per tot generationes,& alterationes, & motus locales longo ſæculorum ordine tandem in vnum conueniant corpus.

III. Septimò. Afflictiones,& paſſiones Chriſti nō fuerunt prædefinitæ ante præuiſionem malitiæ Iudaicæ illius temporis, & tamen erant ſummi momenti, vtpote infinitæ æſtimationis, à quibus pendebat ſalus orbis, & honoris diuini inſtauratio: ergo multo minus credendum eſt, minutias noſtrorum operum ſigillatim abſolutis illis decretis eſſe prædefinitas.

Confirmatur. Martyria &perpeſſionnes martytum non fuerunt decreta ante præuiſionem malitiæ Tyrannorum ſuas voluntates ad illa inferenda flectentium; quæ tamen fuere excellentiſſima media prædeſtinationis illorum. Rurſus regnum Dauid non videtur præordinatum abſolutè ante præuiſionem peccati Saulis, vt colligitur ex 1. *Reg.* 13. Vbi cùm Saul

1. Reg. 13. contra mandatum Domini obtuliſſet holocauſtum; dixit ei Samuel: *Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mādata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi: Quod ſi non feciſſes, iam præparaſſet Dominus regnum tuū ſuper Iſraël in ſempiternum. Sed nequaquam regnū tuum vltra continget, quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum, & præcepit ei, vt eſſet dux ſuper populum*

pulum ſuum , *&c.* Quibus verbis ſignificatur, quòd ſi Saul non peccaſſet, ſicut facilimè potuiſſet, regnum eius fuiſſet ipſi & poſteris eius cõfirmatum in longiſſimum tempus. Et ita Dauid & Salomon eorumque poſteri non fuiſſent reges. Idem argumentum fit de principatu Ioſeph. Non enim fuit prædeſtinatus ante præuiſionem ſceleris fratrum qui vendiderunt ipſum Aegyptiis, vt patet *Geneſ.* 37. Item euerſio Ieruſalem per Chaldæos facta non fuit decreta abſoluto decreto ne quidem permiſſiuo, ante præuiſionem obſtinationis Sedechiæ, qua noluit parere conſilio Ieremiæ ſuadentis tranſitum ad Chaldæos, vt colligitur *Ieremiæ* 38. Si enim voluiſſet ad eos tranſire, Ciuitas non fuiſſet ſuccendenda; vt ibidem dicitur. Hæc autem omnia erant maximi momenti; ergo ſicut hæc, ita alia & ſimilia non ſunt à Deo abſoluta voluntate decreta, aut prædeterminata. *Gen.* 37. *Ier.* 38.

Cõfirmatur ſecundò, Contritio, pœnitentia, ſatisfactio non ſunt prædefinita à Deo ante præuiſionem peccatorum; ergo, nec perpeſſiones Domini, aut martyrum prædefinitæ ſunt ante præuiſionem malitiæ Iudæorum, aut Tyrannorum mortem martyribus inferentium.

Octauò arguitur. Caluinus eiuſmodi abſoluta decreta; & prædefinitiones Dei abſolutas introducere conatus eſt, vt arbitrij libertatem de medio tolleret. Etenim *libro* 3. *Inſtitutionum capite* 23. §. 6. *Si hominum*, inquit, *euenta Deus præuideret dumtaxat* , *non etiam ſuo arbitrio diſponeret* , *& ordinaret* : *Tunc non abs re ageretur quæſtio* , *quid ad eorum neceſſitatem eius valebat* *Caluinus.*

lebat prouidentia. Sed cùm non alia ratione, quæ futura ſunt præuideat, niſi quia ita vt fierent decreuit: fruſtra de præſcientia lis mouetur, vbi conſtat ordinatione potius & nutu omnia euenire. Et in Inſtitutionibus *cap. 14. nu. 5. pag. 729: Hoc*, inquit, *ſolatium eſt, vt intelligat, Dominum ſic omnia potentia ſua continere, ſic imperio ſuo nutúque regere, ſic ſapientia moderari, vt nihil niſi ex eius deſtinatione accidat.* Vbi nomine *deſtinationis* prædeterminationem Dei abſolutam intelligi voluit. Et *lib. 2. de libero arbitrio contra Pygium. pagin. 236. §. tertium argumentum* ait: *Dicimus Deum mundo præeſſe, quem condidit, nec modò rerum euentus habere in ſua poteſtate, ſed etiam corda hominum gubernare, voluntates flectere, pro ſuo arbitrio huc atque illuc, actionum eſſe moderatorem, vt nihil tandem niſi quod decreuit efficiant, quidquid conentur. Proinde quæ fortuita maximè videntur, ea dicimus fieri neceſſariò, non ſuapte natura. Sed quoniam æternum & ſtabile Dei conſilium in eis gubernandis regnat.* Vbi verbo *flectere* vtitur Caluinus pro verbo *prædeterminare.* Similia verba habet *libro 2. de libero arbitrio pag. 237 & lib. de æterna Dei prædeſtinatione contra Pygium pag. 945. in principio.* Non ergo ſunt admitendæ huiuſmodi prædeterminationes ſeu decreta Dei abſoluta, quæ omnem præuiſionem determinationis creatæ voluntatis antecedant.

De hac difficultate egi ex profeſſo *diſputatione 18. 22. 23. 24. & 91. de Auxiliis* Nunc autem ea dumtaxat adducenda ſunt, quæ obiectionibus propoſitis diſſolundis, & hæreſi Caluiniſtarum detegen-

Digitized by Google

detegendæ, & impugnandæ videbuntur neceſſaria.

Prima ergo concluſio ſit. Deus æterno ſuo, & immutabili decreto prædefiniuit omnia & ſingula bona, quæ fiunt in vniuerſo, ſiue pertineant ad ordinem naturæ, ſiue ad ordinem gratiæ. Hæc concluſio eſt expreſſa ſententia S. Auguſtini & Sancti Thomæ, & aliorum Patrum, & Scholaſticorum locis inferius allegandis, & probatur. V.

Primò ex ſacris litteris. Sed præſertim ex illo *Matth.* 10. *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro.* Hoc eſt, ſine voluntate, & prouidentia patris veſtri, vt explicat ibi Sanctus Hieronymus, & Sanctus Auguſtinus *libro* 5. *de Geneſ. ad litteram cap.* 21. *in fine,* cuius verba ſunt: *Quod autem ore ſuo Saluator dicit, vnum paſſerem non cadere in terram ſine Dei voluntate, & quod fœnum agri poſt paululum mittendum in clibanum ipſe tamen veſtiat, nonne confirmat, non ſolùm totam iſtam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam, verùm etiam, viliſſimas eius, abiectiſſimasque particulas diuina prouidentia regi.* *Hieron.* *Auguſt.*

Item etiam Iudith 9. *Tu feciſti priora, & illa excogitaſti, & hoc factum eſt, quod ipſe voluiſti.* Ex quo teſtimonio Sanctus Thomas 3. *contra gentes cap.* 76. concludit prouidentiam Dei ad ſingula immediatè ſe extendere, & quod immediate eorum ordinem ſtatuat & diſponat: ad hoc autem requiritur, vt omnia prædefiniat & ordinet ad ſuos fines. Ergo, &c. Item etiam de diuina ſapientia ſcriptum eſt: *Omnia in menſura,* *S. Thom.* *Sapient.* 11.

& numero ; & pondere diſpoſuiſti : quæ autem Deus facit, decreuit facere, cùm operetur omnia per intellectum & voluntatem, ſecundùm illud ad Epheſios 1. *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Et Sapientiæ 8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Omnia inquit, nihil excludens. Omnia ergo ſunt à diuina ſapientia prædefinita, præordinata, & diſpoſita.

Epheſ.1.
Sapien.8.

VI. Secundò probatur auctoritate Sanctorum Patrum, inter quos primum obtinet locum Dionyſius Areopagita *cap. 5. de diuinis nominibus, titulo de exemplaribus, lectione* 3. apud Sanctum Thomam. vbi ait: *Exemplaria autem eſſe dicimus in Deo exiſtentium rationes ſubſtantificas, & ſingulariter praexiſtentes, quas Theologia prædefinitiones vocat, & diuinas & bonas voluntates: exiſtentium prædeterminatiuas, & effectiuas, ſecundùm quas ſubſtantialis eſſentia omnia prædeſtinauit, & produxit.*

Dionyſij de diui. nom.

Leſſius.

Hoc teſtimonium, quo efficaciſſimè noſtra concluſio comprobatur, quidam eludere volentes aliter ad verbum reddendam ſententiam putant Dionyſij, ſic videlicet: *Exemplaria dicimus eſſe, ſubſtantificas rerum rationes in Deo vnitè præexiſtentes, quas Theologia prædeſtinationes vocat, & diuinas, bonaſque voluntates rerum diſtinctiuas, & effectiuas, iuxta quas is qui ſupereſſentialis eſt, omnia entia prædeſtinauit, & produxit.* Sed tamen translatio, qua vtitur Sanctus Thomas, ab omnibus Theologis recipitur, iuxta quam expreſſe fatetur Sanctus Diony-

S. Dionyſii ſententia circa prædefinitiones diuinas, expenditur.

Dionyſius, quòd ſicut artifex volens domum ædificare, prius eam in mente format, omnes eius partes determinat, & diſponit, & poſtmodum præconceptam domum producit in re: ita Deus tanquam ſupremus artifex ab æterno prædefiniuit omnia, & ſingula, quæ in vniuerſo mundo erat ipſe facturus. Sed quoniam tranſlatio, qua vtitur Sanctus Thomas, negari noc poteſt: Reſpondent primò, hoc teſtimonium, ſi aliquid probat, non ſolùm conuincere Deũ prædefiniuiſſe omnia bona in particulari, & ea in homine producere: ſed etiam omnia opera mala ſaltem ſecundùm ſuas exiſtentias, entitates, & circumſtantias poſitiuas; quod videtur inconueniens. Hæc ſolutio manet ſatis impugnata ex dictis *ſup. lib. 1. cap. 1. num. 29. & diſp. 24. de Auxiliis.* Vbi oſtenſum eſt, iuxta ſententiam Sancti Auguſtini, & Sancti Thomæ, omnes actus peccatorum, quantum ad omne illud, quod habent entitatis, & bonitatis, à Deo eſſe, vt à prima cauſſa efficiente, & conſequenter eſſe à Deo prædefinitos. Nihil enim Deus facit in tempore, quod ab æterno non prædefinierit, & præordinauerit ſe eſſe facturum. *Prima ſolutio.* *Impugnat.*

VII. *Secunda ſolutio.* Secunda ſolutio eſt, Sanctum Dionyſium in illis verbis non ſentire, Deum prædeterminaſſe omnia opera noſtra: quod confirmant ex Damaſceno, *lib. 2. de fide Orthodoxa capite* 30. Vbi, etſi optimè ſciret hanc Sancti Dionyſi ſententiam, tamen affirmat, Deum omnia quidem præſcire, ſed non omnia prædeſtinaſſe, ſeu prædefiniuiſſe, vt ea quæ ſunt in noſtra poteſtate. *Damaſcen.*

Cùm

Cùm ergo ait Sanctus Dionyſius, ſecundùm quas is qui ſuperſubſtãtialis eſt, omnia *prædeterminauit, & producit*, loquitur de reb. per primã creationem productis. Has enim omnes ipſe prædeſtinauit, & ſecundùm ſuam prædeſtinationem produxit; tales efficiens ſingulas, quales vt eſſent, prædefinierat: nõ quòd nullæ aliæ ab ab ipſo prædeſtinatæ ſint, aut productæ: ſed quia ex his exemplaria, & prædeſtinationes in Deo eſſe clarius eluceret. Ex quo inferunt, quòd iſta ad actiones liberi arbitrij non pertinent. Vnde iuxta explicationem huius auctoris verba S. Dionyſij extendi non poſſunt ad actus liberos, etiam ſupernaturales, per quos prædeſtinati ad vitam æternam perueniunt. Et hanc explicationem, & coarctationem doctrinæ Sancti Dionyſij corroborare nititur auctoritate S. Ioannis Damaſceni.

Damaſcen. Sed ex eodem Damaſceno deſumitur efficaciſſimum argumentum contra hanc ſecundam ſolutionem. Etenim in oratione prima de imaginibus in principio ex eodem teſtimonio Sancti Dionyſii confirmat noſtram ſententiam. Sic enim ait: *Sunt item in Deo imagines, & exempla rerum, quæ ab ipſo futura ſunt, nempe cõſilium eius æternum, quod ſe habet ſemper eodem modo. Immutabilis enim eſt omnino Deus, in quo nulla eſt commutatio, aut viciſſitudinis obumbratio. Has imagines, & hæc exempla præfinitiones appellat Sanctus ille Dei munere, diuinis in rebus conſiderandis, & explicandis excellentiſſimus Dionyſius. Omnia enim ab illo præfinita, & ſine vlla commutatione futura in eius conſilio non aliter antequam fierent erant*

S. Damaſceni ſententia circa prædefininitiones diuinas expenditur.

ex-

expreſſa, quàm ſi quis velit domum ædificare, prius imaginem, ac formam ipſius in animo effingit cogitationéque complectitur. Quibus verbis vniuerſaliter loquitur de omnibus, quæ in Deo cauſſas efficientes habent. Omnia enim ab illo præfinita eſſe docet, iuxta ſententiam Dionyſij Areopagitæ. Nec poſſunt eius verba ad primam rerum creationem reſtringi. Nam, vt 1.*p.q.*15. *art.*3. docet Sanctus Thomas in Deo non ſolùm conſtituuntur ideæ earum rerum quas in prima creatione produxit, ſed etiam aliorum omnium quæ in ipſo Deo cauſſam efficientem habent. Conſtat autem Deum eſſe cauſſam efficientem humanorum actuum ſecundùm omnem rationem entitatis, & bonitatis, quam habent. Ergo de omnibus ijs eſt Sanctus Dionyſius intelligendus. Sic illum intellexit Sanctus Thomas *lectione* 3.*allegata*, vbi ſic ait: *Et huiuſmodi rationes Sacra ſcriptura vocat præfinitiones, ſeu prædeterminationes.* Et poſt pauca ſubdit: *Quæ quidem prædeterminationes, ſeu voluntates ſunt diſtinctiuæ entiũ & effectiuæ ipſorũ quid, & huiuſmodi rationes ſuperſubſtantialis Dei eſſe prædeterminauit, omniáque produxit.* *Thom.*

VIII. Ireneus *lib.*2.*cap.*45. id ipſum docet expreſſe, ait enim: *Quid autem ſi quis interroget nos, ſi omnis numerorum omniũ quæ ſunt facta, & quæ fiunt, fiunt à Deo; & ſi ſecundùm illius prouidentiam vnuſquiſque eorum eam quæ ſecundùm ſe eſt accipit quantitatem: Nobiſque conſentientibus, & confitentibus, quia nihil omnino horum quæ facta ſunt, & quæ fiunt, & fient, Deum fugit: ſed per illius prouidentiam vnumquodque eorum, & habitum, & ordinem,* *Iren.lib.*2. *cap.*45.

dinem , & numerum , & quantitatem accipere, & accepiſſe propriam , & nihil omnino neque vanè, nec vt prouenit factum , aut fieri : ſed cum magna aptatione , & conſonantia ſublimi , & eſſe admirabilem rationem , & verè diuinam , quæ poſſit huiuſmodi, & diſcernere , & cauſſas proprias enuntiare ; accipiens à nobis huiuſmodi teſtimonium , & conſenſum , pergat adhuc , vt arenam enumeret , vt calculos terræ : ſed etiam fluctum maris , & ſtellas cœli , & cauſſas excogitare numeri , qui putatur inuentus nonne in vanum laborans, & delirus hic talis, & irrationabilis ab omnibus qui ſenſum habent iuſtè dicetur. Quibus verbis fatetur omnia quantumuis minima eſſe ab eo prædefinita, ordinata , & diſpoſita ſecundùm numerum , modum, & quantitatem.

S. Cyrillus. SanctusCyrillus in Theſauro *lib.5.art.2. Quòd ſi putatis* (inquit) *indecens ad minima quæque Dei prouidentiam deſcendere, erubeſcatis aliquantulum quæſo audientes Chriſtum Matthæi* 10. *nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadit in terram ſine patre veſtro.* *Matth.* 10.

IV. S. Auguſtinus explicans illud *Pſal.* 148. ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarũ, quæ faciunt verbũ eius, inquit: *Nihil tam videtur caſibus volui, quàm omnes iſtæ procelloſæ, ac turbulentæ qualitates, quibus cœli huius inferioris (quod non immeritò etiam terræ nomine deputatum eſt) faceis variatur , & vertitur. Sed cùm addit, quæ facit verbum eius, ſatis oſtendit, earum quoq; rerum ordinem a nino ſubditum imperio latere nos potius, quàm vniuerſitatis deeſſe nati.* Et in alio loco ait: *Multi ſtulti non valentes contemplari, & diſcernere creaturam* *Aug. lib. 5. de Gen. ad lit, cap. 21.* *Aug. ſup. Pſal. 148.*

lcbis,

locis ſuis, & ordine ſuo ſub nutu, & iuſſu Dei agentem motus ſuos, viſum eſt illis, quia ſuperiora omnia Deus gubernat, inferiora verò deſpicit, abiicit, deſerit, vt nec curet iſta, nec regat: ſed caſibus regantur, &c. Non tibi ergo videantur caſibus moueri quæ Verbo Dei in omni motu ſuo deſeruiunt. Quo vult Deus, illuc lucet ignis, illuc fertur nubes, ſiue pluuiam, ſiue niuem, ſiue grandinem portet. Et quare aliquando percutiunt montem fulmina, & non percutiunt latronem. Et infra: *Hæc omnia, quæ vanis videntur in rerum natura temerè fieri, non faciunt niſi verbum eius; quia non fiunt, niſi iuſſu eius, &c.* Quid quid ergo ſic accidit contra voluntatem noſtram, noueris non accidere, niſi de voluntate Dei, de prouidentia ipſius, de ordine ipſius: & ſi nos non intelligimus hoc quare fiat, demus hoc prouidentiæ ipſius quia non fit ſine cauſſa, & non blaſphemabimus. Item etiam *ſententia* 58. apud Proſperum, *Diuina* (inquit) *voluntas eſt prima, & ſuprema cauſſa omnium corporalium ſpiritualiumque motionum, nihil enim fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de inuiſibili & intelligibili ſummi imperatoris aula, aut iubeatur aut permittatur ſecundùm inæſtimabilem iuſtitiam præmiorum, atque pœnarum, gratiarum, & retributionum, in iſta totius creatura ampliſſima quadam, immenſáque republica.* Vbi Sanctus Auguſtinus per iuſſionem ſignificat prædefinitionem & voluntatem efficacem, qua vult aliquid fieri ſecundùm illud Prophetæ: *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt.* Addit autem, *aut permittuntur propter pecca-*

S.Proſper.

*Pſal.*148.

peccata, quæ non ſunt à Deo volita aut prædefinita, ſed ſolùm permiſſa. Ergo ſecundùm Auguſtinum omnia bona ſunt à Deo præuolita & præfinita, peccata verò ſunt ab eo permiſſa.

Athanaſ. Athanaſius ſuper *cap.* 2. *ad Epheſ.* in impreſſione Lugdunenſi anni 1532. *Sciēs autē hæc,* ſupple bona opera: *parauit* (Deus) *quæ differri nō poterunt, neque prætermitti, quin peragantur, tanquā diuinitus ſint prædefinita, idque per multam erga nos prouidentiam.*

Theodoretus Theodoretus in illa verba ad *Epheſios* 1. *elegit nos in ipſo,* ait: *Ab initio enim, ante mundi conſtitutionem ea quæ ad nōs pertinebant, præſciuit, & prædefiniuit.* Et infra: *Præſciuit nos & dilexit, & noſtrā precationem præconſtituit, vt nos filiorum adoptionis donum perciperemus ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.*

X.

Proſper. Sanctus Proſper *lib.* 2. *de Vocatione gentium cap.* 36. *Quamuis ergo quod ſtatuit Deus nulla poſſit ratione non fieri, ſtudia tamen non tolluntur orādi, nec per electionis propoſitum liberi arbitrij deuotio relaxatur, cùm implendæ voluntatis Dei ita ſit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per inſtantiam ſupplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum, & qui bona geſſerunt, non ſolùm ſecundùm propoſitum Dei, ſed etiam ſecundùm ſua merita coronentur. Ob hoc enim in remotiſſimo ab humana cogitatione ſecreto præfinitio huius electionis abſcondita eſt.*

S. Thom. Sanctus Thomas 1. *p. quæſtione* 116. *art.* 1. *in corpore* ait: *Ea quæ hìc per accidens aguntur, ſiue in rebus naturalibus, ſiue humanis, reducuntur in aliquam cauſſam præordinantem, quæ*

quæ eſt prouidentia diuina. Idem dicit *quæſt.22.art.2.* Et *quodlibeto 12.quæſt.3.artic.4.* inquit: *A prouidentia Dei omnia ſunt prædeterminata, & ordinata.*

Scotus *in 4. diſtinct.49. quæſt.6.§.dico ergo,* ait: *Contra naturam voluntatis eſt determinari à cauſſa inferiori; quia hoc ipſo non eſſet ſuperior, non eſt autem contra naturam eis determinari à cauſſa ſuperiori.* Idem dicit aliis in locis inferius allegandis. *Scotus.*

Gabriel *in 1.diſtinct.33. quæſt. vnica concluſione* 2. ait, *quòd voluntas diuina, quæ eſt prima regula contingentium, prius natura determinat contingentia, quàm intellectus diuinus intelligat illa eſſe futura.* *Gabriel.*

Ferrarienſis 3. *cont.gen.cap.89 §. ad confirmationem.* (Poteſt aliquid determinari ab alio ad effectum, & tamen habere illum in ſua poteſtate, ſecundo modo ſuperius dicto, eo quòd cauſſa prima mouet vnamquamq; cauſſam ſecundam ad ſuum effectum ſecundùm conditionem ipſius cauſſæ ſecundæ. Cauſſam enim non potentem deficere ſic ad ſuum effectum determinat, vt ipſum neceſſariò abſolutè producat; cauſſam autem, quæ deficere poteſt, ita determinat, vt tamen abſolutè deficere poſſit in producendo.) *Ferrar.*

Denique vt alios multos auctores omittam, videndus eſt Leo primus *ſermone 7.& 9. de paſſione Domini.* Vbi iterum atque iterum ait: *Myſterium paſſionis fuiſſe ante ſæcula, & miſericorditer diſpoſitum, & incommutabiliter præfinitum.* Idem dicit *ſerm.16.* Vbi in confirmatione huius do- XI. *Leo Papa ſerm.7.& 9. paſſionis.*

Act. 4. ctrinæ adducit locum illum *Actor.* 4. *Conuenerunt in ciuitate iſta aduerſus puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti: Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus & populus Iſraël facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.* Nec ſatisfacit ſolutio quorundam aſſerentium, hæc quidem eſſe prædeterminata à Deo, ſed non ante præuiſionem determinationis creatæ voluntatis. Hæc enim ſolutio ſe ipſam deſtruit. Etenim, ſi prædeterminatio diuina comparatione humanorum actuum præſupponit præuiſionem determinationis creatæ voluntatis, re vera non eſſet dicenda prædeterminatio, ſed poſtdeterminatio; nam eſſet ordine rationis poſterior determinatione præuiſa creatæ voluntatis.

Solutio. Leſſius lib. de prædeſt. & repro. ſectione 2. num. 20. Impugnatio.

Ratione probatur eadem concluſio. Ad omnia illa ſe extendit diuina prædefinitio, & præordinatio, ad quæ ſe extendit eius cauſſalitas, ſed cauſſalitas diuina ſe extendit ad omnia, & ſingula, quæ quomodolibet habent eſſe, cùm omne ens per participationem pendeat, vt à cauſſa efficiente ab ente per eſſentiam, quod eſt Deus, ergo omnia, & ſingula entia creata ſunt à Deo prædefinita, & præordinata.

Auguſt. Confirmatur. Vt S. Aug. dicit locis ſuperius allegatis, nihil fit niſi Deo volente ſi eſt bonum, aut permittente ſi eſt peccatum: ergo Deus prius voluit, & decreuit, vt producantur in eſſe omnia, & ſingula bona futura antequã intelligãtur reipſa eſſe futura: & ſimiliter prius voluit permittere ſingula peccata, quã peccata illa ſint futura. Ergo omnia bona futura ſunt abſoluto Dei decreto prædeterminata, & præordinata.

Secunda concluſio. Non ſolùm decreto extrinſeco, ſed etiam præuia motione in cauſſis ſecundis recepta, eas prædeterminat ad ſuas operationes exequendas vnamquamque conformiter ad ſuam naturam. Itaque per illam motionem prædeterminat cauſſas naturales, vt operentur naturaliter, & cauſſas liberas, & contingentes vt operentur liberè, & contingenter. Hanc concluſionem probaui ex profeſſo *diſp.* 23. 24. *&* 91. *de Auxiliis*: Ideò nunc breuiter oſtenditur ex Sancto Auguſtino *ſerm.* 36. *de verbis Apoſtoli dicente. Ageris, vt agas, & tunc bene agis, ſi ab eo ageris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adiutor eſt.* Et *lib. de dono perſeuerantiæ capit.* 6. (*Potens ergo eſt, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapſum pronas conuertere, ac dirigere in ſibi placitum greſſum.* Et *de prædeſtinatione Sanctorum capit.* 20. ait: *à Deo inclinari hominum corda, vt hoc velint, eo ſcilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur, & velle.* Et infra pluries repetit, *Deum inclinare quorum voluerit voluntates, quod probat multis locis Scripturæ, præſertim ex illo Pſalm.* 118. (*Inclina cor meum in teſtimonia tua. Et tertio Regum octauo. Fiat Dominus noſter nobiſcum, ſicut erat cum patribus noſtris: non derelinquat nos, nec auertat nos à ſe: inclinet corda noſtra ad ſe, vt eamus in omnibus viis eius.*) Flectere autem voluntates, & eas inclinare, eſt eum ad operandum determinare. Ergo.

XII. *Prædeterminat Deus motione præuia omnes cauſas ſecundas operando.*

Pſal. 118.

Item etiam *libro de gratia & libero arbitr. capit.* 20. (Satis me diſputaſſe arbitrior aduerſus eos, qui gratiam vehementer oppugnant, qua vo-

luntas humana non tollitur, ſed ex mala mutatur in bonam; & cùm bona fuerit adiuuatur, & ſic diſputaſſe, vt non magis ego quàm diuina ipſa ſcriptura vobiſcum locuta ſit euidentiſſimis teſtimoniis veritatis. Quæ ſcriptura diuina, ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit, non ſolùm bonas hominum *voluntates, quas ipſe fecit ex malis, & à ſe factas bonas in actus bonos, & ad æternam dirigit vitam; verùm etiam illas, quæ conſeruant ſæculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate; vt eas quo voluit, quando voluerit, faciat inclinari.* Auxilium autem gratiæ mutantis voluntatem à malo in bonum, & faciens eam inclinari, virtutem habet eam prædeterminandi ad bonum.
Auguſtin. Ergo, &c. Idem confirmat *libr.* 1. *de gratia Chriſti contra Pelagium, & Cœleſtinum cap.* 24. Vbi ait: *quòd Deus conuertit cor regis, & tranſtulit indignationem eius in lenitatem.* Idem repetit *lib. primo contra duas epiſtolas Pelagianorum cap.* 20. *Deus* (inquiens) *cor regis, antequam mulieris ſermonem poſcentis audiſſet; occultiſſima, & efficaciſſima poteſtate conuertit, & tranſtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc eſt, de voluntate lædendi ad voluntatem fauendi; ſecundùm illud Apoſtoli: Deus eſt enim,*
Philipp. 2. *qui operatur in nobis. & velle & perficere.* Qui autẽ transfert voluntatem alterius ab indignatione in lenitatem, ſine dubio prædeterminat illam ad actum lenitatis. Præterea *libro de prædeſtinatione Sanctorum cap.* 8. ait: *Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde recipitur; ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur.* Et *libro de gratia, & libero arbitrio capit.* 21. poſtquam in confirmatio

tionem huius ſententiæ plurima loca Scripturæ ſacræ adduxiſſet, ſic concludit: *His, & talibus teſtimoniis diuinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum eſt, ſatis (quantum exiſtimo) manifeſtatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, ſiue ad bona pro ſua miſericordia; ſiue ad mala pro meritis eorum. Iudicio vtique ſuo aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper autem iuſto.* Et *libro de correptione, & gratia capit.* 14. in principio: *Cùm autem homines per correptionem in viam iuſtitiæ ſeu veniant, ſeu reuertantur; quis operatur in cordibus eorum ſalutem, niſi ille, qui quolibet plantante atque rigante, & quolibet in agris atque arbuſculis operante, dat incrementum Deus? cui volenti ſaluum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium. Sic enim velle, vel nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. De iis enim, qui faciunt quæ non vult, facit ipſe quæ vult.* Et infra: *Intus egit, corda tenuit eos, quæ voluntatibus eorum, quas ipſe in illis operatus eſt, traxit.* Et ſtatim ſubdit: *Magis habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas.* Item *epiſtola* 107. *ad Vitalem*, inquit: *Nolentes credere Deo; omnipotentiſſima facilitate conuertit: ac volentes ex nolentibus facit.* Et *libro de correptione, & gratia capit.* 2. *Intelligant* (inquit) *qui filij Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, vt quod agendum eſt, agant; & cùm egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant: aguntur enim vt agant, non vt ipſi nihil agant.* Præterea *libro de gratia, & libero arbitrio capit.* 5. de Paulo Apoſtolo ſermonem faciens, inquit:

Vt autem de cœlo vocaretur, & tam magna & efficaciſſima conuerſione conuerteretur, gratia Dei erat ſola, quia merita eius erant magna, ſed mala. Et *capit.* 16. eiuſdem libri. *Certum eſt*, inquit; *nos facere, cùm facimus: ſed ille facit, vt faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: faciam, vt in præceptis meis ambuletis.* Hæc autem, & alia, quæ alibi de gratia efficaci dixit Auguſtinus quamplurima, clarè oſtendunt, Deum per auxilium efficax præuenientis gratiæ prædeterminare creatam voluntatem ad piam operationem, non ſolùm moraliter, ſed etiam verè efficienter, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ, ita vt nunquam contingat, Deum eiuſmodi auxilio mouere voluntatem ad actum bonum, & quòd voluntas eundem actum non producat.

Ezech. 36.

XIII. *S. Th. ſentẽtia circa motionem prædeterminantem.*

In eadem ſententia eſt perpetuus Sanctus Thomas, qui tam ad actus pertinentes ad ordinem naturæ, quàm ad eos qui pertinent ad ordinem gratiæ, præter formas permanentes, quibus cauſſæ ſecundæ poſſunt operari, neceſſariam eſſe docet motionem Dei præuiam, ſiue auxilium efficax præueniens; quo ad operandum moueantur, & determinentur. Et quidem generaliter id docet de omnibus cauſſis 1. *part. quæſtion.* 2. *articul.* 3. *in corpore.* vbi ait: *Mouentia ſecunda non mouent, niſi per hoc, quòd ſunt mota à primo mouente, ſicut baculus non mouet, niſi per hoc, quòd eſt motus à manu.* Et *quæſtion.* 83. *art.* 1. *ad* 2. ait, quòd *liberum arbitrium ad hoc non eſt ſufficiens* (nempè ad volendum, & currendum,) *niſi moueatur, & iuuetur,*

S. Thom.

tur à Deo. Et in ſolutione ad 3. ſic concludit: *Deus igitur eſt prima cauſſa mouens, & naturales cauſſas, & voluntarias. Et ſicut naturalibus cauſſis mouendo eas, non aufert quin actus earum ſint naturales: ita mouendo cauſſas voluntarias non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potius hoc in eis facit. Operatur enim in vnoquoque ſecundùm eius proprietatem.* Et 1. 2. *quæſtion.* 109. *articul.* 1 *in cor.* (*Manifeſtum eſt* (inquit) *quòd ſicut motus omnes corporales reducuntur in motum cœleſtis corporis, ſicut in primum mouens corporale; ita omnes motus, tam corporales, quàm ſpirituales reducuntur in primum mouens ſimpliciter; quod eſt Deus; & ideo quantumcunque natura aliqua corporalis, vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere; niſi moueatur à Deo.*) Et *artic. nono eiuſdem quæſt. in corpore* ſubdit: (*Nulla res creata poteſt in quencumque actum prodire; niſi virtute motionis diuinæ.*) Et clarius *quæſtion.* 3. *de potentia artic.* 7. *in corp.* ait, *quòd Deus eſt cauſſa actionis cuiuſlibet rei naturalis, vt mouens, & applicans virtutem ad agendum.*) Et in ſolutione ad 7. eiuſdem articuli ait, *quòd virtus naturalis, quæ eſt in rebus naturalibus in ſua inſtitutione collata, ineſt eis, vt quædam forma habens eſſe ratum, & firmum in natura. Sed id quod à Deo fit in re naturali, quò actualiter agat, eſt vt intentio ſola habens eſſe quoddam incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis.* Sentit ergo, quòd per illam motionem determinat cauſſam ſecundam ad agendum. Motio enim, qua cauſſa ſecunda actualiter agit, eam ad agendum determinat. Id ipſum confirmat de actibus

S. Thom.

S. Thom. 1. 2. *q.* 109. *art.* 1. *in corp.*

Deus eſt primũ mouens.

Art. 9. *Vbi ſupra, & q.* 3. *de potẽtia art.* 3. *in cor.*

Digitized by Google

ſupernaturalibus 2. 2.*quæſtion.*24. *artic.*11.*in corpore*, vbi ait, *quòd ex parte Spiritus ſancti mouentis animam ad diligendum Deum, charitas impeccabilem habet ex virtute Spiritus ſancti, qui infallibiliter operatur, quodcumque voluerit. Vnde impoſſibile eſt, hæc duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus ſanctus velit aliquem mouere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando.* Et *prima ſecunda quæſtione* 113. *articulo tertio in corpore*, ait, *quòd præparatio ad gratiam poteſt conſiderari ſecundùm quod eſt à Deo mouente, & tunc habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis: ſed infallibilitatis; quia intentio Dei deficere non poteſt, ſecundùm quod Auguſtinus dicit in libro de prædeſtinatione ſanctorum, quod per beneficia Dei certiſſimè liberantur, quicunque liberantur. Vnde ſi ex intentione Dei mouentis eſt, quòd homo, cuius cor mouet, gratiam conſequatur, infallibiliter ipſam conſequitur, ſecundùm illud Ioannis ſexto: Omnis qui audit à patre & didicit venit ad me.* Et ſuper *caput ſextum Ioannis* in illa verba: *Omnis qui audit à patre, & didicit venit ad me. Attractio*, inquit, *Patris efficaciſſima eſt, quia omnis, qui audit à Patre & didicit, venit.* Et ſuper *capit. octauo ad Roman. lectione ſexta.* in illa verba: *Quos prædeſtinauit, conſtituit duplicem Dei vocationem, quarum vna eſt exterior, quæ fit ore prædicatoris, alia verò eſt interior, quæ nihil eſt, quàm quidam mentis inſtinctus, quo cor hominis mouetur à Deo ad aſſentiendum his, quæ ſunt fidei vel virtutis. Iſaiæ* 41. *quis ſuſcitabit ab oriente iuſtum, & vocabit eum, vt ſequeretur ſe? & hæc vocatio neceſſaria eſt, quia cor noſtrum non ſe ad Deum*

S. Thom. 2. 2. q. 24. art. 11. in corp.

S. Thom.

Auguſt. lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 14.

Ioan. 6.

Iſaiæ. 41.

Digitized by Google

Deum conuerteret, niſi Deus nos ad ſe traheret. Ioannis 6 *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum.* Threnorum 5. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Et ſtatim ſubdit: *Hæc vocatio eſt efficax in prædeſtinatis.* Item etiam *qu.6. de malo ar. vnico ad 3.* ait, *quòd Deus mouet quidem immutabiliter voluntatem propter efficaciam virtutis mouentis, quæ deficere non poteſt, ſcilicet propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diuerſa, non tamen inducitur neceſſitas: ſed manet libertas, ſic etiam in omnibus prouidentia diuina infallibiliter operatur, & tamen à cauſis contingentibus proueniunt effectus contingenter, in quantum Deus omnia mouet proportionabiliter, vnumquodque ſecundùm ſuum modum.* Qui autem mouet immutabiliter, & efficaciter voluntatem ad operandum eam ad operationem prædeterminat, aliàs motio illa efficax non eſſet. Et *q. 23. de veritate artic. quarto ad* 15. ait: *quòd ſecundus reſpectus voluntatis diuinæ ad volitum, in quantum eſt producendum in actu per voluntatem, eſt neceſſarius propter efficaciam diuinæ voluntatis; & ex inde eſt, quod de neceſſitate ſequitur, ſi Deus vult aliquid voluntate beneplaciti, quod illud fiat.* Idem dicit *art.5. eiuſdem quæſtionis ad tertium, & qu. 22. de veritate art.8. in corp.* docet Deum immutare voluntatem imprimendo illi aliquid, quod inclinetur ad volendum, & *articulo 9. in corp.* ait, *ſolus Deus poteſt inclinationem voluntatis, quam ei dedit transferre de vno in aliud, ſecundùm quod vult.*

Ioan.6. *Thren. 5.* *S. Thom.* *S. Thom.*

XIV. Ariſtoteles etiam ſolo lumine naturali ductus, hanc veritatem agnouit; nimirum omnes cauſſas ſecundas indigere actuali motione pri- *Ariſ.7.Phyſ.*

Digitized by Google

Ariſt. ſentẽtia circa motionem prædeterminantem.

mi mouentis, qua ad operandum mouentur. Etenim 8. *Phyſicorum textu* 33. *lectione* 9. apud Sanctum Thomam inquit: *Vtraque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium, ſed magis primum; illud enim mouet vltimum, ſed non hoc primum: & ſine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem ſine hoc, vt baculus non mouebit, niſi moueatur ab homine.* Vnde idem Ariſtoteles 7. *Phyſicorum cap.* 1. & 8. *Phyſicorum capit.* 5. ex illo principio communiter recepto; *Omne quod mouetur ab alio mouetur,* concludit; deueniendum eſſe ad vnum primum mouens, quòd omnia agentia moueat, & non moueatur ab alio, ne detur proceſſus in infinitum.

Ariſtot. 8. Phyſ. c. 5.

Greg. Arim.

Inter Theologos idem docet Gregorius Ariminenſis *in 2. diſtinct. 28. quæſt. 1. art.* 3. Vbi inter vocationem, qua Deus hominem incitat, & inuitat ad bonum, conſtituit medium quendam impulſum, quo voluntatem ad conſentiendum applicat, facitque, vt velit. Eandem concluſionem docet Capreolus *in 2. ſent. diſt. 1. quæſt. 2. art.* 1. Caietanus 1. *p. q.* 45. *art.* 5. §. *ad durandum & q.* 115. *art.* 6. §. *ad euidentiam,* vbi ait: *Nunquam agentia inferiora coagere cœlo, niſi ſimul patiantur à cœlo, quoniam non mouent niſi mota: & prius naturaliter eſt inferiora corpora pati, & moueri à cœlo, quàm coagere illi.* Ferrarienſis 3. *contra gentes cap.* 70. & adducit in confirmationem eiuſdem ſententiæ Sanctum Thomam *quæſt.* 3. *allegata de potentia,* & eadem eſt communis ſententia Thomiſtarum, & aliorum plurium Theologorum, quos breuitatis cauſſa omittimus.

Capreol.

Caiet.

Ferrar.

Præterea

Digitized by Google

Præterea probatur ratione. Deus per auxilium efficax præuenientis gratiæ verè efficienter facit, vt faciamus, vt *diſput. 86. de Auxiliis* oſtenſum eſt. Ergo phyſicè, hoc eſt verè efficienter prædeterminat volũtatem ad bene operandum. Sed quoniam *diſp. 23. 24. & 91. de Auxiliis* plures rationes Theologicas pro hac concluſione adduxi, illis omiſſis obiectionibus in contrarium ſatisfaciendum eſt.

XV. *Libertatem perficit motus Dei efficax.*

Ad primum argumentum reſpondetur, decretum abſolutum diuinæ voluntatis prædefiniens omnes, & ſingulos actus bonos futuros in quacumque differentia temporis ne dum non impedire, ac minuere arbitrij creati libertatem; ſed etiam eam perficere, & cauſſare in ipſo exercitio. Nam efficit, vt liberum arbitrium exeat de potentia ad actum per modum libertatis propriæ naturæ congruentem. Prædefiniuit enim, vt actus illi fiant liberè per arbitrium creatum, vnde ex prædicto decreto voluntatis diuinæ ſequitur quòd liberè fiant. Et licet hæc duo ſint incompoſſibilia, quòd nimirum Deus decreuerit, talem actum fieri per liberum arbitrium, & quòd actus ille non fiat: nihilominus cum eodem decreto ſtat ſimul in eodem libero arbitrio vera, & expedita facultas, qua poſſit non elicere illum actum, ſi velit, vt ſupra dictum eſt: & hoc ſufficit ad libertatem, cùm libertas in facultate ad vtrumlibet conſiſtat. Iuxta hunc ſenſum intelligenda eſt illa propoſitio: Liberum arbitrium eſt, quod poſitis omnibus requiſitis ad operandum poteſt operari, & non operari. Non enim eſt ſenſus, quòd cùm omnibus præ-requiſitis

Digitized by Google

requiſitis ad operandum talem actum ſtet ſimul, quòd liberum arbitrium non operetur illum actum: ſed ſenſus eſt, quòd cum omnibus prærequiſitis ad operandum ſaluatur in libero arbitrio vera facultas, qua poſſit non operari, ſi velit, vt *diſput.* 115. & 116. *de Auxiliis* oſtenſum eſt, & patebit amplius *lib.* 4. *cap.* 1.

XVI. *Homo qualiter dicatur relictus in manu conſilij ſui.* *Aug. libr.* 5. *de Ciuit. Dei c.* 9. & 10. *tom.* 5. *Aug. libr. de corrept. & grat. cap.* 14. *to.* 7. *S. Thom.*

Ad ſecundum reſpondetur, hominem nō ita relictum eſſe in manu conſilij ſui, vt à prædefinitione, & prędeliberatione Dei, qui operatur omnia ſecundùm cōſilium voluntatis ſuę, ſit exemptus, aut ab ordine prouidentiæ diuinæ. Hanc enim libertatem Cicero conabatur ſtatuere, qui, vt Auguſtinus ait, *dum homines voluit facere liberos, fecit ſacrilegos.* Eſt ergo homo in actionibus humanis liber à coactione, & neceſſitate abſoluta, qualis reperitur in rebus naturalibus, quæ per ſuam formam ſunt naturaliter ad vnum determinatæ, ſed non eſt liber à ſubiectione & poteſtate Dei, qui vt Aug. ait, *magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas.* Ex eo igitur dicitur conſtitutus in manu conſilij ſui, quia vt explicat S. Tho. 1. *p. q.* 22. *art.* 2. *ad* 4. *non præfigitur ei virtus operatiua determinata ad vnum, ſicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantùm, quaſi ab altero directa in finem: non autem ſe ipſa agunt, quaſi ſe dirigentia in finem*, per conſilium, & electionem. Sed quoniam conſilium, & prouidentia hominis continetur ſub conſilio, & prouidentia Dei, ſicut cauſſa particularis ſub vniuerſali; ideo quicquid boni per ſuum conſilium deliberat homo, prius fuit deliberatum, & præordinatum æterno conſilio voluntatis diuinæ. Solutio eſt

S. Tho.

Digitized by Google

S.Thom.1.*p.citata,& 2.2.q.104.art.1.ad 1.& de veritate q.5.ar.5.ad 4.& q.4. de potentia art. 7.ad* 12. Et ad exemplũ adductum reſpondetur,non eſſe eandem rationẽ de Domino particulari prę-definiente famulo,quid ſit facturus;& ratio diſcriminis eſt:nam conſilium,deliberatio, & determinatio famuli comparatione ſuarum actionum non continentur ſub conſilio, prædeliberatione,& prædeterminatione Domini ſui, tanquam cauſſa particularis ſub vniuerſali; ac per conſequens cõſilium & deliberatio famuli non dependet phyſicè in ſuo eſſe à conſilio, & deliberatione Domini, tanquam à cauſſa efficiente, ſed ſolùm,vt à cauſſa morali præcipiẽte,vel ſuadente. Vnde contingere poteſt.& ſæpè contingit,quòd famulus ſuo conſilio faciat oppoſitum eius,quod Dominus ſuo conſilio, & voluntate abſoluta decreuit,vt per famulum fieret. Cæterùm omne conſiliũ, deliberatio,& determinatio cuiuſcumque creaturæ rationalis comparatione cuiuſcumque operationis bonæ,continetur ſub cõſilio,prædeliberatione,& determinatione voluntatis diuinæ,tanquam cauſſa particularis ſub vniuerſali,à qua in ſuo eſſe,& operatione depẽdet,ſicut prouidentia particularis agentis continetur ſub vniuerſali prouidentia Dei, vt 1. *p.q.* 22.*allegata* dicit S.Thomas. Vnde omne conſilium, & deliberatio hominis comparatione cuiuſcumq; boni participatur,& cauſſatur ab vniuerſali conſilio,& prædeliberatione Dei: ac per conſequens fieri non poteſt, vt homo per rationem, & conſilium ſuum aliquid deliberet circa aliquod bonum,quod non fuerit prius abſoluto

Domini vniuerſalis & particularis differentia.

S.Thom.

Digitized by Google

ſoluto conſilio Dei ſtatutum, & prædeliberatum. Cùm ergo Dei conſilium, & determinatio ſit cauſſa efficiens, vt homo per conſilium ſuum, & liberam electionem deliberet de ſuis actionibus, vt cauſſa earum proxima, ſit conſequens quòd verè dicatur homo relictus in manu conſilij ſui; vt tanquam cauſſa particularis determinet ſibi proprias actiones: etiam ſi Deus tanquam cauſsa vniuerſalis abſoluta voluntate prædefinierit, quid per quamcumque cauſſam liberam faciendum ſit in quacumque differentia temporis. Peccata verò abſolutè loquendo non ſunt à Deo prædefinita, aut volita, quia non cauſſantur ab eo, ſed ſolùm ſunt à diuina voluntate permiſſa, vnde in ſolum liberum arbitrium creatum ſunt referenda; vt *libro* 1. *cap.* 1. *numer.* 29. dictum eſt.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd ſiue homo ſciat, ſiue ignoret decreta Dei abſoluta, ſemper relinquitur in manu conſilij ſui modo ſuperiùs explicato. Etenim ſcientia eiuſdem decreti non tollit liberam hominis electionem comparatione ſuarum actionum, vt patet in Chriſto Domino, qui certò ſciebat paſſionem ſuam eſſe voluntate abſoluta prædefinitã à Deo, *Matth.* 26. ſecundùm illud Matthæi 26. *Filius hominis, ſicut definitum eſt, vadit*: & tamen ipſe per liberum ſuum conſilium, & electionem voluit pati pro hominibus mortem, vt conſtat ex illo Iſaiæ *Iſaiæ* 53. *Ioan.* 10. 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Et Ioan. 10. *Ego pono animam meam vt iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me; ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem*

ſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam, hoc mandatum accepi à Patre meo. Quibus verbis præcepto, & prædeterminatione patris ſibi cognita, qua ſtatuit, vt pro redemptione generis humani moreretur, affirmat, ſe per liberam voluntatem & electionem animam ſuam poſuiſſe. Idem dicendum eſt de omnibus aliis actionibus humanis ipſius Chriſti. Etenim nedum per ſcientiam beatam, ſed etiam per inditam certò ſciebat; eſſe à Deo prædefinitas in particulari cum omnibus ſuis circumſtantiis: & tamen omnes illæ actiones fuerunt liberæ, & relictæ in manu conſilij ipſius Chriſti, vt 3. *p. qu.* 18. *art.* 4. docet S. Thom. aliàs per eaſdem actiones nihil meruiſſet, quod tamen eſt contra ſacram Scripturam, & dicta Sanctorum. *S. Thom.*

XVIII. *Deus nõ propterea ſcit res futuras, quia futuræ ſunt.*

Ad tertium argumentum reſpondetur, iſtam cauſſalem eſſe falſam: Quia res futuræ ſunt, ideo cognoſcuntur à Deo: hanc autem eſſe veram: Quia Deus ſcientia libera ſciuit aliquid eſſe futurum, ideo futurum eſt. Ita docet S. Auguſtinus *libr.* 15. *de Trinitat. cap.* 23. Vbi ait: *Vniuerſas autem creaturas ſuas, & ſpirituales, & corporales, non quia ſunt ideo nouit, ſed quia nouit ideo ſunt. Non enim neſciuit quæ fuerat creaturus. Quia ergo ſciuit, creauit, nõn quia creauit, ſciuit.* Idem dicit *libr.* 6. *cap.* 10. quod etiam expreſsè docet magiſter ſententiarum *in* 1. *diſtinct.* 38. vbi ait: *Neque enim res futuræ cauſſa ſunt Dei præſcientiæ. Licet enim non eſſent futuræ, niſi preſcirentur à Deo, non tamen ideo præſciuntur à Deo, quia futuræ ſunt. Si enim hoc eſſet, tunc eius quod* *Auguſt.* *Mag. ſent.*

æternum

æternum eſt, aliquid exiſteret cauſſa ab eo alienum, ab eo diuerſum, & ex creaturis penderet ſcientia creatoris, & creatum eſſet increati cauſſa. Eadem eſt ſententia Sancti Thomæ 1 *.part. quæſt.*14. *art.* 8. *ad primum, & de veritate quæſt.*2. *art.* 14. Et ratio, quam eodem *art.* 8. *in corp.* aſſignat Sanctus Thomas, id ſuadet. Sic enim ſcientia Dei ſe habet ad omnes res creatas, ſicut ſcientia artificis ſe habet ad artificiata: ſcientia autem artificis (vt determinatur per voluntatem ad opus) eſt cauſſa artificiatorum, eo quòd artifex operatur per ſuum intellectum. Ergo ſcientia Dei, ſecundùm quod habet voluntatem coniunctam, eſt cauſſa rerum. Ergo hæc cauſſalis eſt vera: Quia Deus ſciuit, ſcientia liberà res eſſe futuras, ideo futuræ ſunt, & non è contra, quia futuræ ſunt, ideò Deus ſcit eſſe futuras.

S. Thom.

Scientia Dei eſt cauſſa rerum.

Deus ſcit omnia futura in prædeterminatione ſuæ voluntatis.

Vnde libenter fatemur, Deum omnia futura præſcire in prædefinitione, ſeu prædeterminatione ſuæ voluntatis, id enim docet Sanctus Thomas locis allegatis *lib.*1. *c.*5. *num.*11. Cùm ergo decretum abſolutum voluntatis diuinæ ſit prima, & vniuerſaliſſima cauſſa omnium contingentium, relinquitur, Deum in eodem decreto certò ſcire illa eſſe futura. Et ad loca inducta in contrarium, quibus probatur, non propterea aliquid eſſe futurum, quia id ſcit Deus futurum; ſed quia futurum eſt, ideo ſcitur à Deo, reſpondet Sanctus Thomas *art.* 8. *citato ad primum* explicans Origenem. Ait enim, ***quòd loquutus eſt attendens rationem ſcientiæ, cui non competit ratio cauſſalitatis, niſi adiuncta voluntate, vt dictum eſt: ſed quòd dicit, ideo præſcire Deum***

Deum aliqua, quia ſunt futura, intelligendum eſt ſecundùm cauſſam conſequentiæ non ſecũdùm cauſſam eſſendi. Sequetur enim, ſi aliqua ſunt futura, quòd Deus ea præſcierit: non tamen res futura ſunt cauſſa, quòd Deus ſciat. Et intelligit S. Thomas, quòd non ſunt cauſſa etiam obiectiua, quia Deus non accipit ſcientiam à rebus, tanquam ab obiecto: ſicut nec Angelus, vt docet *q. 2. de veritate art. 14. in corpore.* *S. Thom.*

XIX. *Futurũ quare hoc ſit quærenti, multipliciter reſpõderi poteſt.*

Ad quartum argumentum reſpondetur, quòd quærenti cur hoc momento, hoc loco vult quis dare eleemoſynam, potuit reſponderi multipliciter ſecundùm diuerſa genera cauſſarum. Si enim inquiratur de cauſſa finali, reſpondendum erit, propter ſubleuandam miſeriã pauperis, aut verò propter conſequutionem regni cœleſtis, quod repromiſſum eſt facientibus miſericordiã cum proximo ſuo, iuxta illud Matth. 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequẽtur.* *Matth. 5.* Si autem inquiratur de cauſſa proxima efficiente, reddenda eſt ratio ex beneplacito donantis eleemoſynam: quia videlicet ita ſibi placuit. Si verò inquiratur de cauſſa prima ſimpliciter, in quam reducendum eſt vltimatè illud opus pietatis; rectiſſimè, & veriſſimè reſpondetur, quia Deus ſuo æterno, & abſoluto decreto ita diſpoſuit, vt tali tempore facerem eleemoſynã illam pauperi. Ad hanc enim cauſã reſpexit Chriſtus, cùm dixit: *ita Pater, quoniam ſic placitũ fuit ante te.* *Matth. 11.* Et idẽ dicendum proportionabiliter de aliis bonis operibus, nedum intenſis, ſed etiã remiſſis. Sicut enim Deus pro ſuo beneplacito quoſdam prædeſtinauit ad maiorẽ gradum gloriæ, quoſ-

Digitized by Google

dam ad minorem, vt ex diuerſitate intenſionis gloriæ maior pulchritudo regni cœleſtis conſurgeret: ita etiã præordinauit, & prædefiniuit, vt quidam plura, & magis intenſa, quidam pauciora vel minus intenſa opera meritoria producerent, vt per diuerſitatem meritorum ad diuerſum gradum gloriæ, ad quem prædeſtinati ſunt, peruenirent, vt ex S. Thom. 1. *p.q.* 12. *art.* 6. conſtat, & colligi poteſt ex his, quæ ſuperius dicta ſunt; & per hæc patet ad confirmationem.

S. Thom.

XX. *Signa rationis diuerſa.*

Ad quintum reſpondetur, omnia illa, quæ in argumento tanguntur, fuiſſe à Deo abſoluta voluntate prędefinita, quamuis in diuerſo ſigno rationis. Etenim in priori ſigno decreuit abſoluta voluntate permittere peccatum primi parentis, vt ex illo educeret ſupremum illud bonum, quod eſt Incarnatio Verbi. In ſecundo ſigno prædeſtinauit Chriſtum ſecundùm quod homo, in remedium originalis peccati. In tertio ſigno prædeſtinauit in Chriſto, & per Chriſtum omnes electos ad determinatum gradum gloriæ. In quarto ſigno prædeterminauit omnia media, & merita, quibus ad præfixum gradum gloriæ vnuſquiſque perueniret. Verũ eſt, quòd licet Deus omnia, quæcumque vult, velit vnico ſimpliciſſimo actu, tamen ex parte obiecti ſecundariò voliti, vnum præſupponitur ad aliud. Vult enim Deus vnum eſſe propter aliud, vt 1. *p.q.* 19. *art.* 5. dicit S. Thom. Licèt ergo opera iuſtorum non ſint efficaciter præfinita ante præuiſionem peccati, & prædeſtinationis Chriſti, nihilominus ſunt abſoluta voluntate à Deo prædefinita ante omnem præſcientiam cooperationis

S. Thom.

nis

Digitized by Google

nis voluntatis eorum. Optimè enim ſtat, quòd vnum ſit prædefinitum prius in ſigno rationis, quàm aliud,& tamen vtrumque ſit à Deo abſoluta, & efficaci voluntate prædefinitum.

XXI. *Prædefinitæ ſunt omnes particulæ corporum electorum.*

Ad ſextum fatemur, omnes particulas corporum electorum eſſe à Deo abſoluta voluntate prædefinitas ante præuiſionem curſus rerum. Hoc enim inſinuant verba illa Matth. 12. *Cũ capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt*, & ſimilia. Vnde omnia diuina prouidentia ſic ordinantur, & diriguntur,vt corpora ſingulorum illis particulis conſtent,quibus debere cõſtare decretum eſt.Et licèt in hoc mirabilis appareat diuina prouidentia, non tamen propterea id negãdum eſt, ſicut omnes catholici fateri tenentur, quòd in reſurrectione, ſpeciali Dei prouidentia omnes corporum noſtrorum particulæ in diuerſis, & valdè diſtantibus locis exiſtentes, ac in cineres conuerſæ in vnum colligentur. Sicut enim quidquid fit in mundo,quantumuis minimum, præuenitur à ſcientia Dei: ita etiam præuenitur ab eius prouidentia,vt ex præmiſſis conſtat.

Prædefinitæ ſunt abſoluta voluntate paſſiones Chriſti, omnium martyrum.

Ad 7.reſpondetur,quod,vt ex locis Scripturæ ſupra inductis colligi poteſt, afflictiones, & paſſiones Chriſti fuerunt à Deo abſoluta voluntate prædefinitæ ante præuiſionem malitiæ Iudæorum.Malitia autem perſequentium Chriſtum fuit etiam à Deo abſoluta voluntate permiſſa, vt Chriſtus Dominus perſecutiones illas, & mortem pateretur decretam.Etenim vt ſupra dictũ eſt,ex duobus,quorum vnum præſupponitur ad aliud ex parte obiecti voliti,poteſt vtrũque eſſe voluntate abſoluta prædefinitum, vel

Digitized by Google

permiſſum, vt patet in prædeſtinatione electorum. Nam prius in ſigno rationis præparauit illis Deus gloriam tanquam finem, & in poſteriori ſigno prædefiniuit media, & merita, quibus ad eandem gloriam peruenirent; & tamen gloria ipſa, & ſimiliter merita electorum ſunt à Deo abſoluta, & efficaci voluntate prædefinita.

Martyrum paſſiones qualiter prædefinitæ.

Ad confirmationẽ de paſſionibus martyrum idem dicendum proportionabiliter, quod de paſſionibus Chriſti dictum eſt. Neque ex hoc ſequitur, vt quidam arguunt, Deũ eſſe auctorem peccati Tyrannorum Martyres perſequentium. Licèt enim quicquid habet rationem entis, & boni procedat efficienter à ſummo bono, malitiã tamen, quæ actioni poſitiuæ cõiungitur, non in Deum, ſed in ſolum liberum arbitriũ creatum, quod à regula rationis deficit, referenda eſt, vt *lib.*1.*c.*1.*n.*29. dictum eſt. Vnde S.Aug. *lib.*83. *quæſt.q.*21. *Deus mali auctor non eſt, qui omnium, quæ ſunt, auctor eſt; quia inquantum ſunt in tantum bona ſunt.* Et S.Anſelmus *in lib. de concordia præſcientiæ, prædeſtinationis, & liberi arbitrij.* non longè à principio, *omnis* inquit, *qualitas, vel omnis actio, & quicquid aliquam habet eſſentiam, à Deo eſt, à quo eſt omnis iuſtitia, & nulla iniuſtitia.* Facit igitur *Deus omnia, quæ iuſta, vel iniuſta voluntate fiunt, id eſt, bona opera, & mala. In bonis igitur facit quòd ſunt, ſed non quòd mala ſunt.* Ad aliud de regno Dauid reſpondetur, quod & peccatum Saulis fuit abſoluta volũtate à Deo permiſſum, & regnum Dauid abſoluta volũtate decretum, quamuis ex parte obiecti voliti vnũ præſupponatur ad aliud. In intentione quippe Dei prius

Anſel.

intelligi

Digitized by Google

intelligitur decretum regni Dauid, ſed in exequutione prius fuit peccatũ Saulis, quod Deus permiſit. Eodem modo reſpondetur ad illud, quod de principatu Ioſeph obiicitur: dicendum eſt enim fuiſſe à Deo abſoluta voluntate decretum, vt conſtat ex illo Geneſ. 45. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum, qui fecit me, quaſi patrem Pharaonis.* Et c. 50. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Sed in executione prius fuit cõmiſſum ſcelus à fratribus, qui vendiderũt illum, quod quidem ſcelus fuit etiam à Deo abſoluta voluntate permiſſum, vt ex illo Ioſeph principatum educeret. Et per hæc patet Reſponſio ad id, quod obiicitur de euerſione Hieruſalem per Chaldæos facta. *Gen. 45.*

Sed contra hanc ſolutionẽ obiiciunt. Si omnes Chriſti perpeſſiones ſunt prædefinitæ antè præuiſionem malitiæ Iudaicæ; ergo etiã ſi Iudæi ſponte ſua illas non irrogaſſent, nihilominus illę futuræ fuiſſent. Quidquid enim prædeſtinatum eſt prius ratione, & independenter ab alio, ex vi prædeſtinationis, neceſſariò fieri debet, etiam ſi illud poſterius non eueniat, quod ex ipſis terminis videtur perſpicuum. Nam efficacia eius, quod prius eſt, non pendet ab eo, quod eſt poſterius: atqui illa prædeſtinatio eſt prior, & efficax, eique ſuppetunt varia media exequendi. Ergo non eſt alligata ad hoc medium. *Chriſtus an crucifixus fuiſſet ab aliis, ſi Iudæi non occidiſſent illum.*

Reſpondetur, quòd ſicut Deus prædefiniuit finem, ita etiam prædefiniuit media, vel permiſſionem mediorum, quibus in executione cõſecuturus erat finẽ illum. Vnde ſtante huiuſmodi prædefinitione mediorum, talis finis per eadem *Solutio.*

Digitized by Google

media decreta, vel permiſſa erat infallibiliter ſecuturus, & non per alia. Nã Dei prouidentia, & pręordinatio nõ ſolũ ſe extendit ad finẽ; ſed etiã ad determinata media. Vnde, ſicut Deus ſemper conſequitur finem abſoluta, & efficaci volũtate intentũ: ita etiam conſequitur finem per media illa prędeterminata, vel permiſſa, & non per alia, quibus potuiſſet idem finis conſequi, & conſequeretur de facto, ſi Deus voluiſſet, vt per illa media cõſequeretur. Et ad illam propoſitionem aſſumptam: Efficacia eius, quod eſt prius nõ dependet ab eo, quod eſt poſterius, &c. Reſpõdetur non eſſe vniuerſaliter verã, præſertim in iis, quæ ſecundùm vnam rationẽ ſunt prius, ſecundùm aliam poſterius. Eſt exemplum in rebus naturalibus. Forma equi eſt prior in genere cauſſæ formalis, quàm materia, & tamen nõ poteſt eſſe ſine illa; quia materia eſt prior in genere cauſſæ materialis. Item etiam ſol eſt prius natura, quàm radius, & tamen non poteſt eſſe ſine illo, & idẽ dicendũ eſt de quocumq; alio ſubiecto, & eius paſſione. Sol enim dari nõ poteſt ſine radio, nec ſubiectum ſine paſſionę, loquendo de potentia Dei ordinaria, ęo quod, & ſol habet naturalem connexionem cum radio, & ſubiectum cũ paſſionę. Idem ergo proportionabiliter dicendum eſt de his, quæ licèt non habent inter ſe naturalem connexionẽ; connectuntur tamen infallibiliter ex decreto diuinæ voluntatis, ſicut contingit, quando ſunt plura remedia ad cõſequutionem finis. Licet enim per ſe loquendo; neutrum eorum determinatè habeat infallibilem connexionem cum fine, eo quòd indifferenter poſſit finis

Prius non ſemper poteſt eſſe abſque poſteriori.

Simile.

finis per quodlibet eorum aſſequi:ſuppoſito tamen, quòd Deus abſoluta voluntate prædeterminauit,quòd quis per tale medium in particulari conſequatur finem à Deo intentum, & non aliter,nec alio modo, iam conſequutio finis habet infallibilem connexionem cum tali medio à Deo præordinato, ac per conſequens ſine illo aſſequi de facto non poteſt.

Secundò reſpondetur,quòd licet finis ſit primus in intẽtione, eſt tamen vltimus in exequutione, vnde abſque mediis prædeterminatis à Deo, vel peccatis permiſſis aſſequi non poteſt; ac per conſequens Chriſtus Dominus, & Martyres, qui paſſi ſunt tormenta, non fuiſſent ea perpeſſuri, ſi Iudæi, & Tyranni ſua voluntate, & malitia à Deo permiſſa ea nõ intuliſſent.Propter eandem rationem prædeſtinatio abſoluta ad gloriam,licèt ſit prior in intentione determinatione mediorum ; quia tamen eſt vltima in exequutione, nunquam illã conſequũtur electi, niſi per media prædefinita, & præparata à Deo. XXIII. *Finis eſt prior in intentione,poſterior in exequutione.*

Sed adhuc obiiciunt Sanctum Thomam *tertia part. quæſtione prima articul. tertio ad quartum.* Vbi colligit prædeſtinationem incarnationis Chriſti, ſi facta eſſet ante præuiſum peccatum, habituram effectum, etiam ſi peccatum non ſequeretur.Ergo quando aliquid prædefinitum eſt abſoluto decreto ante præuiſionem mediorum, & plura media ſuppetunt exequendi illud,deberet fieri,etiam ſi hoc,vel illud medium non adeſſet. Quòd ſi vnicum tantùm ſit medium;tunc hoc ipſo, quo prædefinitus eſt finis,implicitè,& virtute cenſetur quoque prædefini- *Obiectio.*

definitùm in particulari hoc medium.

Reſpondetur, locum adductum S.Th. noſtræ ſententiæ non modicum fauere. Verba enim illiùs ſunt: *Prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum, & ideò ſicut Deus prædeſtinat ſalutem alicuius hominis per orationes aliorum implendam: ita etiam prædeſtinauit opus incarnationis in remedium humani peccati.* Ex quibus verbis habetur, Deum non ſolùm prædeſtinaſſe finem, ſed ſimiliter prædeſtinaſſe media ad illum finem cóſequendum, etiam quando per plura media poteſt conſequi. Certiſſimum eſt enim, quòd ſalus alicuius hominis à Deo prædeſtinata poterit abſque orationibus aliorum impleri per alia media: & tamen prædeſtinat, vt in multis per orationes aliorum impleatur, ſicut ſalus Pauli prædeſtinata eſt implenda per orationes Stephani, vt ſupra dictum eſt. Ratio ergo qua probat Sanctus Tho. quòd ſi Adam non peccaſſet, Chriſtus incarnatus non fuiſſet, eſt, quia Incarnatio Verbi ex parte obiecti voliti facta eſt in remedium humani peccati: Vnde peccato non exiſtente, Incarnatio non fuiſſet. Ex hoc tamen non licet inferre, quòd non ſint à Deo prædeſtinata media, per quæ finis prius volitus, & abſolutè prædeſtinatus, ſit conſequẽdus. Licet enim Deus pro ſua mera voluntate per alia media potuerit electos perducere ad gradum gloriæ ante omnem præſcientiam meritorum abſolutè volitum, & prędeſtinatum; tamen ſecundùm ordinem ſuæ prouidentiæ voluit, & præordinauit, quòd per talia media, & non per alia ad prædeſtinatum finem peruenirent.

S.Thom.

Prædeterminata ſunt à Deo, finis, & media.

Ad

Digitized by Google

Ad confirmationem reſpondetur, quòd contritio, & pœnitentia ex ſua intrinſeca ratione præſupponunt peccata tanquam materiam, circa quam verſantur. Nam contritio eſt dolor de peccatis aſſumptus propter Deum, vt docet Sanctus Thomas. Vnde impoſſibile eſt, contritionem alicuius eſſe præfinitam à Deo, niſi ſuppoſita præuiſione peccati. Et hac ratione in Chriſto Domino non fuit, nec eſſe potuit pœnitentia ſecundùm actum, nec ſecundùm habitum: quia nullum potuit in eo eſſe proprium peccatum. Hæc autem ratio non procedit in prædefinitione paſſionis martyrum, eo quòd malitia Tyrannorum non includitur, tanquam obiectum, vel materia circa quam in ratione intrinſeca paſſionis martyrum, vnde non eſt ſimile.

Ad octauum reſpondetur, Caluinum ex eo in fide Catholica erraſſe, & propterea in Concilio Tridentino damnatum fuiſſe, quoniam **cenſuit decretum abſolutum voluntatis diuinæ,** ſecundùm quod eſt prædeterminans, & ſuo nutu regens omnes actiones humanas cum libertate arbitrij cohærere non poſſe. Sed non propterea negandum eſt, quod veriſſimum eſt, nempe Deum ſuo arbitrio omnia bona diſponere, & ea ſuo imperio, nutúque regere, vt nihil boni, niſi ex eius voluntate, & præordinatione accidat, &c. quoniam, vt ſupra dictum eſt, hæc vera, quæ in ſacris literis, & Patribus ſuperiùs inductis habentur expreſsa, inter ſuos errores Caluinus inſeruit. Sicut neque è contrario errores hæreticorum ſunt recipiendi, quia veri- XXV.

tas, quæ illis inſerta eſt, non negatur. Impugnandus ergo ab omnibus catholicis eſt Caluinus,& tanquam hæreticus reiiciendus,quoniam aſſeruit Deum ſuo nutu, & voluntate deſtinaſſe,& operari in nobis opera mala,ita vt bona:& quia ex abſolutis decretis volũtatis diuinæ præordinantis omnia bona, quæ fiunt in tempore, per fallacem conſequentiam intulit, hominem nullam prorſus in ſuis actionibus arbitrij libertatem habere,vt *diſp.22.de Auxiliis num.3.& diſp.92.nu.13.*dictum eſt.

Aliæ obiectiones contra præmiſſa.

XXVI. *D. Maſcarenhas.* DOminus Maſcarenhas Algarbiorum Epiſcopus *in ſuo tractatu de Auxiliis diuinæ gratiæ diſput.2.parte 4.& ſequentibus*, inuehitur contra prædeterminationem, qua Deus ad modum cauſſæ phyſicæ, hoc eſt,verè efficienter facit, vt voluntas operetur actus bonos, etiam ſupernaturales; aitque Deum, neque decreto ſuæ voluntatis, neque motione aliqua præuenientis gratiæ prædeterminare voluntatem ad pias operationes. Quòd enim abſoluto, & efficaci decreto ſuæ voluntatis non eam prædeterminet, probare nititur *in 4.part.diſput.2.numer.18.& ſequentib.* Quòd autem neque motione præuenientis gratiæ eam poſſit prædeterminare, affirmat *in 3.part. diſput. 2.numer. 9.& ſequentibus.* Vbi minus conſideratè inquit, *quòd oppoſita ſententia,vt aduertit Robertus Bellarm. libr. 1.de grat. & lib. arbitr. cap. 12. aut eſt Caluini, & Lutheranorum error; aut parum ab illo diſtat.* Sed

Bellarm.

non

non aduertit S. Thomam expreſsè docuiſſe illam ſententiam *quæſt.22.de verit.art.8.* vt expreſsè fatetur idem Illuſtr.Cardinalis Bellarm.*lib.4. de gratia, & lib. arb. cap.* 11. §. *Tertiò eſt.* vbi ſic ait: *Tertiò eſt obſeruandum, poſſe quatuor modis voluntatem à Deo inclinari ad aliquid appetendum, vel fugiendum. Primò efficienter, & phyſicè, immediatè illam mouendo, & determinando ad vnum. Nam ſi poteſt ipſa ſe determinare, cur non poſſit etiam Deus eam determinare? Secundò efficienter quidem, ſed mediante aliqua forma, quam imprimat in voluntate. Nam infundendo gratiam, & virtutes, per eas inclinat voluntatem ad bonas actiones. Et hos duos modos notauit S. Thom.in quæſt. 22. de verit. art. 8.* &c. Nec etiam conſiderauit, quòd idem Cardinalis Bellarm. *eodem libr.4. de liber. arbitr.cap.16.* iſtum duplicem modum mouendi voluntatem, quem ſtatuit S. Thom. approbat, & defendit, docens cum illis planè cohærere libertatem arbitrij. Sic enim ait in principio illius capitis: *Altera ratio conciliandi libertatem humanam cum cooperatione diuina, & fortaſſe etiam probabilior eſt iuxta ſententiam S. Thom. qui docet, cooperationem diuinam ita concurrere cum ſecundis cauſſis etiam liberis, vt non ſolùm eis dederit & conſeruet virtutes operatrices, ſed etiam eas moueat, & applicet ad opus, vt cognoſci poteſt ex 1. part. quæſt. 105. artic. 5. & libr. 3. contra gent. cap. 70. & in quæſt. 3. de potentia, articul. 7. quæ ſententia videtur valdè conſentanea, cum ſcriptura, quæ dicit; nos in Deo eſſe, viuere, & moueri, Actor. 17. tùm etiam rationi, & ordini quem habet prima cauſſa cum ſecundis.* Et ſtatim proponit argumentum potiſſimum

S. Thom.

ſimum contrà illam ſententiam, & illud ſoluit, affirmans *iuxta hanc Sancti Thomæ ſententiam rectè defendi liberum arbitrium.* Si hæc omnia D. Maſcarenhas aduertiſſet,non tam facilè ſententiam Thomiſtarum,quæ re vera eſt S. Thomæ, notaſſet. Hæc neceſſarium fuit aduertere, pro defenſione doctrinæ Sancti Thomæ, & Thomiſtarum, cuius veritas patebit amplius proponendo, & ſoluendo argumenta quibus ille conuincitur. *nu. 18. allegato.* Probat ergo, in actibus liberis ſiuè naturalibus, ſiue ſupernaturalibus,non prædeterminari voluntatem creatam ab extrinſeca Dei voluntate.

Primò. Nam aliàs talis prædeterminatio eſſet neceſſaria in productione actuum naturalium, tàm malorum, quàm bonorum, quod tamen aſſerere impium eſt:quia non poteſt Deus voluntatem creatam imperio ſuo prædeterminare,& impellere ad actum peccati,quin ſit verè auctor,& propria eius cauſſa.

Secundò. Nam ex phyſica prædeterminatione per gratiam excitantem,aut per aliquid aliud voluntati inhærens tollitur de medio auxilium ſufficiens, & libertatis vſus impeditur. Ergo etiam tollitur per extrinſecam voluntatis Dei prædeterminationem. Ergo talis prædeterminatio non eſt admittenda.

Tertiò.Si Deus vellet,vt poteſt, voluntatem creatam ad aliquem actum neceſſitare abſoluta neceſſitate, ita vt operetur illum abſque vſu libertatis,non aliter id faceret, quàm ſuo decreto abſoluto, vel inhærente motione eam prædeterminando, vt produceret talem actum. Ergo

talis

Digitized by Google

talis prædeterminatio impedit vſum libertatis. Probat antecedens, nam duobus tantùm modis poteſt voluntas neceſſitari. Vno, quando propoſito ſufficienter obiecto, ex vi illiùs, & ex intrinſeca voluntatis inclinatione oritur neceſſitas talis actus, quo pacto beatus neceſſariò Deum amat, eóque fruitur: altero, quando voluntas ita applicatur, & determinatur ad agendum, vt nequeat reſiſtere, neque actum ſuſpendere.

Confirmat hoc primò. Cùm voluntas ita ad agendum applicatur vt nequeat applicanti reſiſtere, tunc quidem verè determinatur, & neceſſitatur: ſi reſiſtere poteſt, quemadmodum non neceſſitatur; ita nec prædeterminatur.

Confirmat ſecundò. Nam oppoſitæ ſententiæ auctores expreſsè dicunt, poſita gratia efficaci, per quam Deus voluntatem ad agendum determinat, non poſſe voluntatem non agere in *ſenſu* compoſito, hoc eſt, gratia ſuppoſita, quod intelligi nullo modo poteſt abſque neceſſitate. Ergo non modò neceſſaria non eſt phyſica prædeterminatio ex voluntate Dei extrinſeca, ſed neque vtilis, & congrua, imò potiùs noxia. Siquidem ea poſita neceſſariò tollitur vſus libertatis, quod Lutherus, Caluinus, aliique hæretici intellexerunt, poſita gratia prædeterminante. Vnde Lutherus apud Roffenſem ait: *Homo multa ſolet proponere coactus Dei prouidentiâ*: Et iterum; *Non ſicut nos, ſed ſicut ille vult, ita viuimus, facimus, &c.* Et idem Caluinus apud Bellarm. *lib. 1. de grat. & lib. arb. c.* 11. *Mouet gratia, non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum,*

ditum, vt noſtra poſtea ſit electionis, motioni, aut obtemperare, aut refragari, ſed illam efficaciter efficiendo,&c.

XXVII. Quartò. Quia S. Aug. cùm ſæpiſſimè ſignificare voluerit, quæ, & quanta eſſet virtus gratiæ efficacis, nunquam vſus eſt verbo determinãdi, vel prædeterminandi voluntatem, nec talem prædeterminationem tribuit gratiæ, ſed totum influxum in actibus ad ſalutem pertinentibus ſola excitante, & adiuuante gratia docet contineri, vt patet *in Enchirid. cap.* 32. vbi ait: *Totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Similiter etiam S. Thomas qui egregiè explicauit quicquid in qualibet materia ſenſit, nunquam vſurpauit verbum *determinandi*, quia nullum in medium affertur teſtimonium, in quo talem determinationem, vel prædeterminationem admittat.

Idem par. 6. n. 1. & ſeq.

Quintò, Vocat in fauorem ſuæ ſententiæ multos Sanctos Patres, inter quos eſt Clem. Rom. *epiſ.* 3. vbi ſic ait: *Si aliquid eſſet, quod audientes fidem, vel ad credendum, vel ad non credendum determinaret præter eorum arbitrium, tolli meritum, & libertatem.* Sanctus Dionyſius Areopagità, *cap. 4. de diuinis nominibus, & cap. 9. de Cœleſti Hierarchia*, Iuſtin. Martyr, *quæſt. 8. ad Orthodoxos.* Irenæus *lib. 4. cont. hereſes cap. 71. & 76. & libr. 5. cap.* 1. Origen. *ſuper capite 9. ad Romanos.* Et *libro 2. de principiis ca. 9. & 12.* Arnobius *ſupr. Pſal.* 50. Hilarius Pictauienſ. *in Pſalm.* 2. Gregorius Nyſſenus, ſiue Nemeſſius *lib. 8. de Philoſophia cap.* 8. Chryſoſtom. *hom. 11. in Ioan. & hom. 4. de laudibus Pauli,*

Clem. Rom. Idem par. 6. n. 3. & ſeq. Iuſtinus. Irenæus. Arnobius. Hilarius. Greg. Nyſſ. Chryſoſt.

Digitized by Google

Pauli, & hom. 2. *&* 22. *in Geneſ.* Hieron. *epiſt.* 146. *ad Damaſum, & epiſt. ad Cteſiphontem.* Cyrillus Alexandrin. *libr.* 8. *cont. Iulian. ad finem.* Proſper Aquitanicus *libr.* 1. *de vocat. gentium cap.* 9. *& in reſponſionibus ad obiecta Gallorum, cap.* 7. Gregor. Magn. *lib.* 6. *moral. cap.* 11. Ioan. Damaſc. *lib.* 2. *fidei Orthodoxa cap.* 19. Oecumenius *ſup.* 2. *Epiſt. ad Timotheum.* Anſelmus *libro de concord. prædeſtinationis, & lib. arbitr. cap.* 1. & alij, quos moleſtum eſt recenſere. *Hieron. Cyrillus. Proſper. Gregor. Magnus. Ioan. Dam. Anſelmus.*

Ex quibus tale deſumit argumentum. Hi omnes Patres libertatem humanorum actuum ſemper docuerunt, neque ab eis quidquam traditum fuit, vel admiſſum, quod aliqua ex parte voluntatis indifferentiam infringere, aut lædere videretur. Ergo conſequenter videntur phyſicam negaſſe prædeterminationem, quæ cum indifferentia intrinſeca voluntatis cohærere non poteſt. XXVIII.

Sextò argumentatur auctoritate aliorum Patrum, qui ſentiunt, non propterea actus liberos eſſe futuros, quia Deus præſciuit tales actus eſſe futuros: ſed è contra, ideo Deum præſcire tales actus liberos eſſe futuros, quia futuri ſunt per liberum arbitrium. Et pro hac ſententia adducitur Iuſtinus, Origen. Chryſoſtomus, Hieronym. & alij, qui aſſerunt cognitionem Dei non eſſe cauſſam rerum futurarum, quod etiam probat. Quia ſicut non propterea ſedet Socrates; quia ego ipſum ſedere video: ita non propterea eſt peccaturus; quia Deus præſciuit ipſum peccaturum, quaſi Dei præſcientia fuerit vera cauſſa, cur in peccatum ſit lapſurus. *Iuſtinus. Origen. Chryſoſt. Hieron.*

Sed

Digitized by Google

Sed de aliis actibus liberis eadem eſt, quæ de peccato ratio. Nam vterque actus debet eſſe liber. Ergo.

Septimò, & vltimò adducit pro ſua ſententia quadraginta & octo Doctores Scholaſticos, eos in quatuor claſſes diuidendo, quorum teſtimonia ſunt inferius adducenda. In prima, inquit, erunt illi, qui propterea abſolutas actuum liberorum prædefinitiones negarunt, quòd exiſtimarent non poſſe cum illis cohærere arbitrij libertatem. In ſecũda alij Doctores extra ſcholam D. Tho. qui vel expreſsè phyſicam voluntatis prædeterminationem excludunt, vel nõ obſcurè indicant eſſe excludendam. In tertia diſcipuli D. Thomæ, qui eius ſententiæ putantur fauere. In quarta, qui diſputarunt contra hæreticos noſtri temporis, & probarunt humanam libertatem propter diuinæ gratiæ efficaciam nihil lædi.

Par. 7. pagin. 221. Ex quibus omnibus colligit, eos omnes auctores, qui voluntatem noſtram in operibus pietatis, & ad iuſtificationem pertinentibus liberam, & indifferentem ad operandum, & non operandum relinquunt, neceſſariò negare phycam eiuſdem voluntatis prædeterminationem, tàm prouenientem ex abſoluto, & efficaci decreto voluntatis diuinæ, quàm ex præuia motione actualis auxilij diuinæ gratiæ. Quia nullo modo cõcipi poteſt, quòd quis cauſſam aliquam ad agendum phyſicè prædeterminet, & nihilominus ipſam ad agendum, & non agendum indifferentem relinquat. Qui ergo aliter ſentit, neceſſe eſt alterum ex duobus non percipiat, aut

Digitized by Google

aut quid indifferentia, & libertas ſit; aut quid ſit phyſica prædeterminatio.

XXIX.

Hæc argumenta, quæ contra Thomiſtas obiiciuntur, procedunt ex mala intelligentia, & explicatione neceſſitatis in ſenſu compoſito, & diuiſo, nec penetratur quænam indifferentia ſit de intrinſeca ratione libertatis; & quia diminutè nimis, & abſque debitis terminis refertur ſententia, quam Auctor impugnare intendit. Nam qui hæc obiicit, ſub his terminis refert ſent. Thomiſtarum: *Nonnulli de ſchola D. Thomæ aiunt, efficacem gratiam eſſe qualitatem excitanti ſuperadditam, quæ ita voluntatem phyſicè prædeterminet ad conſenſum, vt nequeat non conſentire, quamuis liberè conſentiat. Alij dicunt eſſe motionem quandam (de genere ne qualitatis, an actionis, non curant, nec oportet curare) inter excitantem gratiam, & conſenſum mediam, ſine qua conſentire nequeat voluntas.* Et *part. 1. diſputation. 3. numer. 5. pag. 227.* explicans differentiam inter moralem determinationem, & phyſicam ait: *Obſeruandum eſt primò, moralẽ determinationem hoc differre à phyſica, quòd illa in homine moraliter ab aliquid determinato relinquit veram, & realem potentiam ad oppoſitum; ac proinde qui hoc modo determinatur, poteſt ſimpliciter determinationi reſiſtere: at determinatio phyſica ad aliquem actum vel obiectum ſtare nequit cum potentia ad oppoſitum; quod patet in voluntate, quæ cùm ſit ex ſua natura generaliter ad bonum determinata, non poteſt vllo modo ferri in malum, quatenus malum. Item quia lapis per ſuã grauitatẽ determinatus eſt ad deſcenſum, fieri nequit vt in ſublimi poſitus, & abſque*

Thomiſtarũ ſententia nõ bene refertur.

vllo extrinſeco impedimento ſibi relictus non deſcendat. Et *part.5. diſputat. 2. numer. 7. pag.* 186. vt probet iuxta ſententiam Sancti Auguſtini nullam gratiam præuenientem phyſicè prædeterminare voluntatem, ſupponit cum phyſica prædeterminatione non poſſe ſtare voluntatis indifferentiam, & libertatem ad alterutram partem contradictionis. Siquidem aduerſarij *fatentur & tuentur, poſita ea qualitate, ſeu motione, quæ eſt gratia efficax, voluntatem non poſſe illi reſiſtere in ſenſu compoſito, id eſt. ſuppoſito, quod in animo hominis ſit.* In quibus verbis multa tribuuntur Thomiſtis, quæ ſunt ab eorum mente omnino aliena. Non enim aſſerunt, quòd cum motione phyſica, ſeu ad modum cauſſæ phyſicæ prædeterminante non remaneat ſimul in voluntate vera facultas, qua poſſit ſi velit non operari actum illum, ad quem prædeterminatur. Neque aliquis Catholicus id poteſt docere, cùm expreſsè repugnet definitioni Sacr. Conc. Trid. *ſeſſ. 6. de Iuſtific. can.* 4. Vbi anathematizatur, qui dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, non poſſe diſſentire, ſi velit. Quod ergo dicimus eſt, quod cum auxilio efficaci phyſicè prædeterminante liberum arbitriũ ad conſenſum ſtat ſimul in eodem arbitrio vera facultas, qua poteſt diſſentire ſi velit, vt diximus *diſputat.* 94. *de Auxiliis*, & alibi ſæpè: non tamen eſt compoſſibilis cum eodem auxilio actualis diſſenſus. Nam Deus eodem auxilio præuenientis gratiæ efficit verè efficienter, quod cùm ex innata ſibi libertate poſſit diſſentire ſi velit, non tamen diſſentiat, ſed liberè, &

Thomiſtarũ ſentẽtia circa efficacem gratiã aperitur & diſputatur.

Diſp. 18. *de Auxiliis nu.* 23. *d.* 115. *n.* 10. *& d.* 116. *n.* 15.

& infallibiliter conſentiat.

Cùm autẽ dicunt Thomiſtæ, liberum arbitrium decreto Dei extrinſeco, vel efficaci motione præuenientis gratiæ prædeterminatum à Deo ad conſenſum non poſſe in ſenſu compoſito diſſentire, ſi velit, nõ ſignificatur, quod dum eſt in libero arbitrio motio illa prædeterminans, tunc non poſſit diſſentire: ablata verò motione diſſentire poſſit, ſicut arguẽs tribuit Thomiſtis. Sed ſolùm dicunt, quod quandiu eſt in libero arbitrio motio illa prædeterminans ad conſenſum, infallibiliter cõſentiet ſeruata eidem arbitrio libera facultate, qua abſolutè loquẽdo poſſit diſſentire, ſi velit, vt in diſputationibus prærallegatis pluries dictum eſt. Nec etiam aſſerunt Thomiſtæ, quòd ſine gratia prædeterminante, non poſſit voluntas conſentire, ſed ſolùm docent, quòd ſine gratia, vel motione prædeterminante nunquam de facto conſentiet. Nam per gratiam, vel motionem ſufficientem re vera poteſt conſentire, ſi velit, vt *diſp.79. de Auxiliis num.*3. *&* 4. oſtenſum eſt. XXX.

Quia verò hoc eodem capite, & *diſput.* 22. 23. *&* 24. *de Auxiliis* oſtendi iuxta ſententiam Sancti Auguſtin. S. Thomæ, & aliorum Patrum, Deum abſoluto, & æterno decreto ſuæ voluntatis, atque in tempore, præuio auxilio efficaci prædeterminare verè efficienter, ſiue ad modum cauſſæ phyſicę omnes cauſſas ſecundas, tam naturales, quàm liberas ad ſuas operationes, ſalua earum natura, & libertate, non oportet id iterum probare. Solùm ergo eſt occurrendum obiectionibus propoſitis.

Digitized by Google

Ad primum argumentum fatemur, decretum illud Dei extrinſecè prædeterminans, & motionem præuiam eſſe neceſſariam ad omnes actus, etiam peccaminoſos, in quantum actus, & entia ſunt: ex hoc tamen non ſequitur, quòd Deus prædeterminet, vel impellat voluntatem ad peccatum, vt *cap.* 1. *n.* 29. *& diſp.* 18. *de Auxiliis n.* 21. *&* 22. *&* 1. 2. *diſputat.* 167. *n.* 17. *&* 20. oſtenſum eſt.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd nec per motionem phyſicè prædeterminantem voluntatem & actum liberum, neque per abſolutum decretum, per quod Deus prædeterminauit, quòd voluntas hîc, & nûc talem actum producat, tollitur de medio auxilium ſufficiens; quia talis motio, & decretum Dei prædeterminans, non eſt neceſſarium, vt voluntas poſſit verè, & propriè operari talem actum, ſi velit: ſed ſolùm requiritur, vt actualiter, & in exercitio talem actum operetur. Vnde ille, qui non recipit motionem Dei prædeterminantem, habet nihilominus auxilium ſufficiens, quo poſſit talem actum operari, ſi velit, vt *diſp.* 18. *de Auxiliis n.* 20. *& diſp.* 23. *n.* 32. *& diſp.* 7. *n.* 3. *&* 4. oſtenſum eſt. Nec etiam per talem prædeterminationem tollitur, vel impeditur actualis vſus libertatis, ſed potius perficitur, & cauſſatur in exercitio. Etenim, ſi Deus decreto abſoluto ſuæ voluntatis, & motione prædeterminante facit verè efficienter & efficaciter, vt voluntas ſe liberè determinet, atque de potentia, ſeu de actu primo exeat in actum ſecundum liberum, quomodo impedit vſum libertatis, cùm potius per tale decretum

Gratia efficax prædeterminans vſum libertatis non impedit, ſed perficit.

cretum, & motionem ſit cauſſa, quòd voluntas creata habeat actualem vſum libertatis, vt *diſp.* 22. *de Auxiliis n.* 35. *& diſp.* 23. oſtenſum eſt.

Hæc ſolutio lucidior apparebit, ſi ſemel intelligatur, quid nomine decreti diuini, & motionis phyſicæ prædeterminantis ſignificet, non faciendo vim in nomine prædeterminationis phyſicæ, ſed in re, quæ per hoc nomen aptè ſignificatur. Per illud ergo decretum, & motionem efficacem ſolùm deſignatur, quòd Deus ſua voluntate abſoluta antecedenter ad liberam cooperationem noſtri arbitrij futuram ex hypotheſi, & à Deo præcognitam per ſcientiam mediam decreuit, vt voluntas creata operetur talem actum; & per idem decretum, & motionem actualem, qua liberum arbitrium mouet ad operandum, eſt vera cauſſa efficiens, quòd voluntas creata ſe liberè determinet, & concurrat cum Deo ad talem actum liberum producendum. Hoc ergo modo nos dicimus, Deum eſſe verè cauſſam efficientem, vt voluntas creata ſe liberè determinet. Arguens verò id negat, & ſolùm fatetur, quòd Deus tantùm eſt cauſſa moralis, & per gratiam præuenientem ſolùm determinat moraliter voluntatem ad talem actum, eam excitandò, alliciendo, & ſuadendo interius, & ſimul concurrendo efficienter cum eadem voluntate ad productionem actus liberi, ſuppoſita præſcientia media determinationis creatæ voluntatis futuræ ex hypotheſi: Thomiſtæ verò cenſent, quòd & moraliter, & verè efficienter, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ eam prædeterminat, quia nimirum efficit, vt ipſa

Prædeterminationis phyſicæ, & moralis nomine, quid ſignificetur.

voluntas per iudicium rationis, in quo radicatur,& fundatur eius libertas,ſe liberè determinet,quod eſt eam prædeterminare,non quidem prioritate temporis, ſed prioritate dumtaxat rationis,& cauſſalitatis. Hoc ergo ſignificant, & nihil aliud nomina *phyſicæ prædeterminationis.* Si ergo in re ipſa, quæ hoc nomine ſignificatur, conueniamus,nulla in hac quæſtione cõtrouerſia relinquetur,nam cùm de re conſtat, non eſt de nomine litigandum, non enim eſt quæſtio de nominibus,ſed de rebus magni momenti.

XXXIII. Qua propter nos vim aliquam non faceremus in verbo *prædeterminationis phyſicæ*,niſi neceſſitas ad id compelleret, vt præcluderetur via omnibus æquiuocationibus, & diſtinctionibus,quibus auctores aduerſæ concordiæ ſuam explicare videntur ſententiam, & verbis apparenter cum noſtra conuenire; cùm tamen in re ſit maxima differentia,& in re grauiſſima.Si nos dicimus auxilium efficax præuenientis gratiæ operari per modum agentis;illi dicunt, morale ſimiliter operari per modum agentis. Si nos dicimus gratiam efficacem infallibiliter aſſequi ſuum effectum in hominis voluntate; idem aſſerunt. Si nos defendimus gratiam Dei ſufficienter diuidi in excitantem, & adiuuantem, vel in gratiam ſufficientem, & efficacem;conſentiunt pariter & ipſi. Si fatemur gratiam ſufficiẽtem eſſe illam,quæ tribuit poſſe bene operari, gratiam verò efficacem eſſe illam, quæ tribuit actualiter bene operari; fatentur & ipſi. Si dicimus,Deum per auxiliũ efficax præuenientis gratiæ facere, vt faciamus,& operari, vt operemur;

Digitized by Google

mur; idem dicunt & ipſi. Si prædicamus auxilium efficax prouenire ex intentione Dei efficaci, & propoſito conuertendi hominem, atque ex ſolo eius beneplacito; prædicant & illi. Si nos dicimus gratiam efficacem eſſe aptam, & congruam, vt per illam moueatur liberum arbitrium ad piè operandum; id ipſum & illi profitentur, ac demum ferè in omnibus verba Sanctorum Auguſtini, & Thomæ, ac diſcipulorum vtriuſque ſanare videntur: cùm tamen in re ſit maxima differentia. Nam illi omnes prædictas propoſitiones concedunt, præſuppoſita ſcientia media, qua Deus ante omne liberum decretum ſuæ voluntatis certò cognoſcit, quid liberum hominis arbitrium pro ſua innata libertate eſſet in particulari operaturum ex hypotheſi, quòd tali gratia in talibus circunſtantiis excitaretur, & moueretur: quam tamen ſcientiam, vt antecedit prædictum decretum voluntatis diuinæ, Thomiſtæ non admittunt, ſed dicunt, quòd liberum decretum voluntatis diuinæ prędefinientis actus liberos futuros, etiam ex hypotheſi, debet præcedere in ſigno rationis præſcientiam cuiuſcunque actus liberi futuri, etiam ex hypotheſi, vt ex dictis *c. 1. præcedentis libri, & diſput. 7. & ſequentibus de Auxiliis* conſtat. Item etiam illi renuunt concedere, quòd Deus per auxilium efficax præuenientis gratiæ, qua præueniens eſt, ſit vera cauſſa efficiens, quòd liberum arbitrium ſe determinet ad piam operationem, & concurrat cum Deo ad illam actualiter producendam, & ſolùm fatentur, quod ſit cauſſa moralis: Nos autẽ dicimus, & eſſe cauſſam

V 4 moralem,

Digitized by Google

moralem, & phyſicam, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ, quòd voluntas ſe determinet, & concurrat cum Deo mouente per gratiam, & hanc eſſe Sancti Auguſtini,& Thomæ ſententiam,vt *diſp.*30.*&* 86.*de Auxiliis* oſtenſum eſt. Illi ſentiunt non eſſe duplicem gratiam præueniëtem, alteram excitantem, alteram adiuuantem, ſed eamdem gratiam excitantem, accedente determinatione, & conſenſu liberi arbitrij fieri adiuuantem:Nos autem putamus gratiam adiuuantem,in quantum eſt adiuuans,etiam eſſe præuenientem determinationem liberi arbitrij ordine rationis,ita,vt illa cauſſalis ſit vera,quia liberum arbitrium adiuuatur à Deo per gratiam; ideo vult conuerti,piè operari,& operatur:iſtam verò cauſſalem eſſe falſam, quia liberum arbitrium vult conuerti, & piè operari, ideò adiuuatur, vt *diſp.*82. *&* 99.*de Auxiliis* oſtenſum eſt. Illi explicant gratiæ congruitatem, eamque dicunt eſſe quandam proportionem,& accommodationem inter eamdem gratiam, & voluntatem ſic affectá, vt infallibiliter ſequatur cooperatio. Nam peccatoris voluntas, tum propter circunſtantias loci,ac temporis,tum propter natiuam corporis complexionem,tum propter aliquos triſtitiæ, vel alterius paſſionis affectus ex aliqua occaſione natos, tum demum propter cauſſas alias ſic aliquando affecta eſt, ac diſpoſita,vt talis mentis illuſtratio, taliſque inſpiratio (nimirum cogitatio de gehenna, & timor æternorum cruciatuum in tanta, vel tanta intenſione)animo concepta ad efficiendam infallibiliter conuerſionem ſint illi debitè proportionata.

Gratiæ efficacis congruitas, qualiter à quibuſdam explicetur.

Sic

Sic explicat cõgruitatem efficacis gratiæ D. Maſcarenhas *diſputa.3.part.4.n.4.pag.* 259. Nos autem dicimus, præuenientem gratiam efficacem vt eſt inſtrumentum Dei abſolutè volentis hominem ad ſe conuertere, ſecum afferre illam congruitatem, ita nimirum, vt cuicumque conferatur, & in quibuſlibet circunſtantiis loci, & temporis, & in quacumque diſpoſitione ſubiecti, ſit infallibiliter habitura effectum intentum à Deo, vt *diſp.*83.*de Auxiliis* oſtenſum eſt. *Gratiæ congruitas vnde prouenіat.*

XXXIV. Vt ergo omnes prædictæ æquiuocationes, & ſubterfugia præcluderentur, & vnico verbo, quod ſtrictiſſimè rem explicat, ſcientiam ſuam declararẽt Thomiſtæ, coacti ſunt nomine *phyſicæ prædeterminationis* vti, ne illorum ſententia in alienum ſenſum detorqueretur. Non enim eſt nouum in Eccleſia, nouis difficultatibus ſubortis, noua nomina inuenire, quibus non noua dogmata, ſed antiqua nouè ſignificarentur. Vnde Apoſtolus ſcribens ad Timotheum, *profanas,* inquit, *vocum nouitates deuita.* Nõ, ait, vocum nouitates; ſed profanas vocum nouitates deuita; illas videlicet, quæ non ad explicandam rem antiquam; ſed nouam doctrinam Patribus ignoratam excogitantur. Cùm enim ad explicandam rem antiquam noua nomina inueniuntur, res fit clarior. Vnde Vincentius Lirinenſis: *Intelligatur,* inquit, *te exponente illuſtrius, quod antea obſcurum credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur: tamen, quæ didiciſti, doce, vt cùm dicas nouè, non dicas noua.* *1. Timot.6.* *Vincentius Lirinenſis lib. contra profanas hæreſum falſitates ca.27.*

Accedit, quòd nomen *prædeterminationis phyſicæ*

Digitized by Google

ſicæ non eſt nouum in Eccleſia, ſed frequenter à Sancto Thoma,& antiquis Patribus in hac eadem materia, & ſignificatione, de qua nunc agitur, vſurpatum, vt pluribus eorum teſtimoniis probaui *diſput. 22. & 23. de Auxiliis*. Vnde non eſt, cur Theologus nomen *prædeterminationis phyſicæ* reiiciat in ſenſu ſuperiùs explicato.

Ad tertium negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quòd ſi Deus vellet, vt poteſt, voluntatem creatam neceſſitare, vt operetur abſque vſu libertatis, id poſſet efficere, eam determinando ad vnum abſque iudicio rationis indifferenti: ita nimirum, vt abſolutè loquendo nõ poſſit ab actu ceſſare, aut in actum contrarium prorumpere; & hoc modo neceſſitatur in patria ad amandum Deum clarè viſum. Hoc autem modo non neceſſitatur in via per decretum Dei extrinſecum,vel motionem, qua prædeterminatur ad piam operationem,nam per illam Deus efficit, vt voluntas medio iudicio rationis indifferenti ſe liberè determinet ad operandum,& operetur actus bonos à Deo prædefinitos: Implicat enim contradictionem, quòd per huiuſmodi iudicium rationis indifferens, voluntas ſe determinet ad aliquem actum, & quòd talis actus non ſit liber in exercitio, vt *in lib.4.* manifeſtum fiet.

Ad primam confirmationem reſpondetur,ex eo quòd voluntas creata reſiſtere non poſſit abſoluto decreto Dei prædeterminantis eam, & applicantis ad piam operationem,potius inferri, quòd illa operatio voluntatis contingenter fiat,

& li

Digitized by Google

& liberè,quia Deus voluit,& decreuit,vt liberè fiat, iuxta modum eidem voluntati congruentem.Solutio eſt S.Tho.1.2.*q.*10.*ar.*4. Vbi idem prorſus argumentum proponit in terminis in capite articuli, & reſpondet *Ad primum dicendo, quòd voluntas diuina non ſolùm ſe extendit, vt aliquid fiat per rem, quam mouet: ſed vt etiam eo modo fiat,quo congruit naturæ ipſius. Et ideo magis repugnaret diuinæ motioni,ſi voluntas ex neceſſitate moueretur, quod ſuæ naturæ non competit, quàm ſi moueretur liberè,prout competit ſuæ naturæ.*

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quod procedit ex ignorantia dialecticę,& praua intelligentia neceſſitatis in ſenſu compoſito, & diuiſo,vt *diſp.*94.*de Auxiliis* obſeruaui: Nam ſenſus compoſitus non eſt ille,qui in argumento inſinuatur, videlicet quando gratia efficax eſt in voluntate,ac ſi diceretur, quòd toto tempore quo motio efficax eſt in voluntate,nō poſſit voluntas non agere actum illum, ad quem determinatur,ablata verò motione, poſſit non agere:Hic enim ſenſus confictus fuit à Caluino, qui libertatem arbitrij abnegauit. Cuius ſenſum *diſp.*91.*&* 94.*de Auxiliis* impugnaui. Quando ergo S. Tho. vel eius diſcipuli dicunt, liberum hominis arbitrium motum à Deo auxilio efficaci non poſſe in ſenſu compoſito diſſentire, aut non operari;nihil aliud ſignificatur, quàm motionem illam efficacem, & actualem diſſenſum non poſſe ſimul poni in eōdem arbitrio, qui ſenſus eſt verus, vt in diſputationibus præallegatis oſtenſum eſt.Et per hæc ruunt omnia,quæ afferuntur ex Caluino, cuius error detectus eſt,

& impu

Digitized by Google

& impugnatus *diſp. 22. de Auxiliis n. 3. & 31. & diſputatione 92. nu. 13.*

Soluitur quartum argumentum ex auctoritatibus Sancti Auguſt. & Thomæ deſumptum & oſtenditur, duplicem eſſe gratiam præuenientem, aliam excitantem, aliam adiuuantem.

Ad S. Auguſtinum. AD quartum argumentum, quòd attinet ad ſententiam, & ſenſum legitimum S. Auguſtini circa efficaciam gratiæ, & decreti abſoluti voluntatis diuinæ prædeterminantis actus liberos; eos præſertim per quos prædeſtinati ad vitam æternam perducuntur, conſtat nihil eſſe clarius in eius ſententia, quàm talem prædeterminationem eſſe in Deo conſtituendam, vt patet ex apertiſſimis eius teſtimoniis *diſput. 22. de Auxiliis n. 16.* adductis & *diſp. 81. 86. 91.* & 100. Vbi etiam reſpondi aliis teſtimoniis eiuſdem Sancti Doctoris, quæ adducuntur pro contraria ſententia. Sed præſertim videndus eſt libro de gratia Chriſti: vbi ait: *Magnum profecto adiutorium diuinæ gratiæ, vt cor noſtrũ, quo voluerit Deus, ipſe declinet: declinare autem cor, eſt illud determinare, vt infallibiliter operetur, quod Deus voluerit.* Et *Obiectio.* cùm obiicitur, nam S. Auguſt. totum influxum gratiæ in actibus ad ſalutem pertinentibus ſola excitante, & adiuuante gratia docet contineri. Reſpondetur id quidem eſſe verum, ſi gratia adiuuans intelligatur, & explicetur in legitimo, & vero ſenſu à Sancto Auguſtino intento, videlicet

licet pro gratia adiuuante, qua Deus ad modum cauſſæ phyſicæ efficit, vt velimus; non autem pro gratia adiuuante qua Deus ſimul natura concurrit nobiſcum ad piam operationem: in priori enim ſenſu loquitur Auguſtinus de gratia adiuuante, cùm expreſsè doceat, quòd gratia adiuuans, & cooperans ſit præueniens, ac præmouens liberum arbitrium, & conſenſum, vt apertiſſimis teſtimoniis Sancti Doctoris oſtenſum eſt *diſp. 82. & 86. de Auxiliis*. Et nunc breuiter probatur; nam, vt oſtenſum eſt *diſp. 18. de Auxiliis*, concurſus Dei actualis, quo adiuuat cauſſas ſecundas ad operandum, eſt influxus immediatus in ipſas cauſſas ſecundas, & cum cauſſis in earum effectus: Ergo eſt præueniens, & non ſimultaneus dumtaxat. Arguens verò nomine *gratiæ adiuuantis* eam intelligit, quæ ſimultaneè concurrit nobiſcum ad piam operationem ſi volumus, neque admittit aliquã gratiam præuenientem, per quam Deus verè efficienter faciat nos velle hoc, vel illud, quia nullam agnoſcit præuenientem gratiam actualem, præter gratiam excitantem: *Nam eadem gratia excitans*, inquit ille, *cum libero arbitrio ad actum concurrens, eſt adiuuans*, quod latius probare nititur *part. 4. diſput. 1. pag. 64.* vbi ſic ait: *Statuo gratiam adiuuantem ab excitante re ipſa, & in genere entis non diſtingui, verùm vnam, & eandem diuinam voluntationem, quatenus Deus per illam præuenit voluntatem, ad bonúmque inclinat, dici excitantem: quatenus verò concurrit cum libero arbitrio ad conuerſionem dici adiuuantem, atque adeo ex diuerſo officio, varióque reſpectu ad actum conuerſionis, quem*

Deus

Deus voluntatem incitando procurat, & aliquando efficit, varias ſortiri appellationes.

XXXVII. Hæc autem ſententia nullatenus eſt admittenda, nam vt oſtenſum eſt *diſput.81. de Auxiliis num.* 8. & 9. & *diſput.* 72. & 82. gratia præueniens eſt duplex, altera excitans: altera verò adiuuans, quod etiam expreſsè fatentur Patres Conc. Colon. *in Enchiridio Chriſtianæ inſtitutionis tractatu de Sacramẽto pœnitentiæ fol.* 128. vbi ſic loquuntur: *Gratia præueniens plurimos habet gradus; & vt ſummatim dicamus, duplex eſt, vna quidem, qua Deus præuenit peccatorem, vt reſurgat: altera qua peccator ipſe præuenienti Deo aſſentiens, iam reſurgit: vtraque (ſcilicet gratia) voluntatem noſtram præuenit Deus: at priorem ſubminiſtrando ſolus operatur, in altera voluntas noſtra Deum præuenientem ſubſequens ei per velle, ſeu aſſenſum, remiſſionem peccatorum accipiendo cooperatur.* Et *pag.* 132. ſubdit: *Hanc autem gratiam iuſtificantem voluntas noſtra (vt ſupra diximus) comitatur, ac veluti pediſſequa ſubſequitur, non quidem tempore, ſed cauſſa tantùm, & natura.* Et paucis interiectis ſubdit: *Itaque velle pœnitere, velle reſipiſcere, velle accipere remiſſionem peccatorum; non eſt à ſola voluntate, ſed illud nobiſcum operatur Dominus, dum immutando maleuolam voluntatem, eam facit beneuolam, & ſuæ voluntati conſentientem. Vnde voluntatem quidem noſtram Deus immutat, & ſic operatur in nobis velle, ſed tamen quia voluntas inuita mutari nequit, Deo cooperatur, dum ei conſentit.* Idem, & eiſdem verbis confirmat M. Medina 1. 2. *quæſt.*111. *art.*2. §. *Hac doctrina*: Quam ſententiam Patres Concilij acceperunt à Sancto Augu

Patres Concilij Colonien. Gratia præueniens eſt duplex, alia excitans: altera verò adiuuans.

Auguſtino *epiſt.106. ad Bonifacium.* vbi ait: noſtram voluntatem in bonis operibus, & actionibus ad ſalutem pertinentibus ſemper eſſe *pediſſequam*, non præuiam diuinæ gratiæ. Quòd autem Patres eiuſdem Concilij intelligant, per gratiam adiuuantem, quæ ordine rationis, & cauſſalitatis præuenit liberum hominis conſenſum, Deum determinare humanam voluntatem ad piè operandum, ſalua eius libertate, conſtat ex *eodem Enchiridio pagin.* 141. vbi ait: *Deus ita præuidet, ac determinat contingentia, vt non tollat modum agendi naturæ indiutum, ſed determinet actiones, ſicut ſiunt.* Et obiicientibus, quòd per hanc præuiſionem, ac determinationem tollitur libertas, vt huic obiectioni ſatisfaciat, ſubiungit: *Reſpondeo, diſtinctione opus eſſe. Duplex enim eſt neceſſitas, abſoluta quam vocamus neceſſitatem conſequentis, veluti neceſſe eſt Deum eſſe, Deum vnum eſſe, hominem eſſe animal rationale, mortale, nam hæc aliter ſe habere nequaquam poſſunt. Alia eſt neceſſitas conſequentiæ, quæ neceſſariò euenire dicimus, non quæ ſua natura neceſſaria ſunt, ſed neceſſariò ſequuntur, propter præcedentes cauſſas.* Quibus verbis apertè docet, neceſſitatem conſequentiæ, ſiue illationis, quæ ſumitur ex efficacia decreti diuini, & præuenientis gratiæ adiuuantis non præiudicare libertati arbitrij, vel actui voluntatis, qui dicitur neceſſarius ſola neceſſitate conſequentiæ. *S.Auguſt.*

XXXVIII *Conciliū Patrichien.*

Præterea in quodam Concilio Petrichiæ celebrato in Regno Poloniæ anno Domini 1551. apertè oſtenditur gratiam actualem adiuuātem, præuenientem eſſe in momento iuſtificationis, quod

quod his verbis declarat: *Tepidus erat quis, ſed repentè viſitatus ſpiritu feruens efficitur; incipit ardere per deuotionem, fortiter ſe exercere in bono opere; in virum ergo alium mutatus eſt.* &c. Et paulò pòſt dicitur: Hanc gratiam eſſe præuiam ſemper, quia ea prior eſt, & Deus in his omnibus ſemper prior eſt.

Denique in Sacro Concilio Tridentino non obſcurè habetur, gratiam adiuuantem eſſe diſtinctam à gratia excitante, & vtramque eſſe præuenientem. Nam *ſeſſione 6. de iuſtificatione c. 5.* agens de iuſtificationis exordio, ait eſſe neceſ-
Concil. Trident. ſarium, *vt qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratia liberè aſſentiendo, & cooperando, diſponantur,*
Zach. 3. &c. *Vnde in ſacris literis, cùm dicunt: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: libertatis noſtræ ad-*
Thren. 5. *monemur. Cùm reſpondemus: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur.* Ecce docet Concilium, gratiam illam, qua Deus actualiter nos conuertit, eſſe præuenientem. Hæc autem gratia conuertens nos eſt gratia adiuuans. Nam ſola gratia excitans non conuertit peccatorem, neque concurrit verè efficienter, ſeu phyſicè ad actum liberum conuerſionis, vt arguens ſupponit, ſed ſolùm moraliter per modum ſuadentis, allicientis, & proponentis interius obiectum proſequendum. Nam, qui excitat alium, & ſuadet, vt currendo fugiat periculum aliquod, non eſt propriè cauſſa phyſica efficiens curſus illius, ſed ſolùm moralis, & metaphorica, vt expreſsè docet Sanctus Thom.

Digitized by Google

Thom. *quæſt.2.de malo, art.3. in corpore.* Præterea *cap.6.eiuſdem ſeſſionis* ſubditur: *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum.* Et *cap.13.*agens de perſeuerantiæ munere, ait: *Quòd hoc donum aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt eum, qui ſtat, ſtatuere, vt perſeueranter ſtet, & eum qui cadit, reſtituere.* Et *canon.3.eiuſdem ſeſſionis. Si quis dixerit, ſine præueniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, Anathema ſit.* Et *Canon.4. Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam, ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire ſi velit: ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere; merèque paſſiuè ſe habere; Anathema ſit.* In quibus verbis, & aliis præallegatis duo ſunt maximè ponderanda. Alterum eſt, quòd ſemper loquitur Sacrum Concilium de gratia excitante, & adiuuante, tanquam de duobus auxiliis præuenientis gratiæ, quod indicant illa verba, *per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam*, & illa, *à Deo motum, & excitatum*; aliàs enim, ſi eadem gratia excitans eſſet adiuuans, & efficienter, ac phyſicè produceret cum libero arbitrio piam operationem, ſuperfluè Concilium poſt gratiam excitantem addidiſſet, *atque adiuuantem*, quod tamen non eſt dicendum. Alterum eſt, quòd gratia adiuuans, quam di-

xerat eſſe præuenientem, eſt illa, qua Deus efficienter & efficaciter nos conuertit, & qua eum, qui ſtat, ſtatuit firmiter, vt perſeueranter ſtet; quod vtique facit præmouendo phyſicè, & applicando voluntatem ad piam operationem.

XXIX. *Gelaſius Papa.* Quæ omnia efficaciſſimè confirmantur auctoritate Gelaſij Papæ primi *epiſt.5. ad vniuerſos Epiſcopos per Picenum*, quam adduxi *diſp.82. de Auxiliis num.3.* vbi explicans illud: *Non autem ego, ſed gratia Dei mecum*, ait: *Quis autem audeat dicere Chriſtianus, aliquid habere boni ſine gratia? quando Magiſter gentium clamat, cuncta breuiter in ſe dona concludens: Gratia Dei ſum id, quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit: vt oſtenderet, quia donum gratiæ non ipſe præceſſerit, ſed fuerit ſubſequutus, atque monſtraret, cooperatorem ſe eſſe gratiæ ſubſequendo? Sed plus omnibus, inquit, illis laboraui. Ac rurſus veritus, ne de ſe præſumere videretur, adiunxit: Non ego, ſed gratia Dei mecum. Non dixit: Ego, & gratia Dei mecum, ſed præpoſuit gratiam præcedentem ſe, atque ſubiunxit: Quid autem haberi poſſit ſine gratia, cùm ſit fides ipſa per gratiam?* Ecce ait Summus Pontifex, Paulum Apoſtolum cooperatorem fuiſſe gratiæ ſubſequendo. Sentit ergo gratiam adiuuantem cooperari cum libero arbitrio, illud præueniendo, & mouendo, atque ad piam operationem applicando. Neceſſitas autem huius duplicis gratiæ, ex eo colligitur, nam homo eſt liberi arbitrij, & ex natura ſua indifferens ad vtrumlibet. Vnde, vt conformiter ad ſuam naturam producat pios actus liberos, indiget duplici

Digitized by Google

plici motione, altera ex parte obiecti: altera verò ex parte potentiæ. Ex parte quidē obiecti, & finis mouetur per gratiam excitantem, qua per modum ſuadentis proponitur illis per iudicium rationis indifferens obiectum conueniens, & allicitur, & inuitatur, vt proſequatur illud, & hoc competit illi, in quātum eſt agens liberum, quod moraliter mouetur. Nam agentia naturalia hac motione non indigent, eò quod per naturam ſunt ad vnum determinata. Ex parte verò potentiæ, quia indifferenter ſe habet ad vtrumlibet, oportet, quòd per motionē actualem primæ, & vniuerſaliſſimæ cauſſæ, moueatur, & determinetur ad alteram partem per modum perficientis, & hoc efficit Deus per gratiam adiuuantem, quando actus ſunt ordinis ſupernaturalis; aut verò per motionem præuiam naturalis ordinis, quia Deus reducit cauſſam ſecundam de potentia ad actum, & facit illam operari hoc, vel illud, iuxta modum ſuæ naturæ congruentem, vt *diſp.* 18. *&* 23. *de Auxiliis* oſtenſum eſt. Reliqua præſentem difficultatem concernentia, videri poterunt *diſp.* 81. *&* 82. *de Auxiliis.* Vbi argumenta ſententiæ aduerſæ propoſita ſunt, & ſoluta, & hæc, quod attinet ad ſententiam S. Auguſtini.

Quòd verò pertinet ad ſententiam S. Thomæ, auctor præallegatus inſtanter petit, vt proferamus locum, in quo vſus fuerit verbo, *determinandi*, vel *prædeterminandi* ad explicandam efficaciam præuenientis gratiæ, vel motionis diuinæ, qua mouet cauſſas ſecundas ad operandum, quaſi in Sancto Thoma nullum teſtimo- *Part. 7. diſp 2. n. 1. p. 209*

nium ad id probandum reperiri poſſet. Cùm tamen teſtimonia quamplurima, in quibus S. Doctor prædictam determinationem, & prædeterminationem agnoſcit, & defendit, vtens formalibus verbis, *prædefinitionis, determinationis, & prædeterminationis* fuerint à nobis adducta *diſp.*18.*de Auxiliis num.*7.*& ſequentibus, & diſput.* 22.*num.* 11.*& diſput.*23. *num.*20. ibi poterit, qui voluerit ea videre.

Soluitur quintum Argumentum ex Auctoritatibus Sanctorum Patrum deſumptum, & explicatur legitimus eorum ſenſus.

XL. AD quintum argumentum, quod ex auctoritate Sanctorum Patrum deſumitur, Reſpondetur, quòd nullus ex præallegatis Doctoribus ſanctis negat prædeterminationem humanorum actuum prouenientem ex abſoluto decreto voluntatis diuinæ, aut ex efficaci auxilio præuenientis gratiæ, neque dicunt aliquid, ex quo per euidentem, aut probabilem conſequentiam id deducatur, quin potius multi ex illis verbis formalibus, aut æquiualentibus conſtituunt in Deo prædeterminationem abſolutam omnium futurorum contingentium, quantum ad omnem entitatem, & bonitatem, quam habent, & à poſteriori id colligi poteſt. Nam, vt fatentur multi ex auctoribus ſententiæ contrariæ *cap.*1.*num.*24.allegati, Sācti antiqui, & Doctores Scholaſtici nullam agnouerunt ſcientiam mediam, quam eius defenſores conſtituunt in Deo antecedenter

ad

Digitized by Google

ad omne liberum decretum voluntatis eius, vt concordent libertatem arbitrij cum infallibilitate ſcientiæ, prouidentiæ, & prædeſtinationis diuinæ, & cum abſoluto decreto voluntatis eius, quo voluit tales actus liberos eſſe futuros: Signum ergo eſt, quòd admiſerunt in Deo decretum abſolutum, & efficax prædeterminans tales actus liberos futuros in tempore. Probatur conſequentia, nam decretum Dei abſolutum nullam præſupponens ſcientiam mediam cooperationis arbitrij futuræ ex hypotheſi eſt re vera decretum prædeterminans. Sed, vt hæc euidentius appareant, examinanda ſunt, & expendenda verba Sanctorum Patrum, quæ contra Dei prædeterminationem afferuntur.

XLI. *Clemens Romanus.*

In primo loco adducitur Clemens Romanus *epiſt.* 3. quam attentè legi, & perlegi, & in illa inuenire non potui verba illa formalia, quæ diuerſo charactere adducuntur ex illo, neque in tota illa epiſtola habetur verbum illud, *determinaret*. Solùm enim docet eo in loco, hominem eſſe liberi arbitrij. Sic enim ait circa medium epiſtolæ *pag.* 367. in impreſſione Coloniæ 1569. *Si quis ſanè audiens ſermonem veri Prophetæ, velit recipere, aut nolit, & amplecti onus eius (id eſt, mandata vitæ) habet in ſua poteſtate. Liberi enim ſumus arbitrij. Nam ſi hoc eſſet, vt videntes ea, iam non haberent in poteſtate aliud facere, quàm audierant, vis erat quædam naturæ, per quam liberum non eſſet, ad aliam migrare ſententiam. Aut ſi rurſus ex audientibus nullus omnino reciperet, & hoc naturæ vis erat, quæ vnum aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locum. Nunc autem quia liberum eſt animo* in

in quam velit partem declinare iudicium ſuum, & quam probauerit, eligere viam, conſtat euidenter, ineſſe hominibus arbitrij libertatem. Sed ex hoc antecedenti catholico malè intulerunt Pelagiani, adiutorium gratiæ ad opera pietatis neceſſarium non eſſe, ſicut è contrario ex neceſſitate adiutorij præuenientis gratiæ per malam conſequentiam intulerunt Lutherus, & Caluinus, non eſſe in homine liberum arbitrium, vt oſtenſum eſt *diſput.22. de Auxiliis numer.*30. Et *diſput.92. num.* 13. Sed dato, & non conceſſo, quòd in S. Clemente habeantur verba illa formalia, nihil ex illis contra noſtram ſententiam infertur: Nam loquitur expreſsè de determinatione, qua aliquis determinatur ad credendum, vel non credendum, præter eorum arbitrium, id eſt, abſque eo, quod in eodem inſtanti temporis, liberum arbitrium ſe determinet ad credendum, vel non credendum. Decretum autem Dei, & gratia efficax determinat quidem liberum arbitrium ad credendú, ſed non determinat illud abſque libera cooperatione,& concurſu eiuſdẽ arbitrij, cum adiutorio præuenientis gratiæ efficacis, quin potius per eamdem gratiam Deus efficit, vt noſtrum arbitrium ſe liberè determinet.

Ad locum adductum ex *lib. 3.Recognitionum* reſpondetur, quòd nullo modo fauet contrariæ ſententiæ, neque illam indicat, ſed potius noſtræ; Nam in *pag.53. eiuſdem lib.3.* cùm S.Petrus ſtatuiſſet aduerſus Simonem Magum, hominem eſſe liberi arbitrij, proponit quoddam argumentum Simonis magi, quo probare nitebatur

batur per decretum voluntatis diuinæ tolli arbitrij libertatem, & illud ſoluit: Subditur.n. ibi: *His ergo tu, ſi Deus vult aliquid eſſe, & eſt: & ſi non vult, non eſt, ſcilicet, vt ſi reſponderem, quia quod vult, & eſt: quod autem non vult, non eſt: diceres, ergo ipſe vult eſſe mala, quæ in hoc mundo geruntur: quia omne quod vult, hoc & eſt: quod autem non vult, non eſt: Si verò reſpondiſſem, non eſſe hoc, vt quod vult Deus, ſit: & quod non vult, non ſit, tum retorto ſermone diceres, ergo impoſſibilis eſt Deus, ſi quod vult, non poteſt: & exiſteres petulantior, vt qui nihil rectum dixeris, viciſſe te crederes.* Quo argumento probare nitebatur Simon Magus, quòd ſi Deus ſua voluntate eſſet cauſſa humanorum actuum; eſſet etiã cauſſa peccatorum, aut ſi non eſſet cauſſa, eſſet imbecillis. Cui tamẽ argumento ſtatim reſpondet S. Petrus in hæc verba: *Ignoras Simon, & valdè ignoras, quomodo in ſingulis quibuſcunque voluntas ſit Dei: quædam enim voluit, vt diximus, ita eſſe, vt aliud eſſe non poſſent, quàm id, quod ab ipſo inſtituta ſunt: Et his neque præmia, neque ſupplicia ſtatuit. Ea verò, quæ ita eſſe voluit, vt in ſua poteſtate habeant agere, quod velint: his, pro actibus ac voluntatibus ſuis ſtatuit, vt aut remunerationes mereantur, aut pœnas. Cùm ergo in duas, vt edocui, partes diuidantur cuncta, quæ mouentur ſecundùm eam, quam ſupra diximus, diſtinctionem, omne quod vult Deus, eſt: quod autem non vult, non eſt.* Quibus verbis S. Petrus apertè docet, decretum diuinæ voluntatis, quo voluit actus liberos eſſe futuros, & motionem, qua voluntatem mouet ad eoſdem actus ſimul ſtare cum eorum libertate.

Ad S. Dion. Dionyſius Areopagita apertiſſimis verbis docet, prædeterminationem diuinæ voluntatis *c. 5. de diuinis nominibus tit. de exemplarib.* cuius verba ſunt adducta *diſp. 22. de Auxiliis n. 10.* & in hoc cod. *c. n. 6* Neque in locis ſuperius allegatis dicit, neque inſinuat contrarium, ſed ſolùm ait, hominem eſſe liberi arbitrij, cui vis non infertur, nec imponitur neceſſitas, & loquitur de neceſſitate abſoluta, quæ repugnat libertati; non autem de neceſſitate conſequentiæ proueniente ex decreto diuino: cum qua optimè cohæret libertas noſtri arbitrij, & actualis vſus illius, vt *diſp. 22. de Auxiliis n. 40. & diſp. 25.* dictum eſt.

XLIII. Iuſtinus Martyr loco præallegato ſolùm ait:
Ad Iuſtini. *Non igitur cauſſa eſt Deus virtutis noſtræ, aut vitij, ſed propoſitum noſtrum, & voluntas.* Quæ verba intelligenda ſunt de cauſſa proxima eligente, & eliciente actum, in quo genere propoſitum noſtrum, & voluntas eſt cauſſa virtutis, ac vitij: ſed per hoc non excluditur operatio Dei, qui eſt prima cauſſa prædeterminans, & efficiens per liberum arbitrium omnes actus virtutis, & in quantum actus, & in quantum boni ſunt: & actus peccaminoſos, non quidem in quantum vitia, ſed in quantum actus, & entia ſunt, vt ex præmiſſis *lib. 1. c. 1. num. 29.* conſtat.

Ad Irenæi. Irenæus abſque fundamento allegatur pro ſententia oppoſita. Nam in *libro illo 4. contra hæreſes cap. 71.* explicans illud Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti?* ſolùm docet, voluntatem hominis eſſe liberam. Ait enim: *Sic veterem legem libertatis hominis manifeſtauit, quia liberum*

Digitized by Google

liberum eum Deus fecit ab initio, habentem ſuam poteſtatem, ſicut & ſuam animam ad vtendum ſententia Dei voluntariè, & nō coactum à Deo. Vis enim à Deo non fit. Et cùm in *lib.* 5. *c.* 1. ait, Deum reducere homines ad ſe, non vi, ſed ſuadela, non excludit efficax decretum diuinæ voluntatis, quo efficit, vt noſtrum arbitrium liberè conſentiat Deo ſuadenti, & cooperetur cum eo motionem illius ſubſequendo, vt ex ſupradictis conſtat: ſolúmque docere intendit, Deum non inferre vim voluntati, vel neceſſitatem abſolutam ad aliquem actum, ita vt abſolutè loquendo non poſſit aliter operari ſi velit, quòd veriſſimum eſt, neque ab vllo Catholico negatur. Et quòd hæc fuerit mens Irenæi, conſtat ex aliis locis, in quibus apertè fauet noſtræ ſententiæ. Nam *lib.* 2. *c.* 45. cuius formalia verba retuli *diſp.* 28. *de Auxiliis num.* 5. expreſsè docet, omnia eſſe præfinita, & præordinata à Deo, & diſpoſita, quantumcumque minima, & ſecūdùm numerum, & modum, & quantitatem, quòd apertè pugnat cum ſententia contraria. Et in principio capitis loquens contra illos, qui plus ſapere volentes, quàm oportet ſapere, negabant diuinam prouidentiam, vt liberum arbitrium ſtatuerent, ſic ait: *Melius eſt ergo, & vtilius idiotas, & parum ſcientes exiſtere, & per charitatem proximum fieri Deo, quàm putare multum ſcire, & multa expertos in ſuum Deum blaſphemos inueniri.* Et c. 76. ſic ait: *Non enim tu Deum facis, ſed Deus te facit. Si ergo opera Dei es, manum artificis tui expecta opportunè omnia facientem. Opportunè autem quantum ad te attinet, qui efficeris.* Item etiam idem *lib.* 2. *aduer-*

 ſus

Matth.10. *ſus hæreſes cap.45* explicans illud : *nam & duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus illorum non cadit in terram ſine Patre veſtro*, ait, *Paſſeres in tanto numero captos hodie, & in tanto pridem, aut cras, hoc ex diuina prouidentia euenire, & non ex argumento ſuperſtitioſo, quo homines ſeducuntur.* Et paulò inferius aſſerentes Deum non habere prouidentiam fluctuum maris, arenarum terræ, vel inquirentes rationẽ, quo pacto Deus omnibus iis prouideat, *ſtupidos, & inſanos* appellat.

XLIV. *Ad Orig.* Ad teſtimonia Origenis dicitur, in hac materia nullam eſſe de illo rationem habendam, propter ea, quæ notauit S. Tho. 3. *contra gent. c.* 89. Sic enim ait ibi S. Tho. *Quidam non intelligentes qualiter motũ voluntatis Deus in nobis cauſare poſſit, abſque præiudicio volũtatis libertatis, conati ſunt auctoritates illas*, Prou. 21. *Cor Regis in manu Domini, ſicut diuiſiones aquarum; quocumque voluerit, inclinabit illud.* Et Philip. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate, malè exponere, vt ſcilicet dicerent, quòd Deus cauſſat in nobis velle, & perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi : non autem ſic quòd faciat nos velle hoc, vel illud, ſicut Orig. exponit lib. 3. Periarchon, liberum arbitrium defendens contra auctoritates prædictas.* Vnde non mirum, quòd Origenes virtualiter neget cauſſalitatem phyſicam, qua Deus ſua efficaci voluntate, & præuia motione verè efficienter faciat nos velle hoc, vel illud, quòd eſt voluntatem noſtram determinare ad volendum hoc, vel illud in particulari.

(Margin: Prou. 22. Philip. 2.)

Arnobij ſententia expenditur. Ex Arnobio *ſup. Pſal.* 50. afferuntur hæc verba. *Negas libertatem arbitrij, ſi dixeris, Deus ſi vult, bonus ſum; ſi non vult, bonus non ſum*, ex quibus

Digitized by Google

neſcit ur, quid velit auctor præallegatus inferre. Si enim ſignificare intendit, quòd ſi Deus vult Petrum eſſe bonum, aufert ab eo libertatem arbitrij, contradicit Aug. *in Enchir. ad Laurentium ca.* 103. dicenti: *Nullus fit ſaluus, niſi quem Deus voluerit ſaluari; & ideo rogandus eſt, vt velit: quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit*, neceſſitate videlicet conſequentiæ. Contradicit & Scripturæ, quæ ait: *Quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* Et iterum: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra.* Si intelligat, quòd antecedenter ad voluntatem Dei poteſt aliquis eſſe bonus, vt ſic ſaluet libertatem arbitrij, incidit in eadem inconueniētia, & multo maiora. Nam ſequeretur, quòd aliquis homo à ſe ipſo eſſet bonus. Vt autem ex verbis Arnobij infringatur decretum prædeterminãs voluntatis diuinæ, in hoc ſenſu erant accipienda, quem tamen ſenſum non admittimus. Nam eſt omnino alienus, & à veritate, & à mente Arnobij. Et enim *ſuper Pſ.* 117. explicans illud: *Melius eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine,* Sic ait: *Nota tibi confidentiam, quam tenes Chriſtiane: noli confidere in te, noli dicere ſic te liberum habere arbitrium, vt tu tibi in te ipſo confidas.* Et paulo infra: *Si confidas in Domino, tunc poteris dicere: Omnes gentes circumdederunt me, & in nomine Domini,* &c. *Hoc libertas arbitrij dicere non poteſt, aut ſi dixerit, docebo eam apertè mentiri.* Denique concludit omnem fortitudinem, omnem bonum actum auxiliis diuinis eſſe adſcribendum, iuxta illud: *Dextera Domini fecit virtutem.* Ecce Arnobius Deo tribuit, & auxiliis gratiæ etiam bonum vſum liberi arbitrij.

Apoc. 4.
Pſ. 134.
Pſal. 117.

Digitized by Google

XLV. Quidam tamen obiiciunt contra noſtrã ſententiam aliud teſtimonium Arnobij *ſuper Pſal.* 108. in illa verba, *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Vbi aduertit Arnobius, quòd diligere maledictionem libero tribuendum eſt arbitrio. Sic enim ait: *Nota ex arbitrio euenire, quòd noluit benedictionem, propter hæreſim, quæ dicit, alios prædeſtinaſſe ad benedictionem, alios ad maledictionem: hic enim ex electione ſua maledictionem habere probatur, & nolle ſuum benedictionem præmium non habere.* Ex quibus verbis inferunt, Deum abſoluta voluntate neminem prædeſtinaſſe ad benedictionem, niſi præuiſo bono vſu liberi arbitrij. Quæ tamen illatio vana eſt, neque ad mentem Arnobij. Ille namque non dixit, eſſe hæreſim aſſerere, aliquos eſſe prædeſtinatos ad benedictionem, ſed conſtituit copulatiuam, hæreſis eſt alios eſſe prædeſtinatos ad benedictionem, & alios ad maledictionem, cuius veritas ſaluatur pro ſecunda parte copulatiuæ: non autem pro prima. Sicut ſi quis diceret, qui ſentit Chriſtum eſſe Deum, & non hominem, Hæreticus eſt, verũ diceret. Quia quamuis non ſit hæreſis, ſed fides Catholica Chriſtum eſſe Deum, quod eſt prima pars copulatiuæ, eſt tamen hæreſis dicere, Chriſtum non eſſe hominem, quod eſt ſecunda pars copulatiuæ, propterea tota propoſitio eſt hæretica. Sicut enim ſufficit vt aliqua copulatiua ſit falſa, alteram eius partem eſſe falſam; ita vt propoſitio copulatiua ſit hæretica, ſufficit, quòd altera pars ſit hæretica.

Pſal. 108.

Ad Gregor. Nyſſenum. Quæ verò ex Gregorio Nyſſeno adducuntur ſolùm probant hominem eſſe liberi arbitrij;

Digitized by Google

trij; ita videlicet, vt per diuinam prouidentiam non determinetur ad vnum ex neceſſitate abſoluta, ſicut determinat ea, quæ libertatem non habent. Sic explicat S.Thom. 3.*cont.gent.cap.*90. *in fine*, auctoritatem Gregor. Nyſſeni, & aliam conſimilem Damaſceni: Cùm enim ad probandum electiones, & voluntates humanas diuinæ prouidentiæ non ſubdi, oppoſuiſſet illud Eccl. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui.* Reſpondet: *Hæc autem verba ad hoc inducuntur, vt homines eſſe liberi arbitrij oſtendantur: non vt eorum electiones à diuina prouidentia ſubtrahantur. Et ſimiliter quòd Gregor. Nyſſenus dicit in libro, quem de homine fecit, prouidentia eſt eorum, quæ non ſunt in nobis; non autem eorum, quæ ſunt in nobis: & Damaſc. eum ſequens dicit in ſecundo libro, quòd ea, quæ ſunt in nobis Deus præſcit, ſed non prædeterminat: exponenda ſunt, vt intelligantur ea quæ ſunt in nobis diuinæ determinationi non eſſe ſubiecta quaſi ab ea neceſſitatem accipientia.* Quibus verbis S. Thomas expreſsè docet cum prædeterminatione prouidentiæ diuinæ illæſam conſeruari humani arbitrij libertatem, iuxta mentem Gregorij Nyſſeni.

S. Thom.

Eccleſ.15.

Ad loca inducta ex D. Chryſoſtomo, ſufficienter, vt arbitror reſponſum eſt *diſputat.*22.*de Auxiliis*,*n.*22. Vbi oſtenſum pluribus eius teſtimoniis, ipſum fuiſſe in noſtra ſententia, & ad alia teſtimonia, quæ in contrarium adducuntur, reſpondi. Ibi poterunt videri, quæ hîc omittuntur. Solùm enim docet in eiſdem locis, hominem eſſe liberi arbitrij, quod nullus catholicus negat: ſed arguens ex hoc antecedenti catholico,

tholico, infert per inanem conſequentiam, Deum non prædeterminare liberas hominum actiones.

Idem dicendum ad ea, quæ afferuntur ex S. Hieronymo, ad quæ ſimiliter reſpondi *diſp. 22. de Auxiliis. n. 24.* vbi illum apertè fauere noſtræ ſententiæ, & contrariã impugnare apertiſſimis eiuſdem S. Doctoris teſtimoniis comprobaui.

XLVI. *Ad Cyrill. Alexand.* Cyrillus Alexandrinus loco præallegato ſolum docet hominem eſſe liberi arbitrij, & ſponte, & conſilio, & non coactè viuere, aliàs, *Vltra non eſſet fructus mentis; neque res digna laude, ſed neceſſitatis, & cupiditatis non voluntariæ, id eſt, non liberæ.* Vbi per *neceſſitatem* intelligit neceſſitatem abſolutam, ſiue naturalem, quæ ſola repugnat libertati, non autem neceſſitatem ex ſuppoſitione diuini decreti abſoluti, & efficacis. Cùm hac enim ſic, vt cum infallibilitate diuinæ præſcientiæ, prouidẽtiæ, & prædeſtinationis ſtat ſimul, & cohæret humani arbitrij libertas, & actualis vſus illius, vt *diſp. 22. & 25. de Auxiliis* oſtenſum eſt.

Expenduntur S. Proſperi teſtimonia. Ad teſtimonia inducta ex Sancto Proſpero Aquitanico vt reſpondeam, & oſtendam quàm violenter contra expreſſam mentem illius pro contraria ſententia referatur, memorem eſſe velim piũ lectorem eorũ, quæ pro defenſione doctrinæ S. Aug. ſcripſit cõtra collatorẽ, & in Epiſtola contra Ruffinũ, & aliis pluribus in locis, ex quibus conſtat, nec perlatum vnguem à ſententia S. Auguſtini diſceſſiſſe, & magnã victoriam obtinuiſſe aduerſus eos, qui prædeterminationem diuinam comparatione humanorũ actuum

abne

abnegabant, aut contendebant cum eorum libertate cohærere non poſſe, de quo Sanctum conſuluit Auguſtinum in quadam Epiſtola, quę incipit; *Domino beatiſſimo*, & habetur inter opera Auguſtini *tom.7.ante librum de prædeſtinatione Sanctorum.* Vbi etiam extat alia conſimilis Epiſtola S.Hilarij ad Auguſtinum illum conſulens de eadem materia, quibus S. Auguſtinus reſpondit in *libro de prædeſt. Sanctorum, & de dono perſeuerantia.* Vnde ſemper extiterunt defenſores acerrimi doctrinæ eiuſdem S. Auguſtini in materia prædeſtinationis, & gratiæ, vt idem Sanctus Proſper refert *libro contra Collatorem.c.*1.vbi ſic ait: *Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei catholica acies, huius viri ductu pugnat, &c. Vincit dico, quia non patitur reſpirare quos vicit, & in quorum excidium, vna cunctorum Sacerdotum manu ſententiam ſcripſit.* Cùm ergo iuxta doctrinam S. Auguſtini negari non poſſit, Deum ab æterno, abſoluto, & efficaci decreto ſuæ voluntatis, nulla præſuppoſita ſcientia media prædeterminaſſe omnes liberos actus bonos, eos præſertim, per quos prædeſtinati ad vitam æternam producuntur, & in tempore per auxilium efficax præuenientis gratiæ verè efficienter, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ, abſque præiudicio libertatis facere, vt liberum arbitrium ſe liberè determinet ad producendũ, & producat infallibiliter eoſdem actus, vt *in toto diſcurſu duodecim librorũ de Auxiliis* probaui, atque *n.9.præſentis capitis*, ſignũ euidẽs eſt S.Proſperũ ſemper eidem ſententiæ conſtanter adhæſiſſe, nihil obſtantibus argumentis ſæpius repetitis eorum, qui contentiosè proclamabant

per

per hanc doctrinam Sancti Patris Auguſt. deſtrui humani arbitrij libertatem, & fatalem quandam neceſſitatem in humanis actibus induci, atque aduerſari cõminationibus, & exhortationibus diuinarum Scripturarum, quibus homines inducuntur, vt declinent à malo, & faciant bonum, & inducere homines in deſperationem, nullúmque locum actibus meritoriis, vel peccati, qui liberi eſſe debent, relinqui, ac denique facere Deum cauſſam, & auctorem peccati. Omnia enim hæc argumenta, & alia conſimilia, quibus Maſſilienſes mouebantur, gratia diuina opitulante Sanctus Auguſtinus & Proſper ea claritate, quam materia patitur, diluerunt, vt conſtat ex pluribus locis vtriuſque Sancti Doctoris, quæ adduxi *diſputat.* 122. *de Auxiliis, propoſitione* 20.

XLVII. Neque in locis inductis pro contraria ſententia aliquid dicit, in quo illi vel leuiter fauere videatur, ſed potius in *eod. lib. 2. de vocat. Gentium* noſtram confirmat. Tria enim apertè docet. Primum eſt, hominem diuina gratia adiutum liberè concurrere ad pias operationes, quod nullus Catholicus negat, & hoc aſſerit in *illo cap. 9. allegato.* Secundum eſt, quòd Deus exhortationibus, & ſuaſionibus adhibitis, etiam interius mouet voluntatem (ex parte videlicet obiecti, & finis) vt proſequatur bonum ſibi propoſitum, vt patet *lib. 2. de vocat. Gent. cap. 4. &* 13. & aliis pluribus in locis. Tertium eſt, Deum ſua præuenienti gratia, non ſolú ſuadendo, excitando, aut quolibet alio modo, etiá interius ſolùm moraliter attrahendo: ſed etiam verè efficiéter, & eſſi

& efficaciter faciendo, quod voluntas piè operetur, eſt cauſſa cuiuſcumque bonæ operationis: & non ſemel, ſed pluries vtitur nomine prædefinitionis, & prædeterminationis, & aliis æquiualentibus. Hæc enim omnia docet expreſſe in diuerſis locis, adductis *in toto libro noſtro de Auxiliis*. Sed in præſenti pauca perſtringam, quæ ſunt maximè adnotanda, in reſponſione ad excerpta Genuenſium *dubio* 8. *fol.* 145. *verſus finem* ſic ait: *Nos etiamſi rationem facti, & profunditatem iudicii eius penetrare non poſſumus, manifeſtiſſimè tamen ſcimus, & verum eſſe quod dixit, & iuſtum eſſe, quod fecit. Et non ſolum Tyrios, & Sidonios, ſed etiam Corozaim, & Bethſaida potuiſſe conuerti, & fideles ex infidelibus fieri, ſi hoc in eis Dominus voluiſſet operari. Neque enim vlli falſum videri poteſt quod veritas ait: Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Et *lib.* 2. *cap.* 36. vtitur expreſſe nomine prædefinitionis, & ſtatuti diuini, oſtendens cum tali decreto cohærere noſtri libertatem arbitrij. Sic enim ait: *Quamuis ergo quod ſtatuit Deus, nulla poſſit ratione non fieri, ſtudia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propoſitum liberi arbitrii deuotio relaxatur: cùm implendæ voluntatis Dei ita ſit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per inſtantiam ſupplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum: vt & qui bona geſſerint, non ſolùm ſecundùm propoſitum Dei, ſed etiam ſecundùm ſua merita coronentur.* Et *cap.* 27. *eiuſdem libri in fine* ſic ait: *Quod eos voluit Deus velle, voluerunt, qui ad obediendum ſibi, ipſum velle ſic donat, vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem qua poteſt nolle,*

Matth. 11.

Ioan. 6.

Digitized by Google

non auferat. Quòd autem illa gratia ſit præuia docet epiſtola ad Ruffinum de lib.arbitrio paulo poſt principium,cùm ait: ***Quis ambigat tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire,*** *cùm in illo gratia Dei affectum credendi obediendique generauit? Alioquin ſufficeret moueri hominem, non etiam in ipſo nouam fieri voluntatem, ſicut ſcriptum eſt : Præparatur voluntas à Domino. Et ſicut ait Apoſtolus : Deus eſt enim qui operatur in vobis , & velle, & perficere pro bona voluntate : Pro qua bona voluntate, niſi quam in ipſis operatus eſt Deus ? vt quòd donauerat velle, donaret & facere.* Vbi præter monitioné,qua per gratiam excitantem moraliter mouetur voluntas ad bonum , docet requiri adiutorium gratiæ,quo Deus verè efficienter donet homini piè operari. Et epiſtola eadem ad Ruffinum paulo poſt principium ait , quòd *gratia ipſa eſt* ***bonorum creatrix*** , & vt innueret gratiam actualem,qua Deus nos conuertit, licet ſit in eodem inſtanti temporis cum libera determinatione, & cooperatione voluntatis creatæ;illam tamen præcedit ordine rationis , & cauſſalitatis, eam appellat præoperantem gratiam in epiſtola ad S.Auguſtinum ſuperius allegata. *Nec conſiderant,* inquit ille ,*ſe gratiam Dei , quam comitem , non præuiam humanorum volunt eſſe meritorum,etiam illis voluntatibus ſubdere , quas ab ea ſecundùm ſuam phantaſiam, non negant eſſe præuentas:* Et infra Maſſilienſium referens, & impugnans ſententiam contendentium per eorum opinionem fidem catholicam in nullo violari, ait,*Quia in iſtis Pelagianæ prauitatis reliquiis non*

Prou.8.
Philip.2.

medi-

medioctis virulentia fibra nutritur , ſi principium ſalutis malè in homine collocatur: Si diuinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur , vt ideo quis adiuuetur, quia noluit , non ideo, quia adiuuatur velit. Et ſtatim petit ab Auguſtino, vt explicet; *Quomodo per iſtam præoperantem, & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium* ; Quibus verbis expreſſe fatetur , gratiam adiuuantem qua adiuuans eſt, & eſſe priorem ordine rationis , & cauſſalitatis libera cooperatione creati arbitrij, & eſſe cauſſam illius , quæ omnia ſatis apertè indicant S.Proſperum eamdem ſententiam, quam defendimus, tenuiſſe, tanquam doctrinam expreſſam D.Auguſtini.

Gregorius Magnus *lib. 6. Moralium cap.* 11. qui allegatur pro ſententia contraria , nihil fauet eidem, imo potius nobis: ait enim: *Superna igitur pietas prius agit in nobis aliquid ſine nobis, vt ſubſequente quoque noſtro libero arbitrio , quod iam appetimus, agat nobiſcum.* Vbi illud verbum *ſubſequente libero arbitrio* , non obſcurè indicat, gratiam adiuuantem cooperari cum libero arbitrio, illud præueniendo ordine rationis , & cauſſalitatis , liberum autem arbitrium cooperari cum gratia adiuuante , illam ſubſequendo , quod etiam expreſſe docet Gelaſius Papa *epiſt. 5. ad Epiſcopos per Picenum* , cuius verba adduxi *diſp. 96. de Auxiliis concluſ.* 1. Et ſunt maximè notanda eius verba: docet enim , liberum arbitrium cooperari gratiæ *ſubſequendo* , & gratiam cooperari cum libero arbitrio , illud *præcedendo.*

XLVIII. *Ad S. Gre.*

Ad auctoritatẽ Damaſceni patet ſolutio, per

Expenditur ſententia Damaſc. ea, quæ dicta ſunt ad Gregorium Nyſſenum: Cùm enim ait: *Præſcit enim ea etiam quæ in noſtra poteſtate, & arbitrio ſita ſunt, at non item ea prædefinit: neque enim vitium admitti vult, neque etiam virtuti vim affert.* Non intendit quamcunque prædeterminationem diuinæ voluntatis, comparatione humanorum actuum negare, ſed eam dumtaxat, quæ eſt cum impoſitione neceſſitatis abſolutæ, ſicut determinat res naturales. Sic explicat Damaſcenum Sanctus Thomas 1. *parte q.23.art.1.ad* 1. Et 3. *cõtra gent.cap.90.in fine.* Cuius verba ſuperius ſunt adducta. Vbi eſt obiter obſeruandum, quod S.Tho. 1. *p.q.23. ar.1.in illa ſolutione ad* 1. pro eodem accipit nomen prædeterminationis, & prædeſtinationis diuinæ. Sicut ergo negari nõ poteſt eſſe in Deo prædeſtinationẽ, ita etiã dici non poteſt nõ eſſe in illo prædeterminationẽ ſuæ diuinæ voluntatis, qua prædefiniuit omnes actus bonos futuros in tempore, eos præſertim per quos prædeſtinati ad tantam, vel tantam gloriam perueniunt. Quod autem Damaſcenus expreſſe admiſerit in Deo huiuſmodi prædeterminationem abſque impoſitione abſolutæ neceſſitatis, probaui apertiſſimis eius verbis *diſp.22.de Auxiliis nu.*10. Vnde voluntariè allegatur pro ſententia contraria.

XLIX. *Ad Oecumenium.* Oecumenius *ſuper epiſtolam* 2. *ad Timot.* ait, *quòd nihil ex neceſſitate* facit in nobis Deus, comparatione humanorum actuum, ſed neceſſariò intelligendus eſt de neceſſitate abſoluta, quæ libertati repugnat; non autem de neceſſitate ex ſuppoſitione decreti abſoluti diuinæ voluntatis, vt ex ſupradictis conſtat. Et de eadem neceſſita-

ſitate abſoluta loquitur Anſelmus,cùm ait: *Neque aliquid facit vis neceſſitatis, vbi operatur electio ſola voluntatis.* In alijs autem locis *diſputatione 22.de Auxiliis numero* 40. relatis expreſſis verbis docet, Deum abſoluto decreto ſuæ voluntatis determinaſſe actus noſtros liberos abſque præiudicio humanæ libertatis. Quibus addere poſſumus aliud inſigne teſtimonium eiuſdem Anſelmi *in lib.de concordia praſcientiæ, & prædeſtinat.col.*3. vbi ſic ait: *Quoniam enim, quod Deus vult non poteſt non eſſe, cùm vult hominis voluntatem nulla cogi,vel prohiberi neceſſitate ad volendum, vel ad non volendum,& vult effectum ſequi voluntatem,tunc neceſſe eſt voluntatem eſſe liberam,& eſſe quod vult.* Quibus verbis manifeſtè admittit in actibus humanis neceſſitatem in ſenſu compoſito, & ex ſuppoſitione abſoluti decreti voluntatis diuinæ cum libertate eorumdem actuum. Et paucis interiectis, explicans illud Iob. 14. *Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt,* ſubdit: *Quoniam Deus non fallitur, nec videt niſi veritatem,ſiue ex libertate,ſiue ex neceſſitate veniat: dicitur, conſtitui apud ſe immutabiliter, quod apud homines prius quàm fiat, mutari poteſt. Tale etiam Paulus Apoſtolus de his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti,dicit: Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit,hos & vocauit, & quos vocauit,hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit,illos & magnificauit. Hoc quippe propoſitum ſecundùm quod vocati ſunt Sancti in æternitate, in qua non eſt præteritum, vel futurum, ſed tantùm præſens,immutabile eſt, ſed in*

Quid ſentiat Anſelmus.

*Iob.*14.

*Rom.*8.

ipſis hominibus ex libertate arbitrij aliquando eſt mutabile. Sicut enim quamuis in æternitate non fuit, aut erit aliquid, ſed tantũ eſt, & tamẽ in tempore fuit, & erit aliquid ſine repugnantia: ita quod in æternitate mutari nequit, in tempore aliquando per liberam voluntatem, antequam fiat, eſſe mutabile probatur abſque incõuenientia: quãuis ibi nihil ſit niſi præſens, non eſt tamen illud præſens temporale ſicut noſtrum, ſed æternum in quo tempora cuncta continentur. Siquidem quemadmodum præſens tempus continet omnem locum, & quæ in quolibet loco ſunt: ita æterno præſenti ſimul clauditur omne tempus, & quæ ſunt in quolibet tempore. Et circa medium eiuſdem libri explicans, quid ſit prædeſtinatio, ſubdit: *Prædeſtinatio videtur idem eſſe, quod præordinatio, ſiue præſtitutio, & ideo, quod Deus prædeſtinare dicitur, intelligitur præordinare, quòd eſt ſtatuere futurum eſſe. Quod autem Deus ſtatuit futurum eſſe, neceſſitate videtur futurum eſſe. Quare quicquid Deus prædeſtinat, neceſſe eſt futurum eſſe.* Et paucis interiectis, ait quod *neceſſe ſit fieri, quæ præſciuntur, & prædeſtinantur.* Et infra: *Patet igitur ex his quæ dicta ſunt, ſi bene conſiderentur, quia nec prædeſtinatio excludit liberum arbitrium, nec liberum arbitrium aduerſatur prædeſtinationi. Si quidem omnia illa quibus ſupra monſtrauimus, liberum arbitrium præſcientiæ non repugnare, pariter oſtendunt illud prædeſtinationi concordare.* Et paulo inferius rem concludens, ſubdit: *Quoniam ergo in Sacra Scriptura quædam inuenimus, quæ ſoli gratiæ fauere videntur, & quædam, quæ ſolum liberum arbitrium ſtatuere ſine gratia putantur: fuerunt quidam ſuperbi, qui totam virtutem, & efficaciam*

in

in ſola libertate arbitrij conſiſtere ſunt arbitrati: & ſunt noſtro tempore multi, qui liberum arbitrium eſſe aliquid penitus deſperant. Ex quibus omnibus apertè conſtat S. Anſelmum eamdem ſententiam docuiſſe quam defendimus. Nec obſtat, quòd in eodem contextu duplicem diſtinguit neceſſitatem, & ſimiliter *in lib. 2. Cur Deus homo cap.* 18. Alteram præcedentem, quæ facit rem eſſe, & hanc docet eſſe contrariam libertati. Alteram, quæ rem ſequitur, & hanc dicit ſimul eſſe cum libertate. Quid enim intelligat per. neceſſitatem præcedentem, explicatum dedimus *diſputatione 22. de Auxiliis numero* 40. *&* 41. de quo etiam plura dicenda ſunt infra *lib.* 4. vbi de mente S. Anſelmi latius erit agendum. Et per hæc manet ſolutum quintum argumentum. ***Obiectio.***

Ad ſextum argumentum iam reſponſum eſt *lib.* 1. *cap.* 6. *numero* 21. *& ſequentibus.* Vbi explicatum eſt cum S. Thoma, qualiter intelligendi ſunt Patres antiqui, dum aſſerunt, non propterea actus liberos eſſe futuros; quia Deus præſciuit futuros eſſe: ſed è contra, quia futuri ſunt, ideò ſcit eſſe futuros.

Digitized by Google

Soluitur argumentum ſeptimum, & expenduntur teſtimonia Doctorum, qui ad quatuor claſſes reducuntur, oſtenditurque quamplurimos ex eis militare pro noſtra ſententia.

L. QVamuis ex his, quæ ſuperius dicta ſunt ad teſtimonia Sanctorum Patrum, quæ affe-runtur in ſexto argumento pro contraria ſen-tentia, facilè poſſit occurri quatuor claſſibus Scholaſticorum, qui pro eadem ſententia refe-runtur, vt impugnent prædeterminationem ab-ſoluti decreti voluntatis diuinæ comparatione humanorum actuum, quaſi cum eorum liberta-te ſtare non poſſit, nihilominus ad maiorem rei claritatem, ne vllus dubitandi reſtet locus, ſed conſtet per talem prædeterminationem nullo modo impediri actualem vſum libertatis, ſed potius perfici, & roborari, etiam in ſententia fe-rè omnium Scholaſticorum, qui pro contraria referuntur, quibuſdam paucis exceptis, neceſſa-rium iudicaui, eorum teſtimonia expendere, & examinare. Et, vt iuxta ordinem obiectionum quatuor claſſibus Doctorum, quos auctor pro ſua ſententia refert, occurramus, eorum dicta ſuo examinanda ſunt ordine, vt appareat pro qua ſententia videantur militare.

Auctores primi ordinis. *Catherinus,*

In primo igitur ordine diſponuntur illi, qui abſolutas actuum liberorum prædefinitiones putantur negaſſe; eo quòd exiſtimarent non poſſe cum illis cohærere arbitrij libertatem. Hi ſunt Ambroſius Catherinus *opuſculo de præſcientia, & prouidentia Dei cap. vltimo.* Sixtus Senen-ſis

ſis *lib.6. Bibliot.annot.* 248. Corduba *lib.* 1. *quæſtionarii quæſt.* 55. Franciſcus de Carthagena *in lib. de prædeſtinat.* Sixtus locis inferius allegandis, & alij. Quibus vnico verbo reſpõderi poſſet, quòd, ſiquis eorum aſſerit (quod tamen infra videndũ eſt) cum diuinis prædeterminationib. cohærere non poſſe arbitrij libertatem, vel reiiciendus eſt vel intelligendus in eo ſenſu, quo S. Thomas 1. *parte quæſt.* 23. *art.* 1. *ad* 1. *&* 3. *cont.gent.cap.vlt.* explicat quoddam dictum ſimile Ioannis Damaſceni, & Gregorij Nyſſeni, quòd ſcilicet Deus non prædeterminat ea, quæ ſunt in nobis, de qua explicatione *lib.*1.*cap.* 6. *numero* 22. *& in hoc eodem cap. numero.* 45. plura dicta ſunt. Sed vt appareat, quid in hac parte ſentiant præallegati Doctores, ſingulorum dicta referenda ſunt, & expendenda.

Sixtus Senenſis, Corduba, Carthagen. Sententia Ambroſii Catherini reijcitur.

LI. *Ad Amb. Cather.*

Ad ea ergo, quæ adducuntur ex Ambroſio Catherino, reſpondetur, quod vt notauit Sixtus Senen. *lib.6.Bibliotheca Sancta annot.* 248. Ambroſius Catherinus malè audit apud viros doctos, & pios in materia prædeſtinationis, & gratiæ, quia diſtinxit duas claſſes prædeſtinatorum. In prima conſtituit B. Virginem, Apoſtolos, & alios, *quos Deus tanto gratiæ munere donauit, tantiſque ad ſalutem præſidiis inſtruxit, vt ſalua etiam arbitrii libertate à ſalute excidere nequeant, qui immutabili quodam, & infallibili diuinæ prouidentiæ decreto, ſtante ſemper liberæ voluntatis arbitrio, ad vitam æternam prædeſtinati ſunt. In ſecunda verò claſſe aptauit Deus reliquam humani generis multitudinem, quam non fixo, & ineuitabili decreto, ſed ſub conditione quadam mutabili ſaluos eſſe voluit,*

luit. Hæc Sixtus Senenſ. Et paucis interiectis, quid ſentiat de prædicta doctrina explicans, ſubdit: *Hanc Ambroſij præceptoris mei ſententiam ipſe olim adeò veram credidi, & adeò aptam exiſtimaui ad euellendas, duras quaſdam & atroces de prædeſtinatione opiniones, quibus hæretici noſtrorum temporum animos ſimplicium deſperatione impleuerant, vt eam ab anno ætatis meæ vigeſimo vſque ad trigeſimum in multis, ac præcipuis Italiæ Vrbibus pro concione explicauerim, non ſine audientium plauſu, ac perturbatarum mentium fructu. Cùm poſtea animaduertiſſem huiuſmodi aſſertionem difficultatibus, & anguſtiis non paucis premi & ob id à pleriſque doctis, ac piis Theologis non probari; ſatius duxi ab eius prædicatione deſiſtere, quàm pio eruditorum iudicio improbata docere.* Ecce Ambroſius Catherinus expreſsè aſſerit, Deum immutabili, & infallibili, diuinæ prouidentiæ decreto prædeſtinaſſe præelectos primæ claſſis, ſalua arbitrij eorum libertate, in quo apertè pugnat pro ſententia Thomiſtarum; ſed quia in ſecunda claſſe conſtituit reliquam humani generis multitudinem quam non fixo,& ineuitabili decreto, ſed ſub conditione quadam mutabili ſaluos eſſe voluit, ideo quantum ad hanc partem eius ſentẽtia reprobatur à Sixto Sen. & ab aliis doctis, & piis Theologis, vt ipſe ait.

LII. *Quid ſẽtiat Sixtus Sen.* Ex quibus cõſtat, quã ſine fundamẽto auctor, cum quo diſputamus, referat pro ſua ſententia Sixtum Senenſem *annotatione* 248. *præallegata.* Siquidem adducit pro ſe illam ſententiam, quam in eadem annotatione idemmet Sixtus retractauit ſilentio prætermittendo ſententiam,

tiam, quam reſultoriè tenuit, quæ eſt eadem cum illa, quam Thomiſtæ defendunt.

LIII. *Expenditur ſententia Cordub.*

Antonius de Corduba in *illo dubio* 10. non modicum fauet noſtræ ſententiæ. Titulus enim illius dubij eſt: *Vtrum cum voluntate Dei efficaci, & ſtante eius concurſu immediato, & ſufficiente ſtet ſimul libertas noſtra voluntatis, & contingentia in rebus.* Et reſpondet concluſione affirmatiua. Contra quam proponit hoc primum argumentum. Agens liberum eſt illud, quod poſitis omnibus præuiis, & requiſitis, poteſt actum ſuum producere, & non producere, ſed poſita voluntate Dei efficaciſſima, & eius concurſu, non poteſt voluntas non operari, nec ſuſpendere actum, ſed neceſſariò operatur: Ergo non manet libera. Ad quod argumentum plures refert ſolutiones, inter quas commemorat quartam aſſerentium, *quòd concurſus diuinus, eiuſque voluntas pro tempore, quo cum noſtra voluntate coagit non eſt de præuiis, ſed de concomitantibus actum, & ita non concludit argumentum.* Quam tamen ſolutionem reprobans ſubdit: *Sed certè, quod ſit etiam præuia, ſeu præuius probatur, quia cauſſa prima eſt prior, quàm cauſſa ſecunda non ſolùm in eſſendo, ſed etiam in cauſſando, quia ab illa habet hac cauſſa ſecunda eſſe, & operari, & illa dat virtutem, & influit, & mouet eam ad operandum, ſecundum id Act. 17. In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* *Act. 17.* *Et Io. 6. Sine me nihil poteſtis facere, vt latius de hoc* *Ioan. 6.* *agit B. Thom. 1. p. q. 8. art. 2. & 3. & ibi Caiet. & q. 14. art. 13. & Vega q. 11. de iuſtificatione in reſponſione ad 3. argumentũ, & Scotus in 1. diſt. 39. & ibi ſuus Lychetus, doctoréſque communiter conſentiunt.*

Hacte-

Hactenus Corduba. Et in quinta ſolutione reſpondet ad argumentum cum Io. Medina, in ſua Alphonſina, & Soto *lib.* 1.*de natura & gratia c.* 16. per diſtinctionem neceſſitatis conſequentiæ ſiue in ſenſu compoſito, vel diuiſo. Quia verò ipſe arbitratur hanc reſponſionem non videri idoneam, niſi amplius explicetur, ideo ad maiorem explicationem diſtinguit tria ſigna in quibus diuina voluntas conſiderari poteſt. In primo ſigno *conſideratur, vt eſt cauſſa vniuerſalis, videlicet, vt ab æterno vult dare, & temporaliter dat virtutem, & influit in omnibus cauſſis ſecundis creatis, eaſque mouet, & parata eſt coagere cum eis ad ſuos actus, & effectus. In ſecundo ſigno conſideratur, vt modificatur ab ipſis cauſſis ſecundis quo ad modum agendi. In tertio ſigno conſideratur, vt iam prædicto modo modificata cum cauſſis ſecundis vult coagere, vel coagit, & concurrit actualiter ad ſuos actus, & effectus ſingulares producendum.* Et infra verſiculo, & ex his, ſubdit, *quòd illa voluntas, ſiue volitio diuina in primo ſigno conſiderata dicitur Dei concurſus vniuerſalis, vel habitualis. Vniuerſalis quidē, quia in omnes cauſſas ſecundas influit virtutem, & eas mouet ad ſuos actus, & effectus: habitualis autem quia paratus eſt Deus, vt actualiter cum eis concurrere velit in certo ſigno ad ſuos actus; vel effectus particulares.* In quibus apertè fauet noſtræ ſententiæ.

Duo tamen dicit Corduba in eodem dubio, quæ non modicam habent difficultatem, niſi ad meliorem formam reducantur, & explicentur. Primū eſt quod volūtas noſtra nō ſolū modificat prædictā voluntatē diuinā vniuerſalē, quo

ad

ad modum, vt liberè cum ea concurrat, ſed etiam determinat quoad ſpeciem actuum, & quoad ipſos actus ſingulares voluntatis: ita vt non prius ordine naturæ voluntas diuina, etiam ab æterno velit, aut ſe determinet ad concurrendum actualiter in tali tempore cum noſtra voluntate in tertio ſigno ad hunc, vel illum actum particularem producendum. Quod probat, nam aliàs non bene ſaluaretur libertas noſtræ voluntatis ſimul cum concurſu diuino.

Sed hic modus loquẽdi, nec eſt proprius, nec videtur admittendus. Nam contra perfectionem, & efficaciam voluntatis diuinæ, & concurſus illius eſt, quòd modificetur, & ad operandum determinetur propriè loquendo ex concurſu ſecundarum cauſſarum: Etenim potius dicendum eſt, quòd Deus ipſe modificat, & determinat ſuum concurſum, ſeu influxu receptum in cauſſis ſecundis, iuxta earum naturam, & ſic cum cauſſis contingentibus, & liberis producit effectus contingentes, & liberos & per cauſſas naturales, & neceſſarias producit effectus neceſſarios: Poſſet tamen illa loquutio in bono ſenſu explicari, ita vt ſenſus ſit, quòd cauſſæ ſecundæ concurſum Dei receptum in eis modificant, & limitant ſecundùm quid, & quaſi materialiter, eo modo, quo accidens limitatur in ſubiecto, in quo recipitur. In quo ſenſu etiam S. Th. *3. cont. gent. c. 66. ratione 5.* ait, *quòd ſecunda agentia ſunt quaſi particulantes & determinantes actionem primi agentis.* Et *q. 3. de malo art. 2. Attendendũ,* inquit, *eſt, quòd motus primi mouentis non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus.* LIV. *Impugnatio*

minet quid in particulari ſit futurũ per liberum concurſum voluntatis creatæ, vt apertè docet Scotus locis inferius allegandis,à cuius tamen ſententia diſcedit Corduba in calce illius *dubij* 10. Nos autem dicimus,quod antequam in tempore Deus concurrat cum voluntate creata, & producat per eam talem actum particularem tali tempore, & loco,præuidet quidem,& certò præcognoſcit liberum concurſum,& determinationem creatæ voluntatis,quia prædefiniuit, vt ſit futurus in propria menſura,vt *diſp.7.& 22. de Auxiliis* manifeſtiſſimis teſtimoniis SS. Aug. & Tho.& aliorum Sanctorum Patrum,& Scholaſticorum oſtenſum eſt.

LV. *Carthagen. dicta expenduntur.*

Carthagena *in lib. illo de prædeſtinatione* multa docet iuxta communem ſententiam S. Aug. & Thomiſt.in quibus apertè fauet noſtræ ſententiæ,& contrariam impugnat. Etenim in *diſcurſu* 8. *eiuſdem libri pag.* 207. *& ſequent.*affirmat,quòd de natura auxilij diuini eſt eſſe præuium,& ſemper præueniens,quamuis ſimul in multis actibus concomitetur conuerſionem peccatoris:Ex quo infert, omne auxilium concomitans eſſe etiam præueniens ſecũdùm aliam rationem formalem. Item etiam in *diſcurſu* 9. docet apertè,omnes illos,qui de facto ſalui fient, fuiſſe à Deo prædeſtinatos ab æterno abſoluta,&immutabili voluntate abſque vlla præuiſione boni vſus liberi arbitrij, quam ſententiam docet eſſe etiam Sanctorum Patrum, & ſacris literis conformem, & oppoſitam tanquam falſam eſſe reiiciendam. Eandẽ ſententiã docet *diſcurſu* 10. Vbi addit, prædeſtinatos eſſe prædefinitos à Deo,in particulari,& ad-

Digitized by Google

dit eodem diſcurſu 4. *p.* 71. & 72. *propoſitione* 3. & 4. quòd quamuis Deus non prædefinierit omnes actus liberos ab æterno; bene tamen aliquos prædefiniuit ante præuiſionem boni vſus noſtræ voluntatis, ſcilicet actus prædeſtinatorũ, per quos ad vitam æternam perducendi erant; cum qua prædeterminatione, inquit, ſaluatur noſtri arbitrij libertas; quod tamen eſt contra Auctorem, cum quo diſputamus.

In hoc etiam conſentit Carthagena cum eod. Auctore, quòd ſcilicet Deus non ſic prædeterminauit in particulari tales actus prædeſtinatorum, vt etiam prædeterminauerit omnes eorum circunſtantias. Sed in hoc admittendus non eſt, quoniam eadem eſt ratio de ſubſtantia actus ſupernaturalis, & de circunſtantiis illius, quæ concomitantur actum illum in particulari; cũ prædefinitio diuina ſit de actibus in particulari, & eorũ cauſſa vniuerſalis. Vnde qua ratione prædefinitio actus particularis ſecundùm ſubſtantiam non impedit, ſed perficit vſum libertatis; ita etiam prædefinitio eiuſdẽ actus humani cum omnibus ſuis circunſtantiis præiudicare non poteſt libertati voluntatis creatæ. Nam & paſſio Chriſti Domini fuit à Deo prædefinita ſecundũ ſubſtantiam, & ſecundùm omnes eius circunſtantias, vt multis locis Scripturæ oſtenſum eſt *diſp.* 22. *de Auxiliis n.* 18. Et tamen Chriſtus Dominus liberè pro nobis paſſus, & mortuus eſt.

Quod attinet ad Scotum, auctor cum quo diſputamus conatur illum enumerare inter eos Doctores, qui phyſicam prædeterminationem excludunt, quod probat, nam abſolutè tradidit LVI.

Expenditur ſententia Scoti.

volútatem in liberis actionibus à ſeipſa determinari. Etenim in 1. *diſt* 8. *q*. 5. §. *ad arg. pro opinione*, ſic ſcribit: *Et voluntas noſtra eſt indeterminata hoc modo indeterminatione virtutis actiuæ ad vtrumlibet contradictorium; & ex ſe poteſt determinari ad hoc vel illud. Itaque huius quæſtionis, quare voluntas voluit hoc, nulla eſt cauſſa, niſi quia voluntas eſt voluntas; ſicut huius, quare calor eſt calefactiuus, nulla eſt cauſſa, niſi quia calor.* Et in 2. *diſt*. 37. *q*. 1. §. *ad ſolutionem iſtorum*, ſic ait: *Sed propter defectum cauſſæ ſecundæ, quæ in poteſtate ſua habet concauſſare cauſſæ primæ, vel non concauſſare, & ſi non concauſſat illi, vt tenetur, non eſt rectitudo in effectu communi amborum*: quo loco de cauſſa libera loquitur, & apertè docet illam hoc prædeterminari à Deo, quo ad actus exercitium. Sed apertius idem tradidit in 4. *diſtinct*. 49. *quæſt*. 6. §. *Dico ergo, verſ. ad propoſitum*, dicens: *Tolli voluntatis libertatem, ſi prius applicetur à Deo ad agendum, quàm ipſa ſe determinet.*

LVII. Sed quàm ſit alienus Scotus à ſentētia, quam impugnamus, ex eo patet; nam Scotus in 1. *ſentent. diſtinct*. 39. *quæſt*. 1. *circa tertiam propoſitionem*. §. *Viſo de contingentia rerum*, expreſſe docet noſtram ſententiā, quantum ad prædeterminationem extrinſecam voluntatis diuinæ; ibi enim explicans, qualiter cum rerum contingentia, ſtet certitudo ſcientiæ diuinæ, ſic ait: *Hoc poteſt poni dupliciter. Vno modo per hoc, quòd intellectus diuinus videt determinationem voluntatis diuinæ, videlicet illud fore pro, A; quia voluntas illa illud determinat fore pro eo. Scit enim illam voluntatem eſſe immutabilem, & non impedibilem. Vel aliter; quia*

iſta via videtur ponere quendam diſcurſum in intellectu diuino quaſi ex intuitione determinationis voluntatis, & immutabilitatis eius concludat hoc fore, poteſt poni aliter, quòd intellectus diuinus, aut offert ſimplicia, quorum vnio eſt contingens in re: aut ſi offert complexionem, offert eam ſicut neutram, & voluntas eligens vnam partem, ſcilicet coniunctionem iſtorum pro aliquo nunc in re facit illud determinatè eſſe verum. Hoc erit pro, A: hoc autem exiſtere, determinatè verò eſſentia eſt ratio intellectu diuino intelligendi iſtud verum. Et infra hoc magis explicans ſubdit: *Tunc autem,* id eſt, ante decretum diuinæ voluntatis, *non ſunt vera contingentia, quia nihil eſt tunc, per quod habeant veritatem determinatam; poſita autem determinatione voluntatis diuinæ, iam ſunt vera, videlicet pro illo ſecundo inſtanti; & hoc idem erit ratio intellectui diuino (quod erat in primo) intelligendi iſta, quæ ſunt iam vera in ſecundo inſtanti, & fuiſſent cognita in primo inſtanti, ſi fuiſſent in primo inſtanti*, quo nihil potuit dici clarius pro noſtra ſententia. Et in hac doctrina eſt perpetuus Scotus pluribus in locis, ſed præſertim in 4. *diſtinct.* 49. *quaſt.* 6. §. *Dico ergo*, quem pro ſe allegat arguens. Vbi proponit, & ſoluit argumentum potiſſimum, quo ille conuincitur ad aſſerendum prædeterminationem phyſicam voluntatis diuinæ eſſe contrarium libertati humanorum actuum. Sic enim arguit Scotus contra ſe ipſum, *Non minus tollit indifferentiam voluntatis determinatio eius à cauſſa ſuperiore, quàm à cauſſa inferiore. Ergo ſi ex ratione cauſſalitatis ſuæ eſt indeterminata ad operationem: ita* *Argumentũ Scoti.*

 repugnat

Digitized by Google

repugnat natura ſua, quòd illa indifferentia tollatur per cauſſam ſuperiorem, ſicut per inferiorem: ſicut ergo eſt contra naturam voluntatis, quòd habitus determinet eam neceſſariò, ita & quòd Deus determinet. Præterea non erit in poteſtate voluntatis, ſic agere, vel non ſic agere, quia ad quod determinatur aliquid à cauſſa ſuperiore, non poteſt eſſe in poteſtate determinati: agit enim, ſicut motum à determinante: ergo ille actus non erit laudabilis, nec propriè voluntarius. Hactenus Scotus. In quibus verbis breuiſſimo ſtilo, & ſtricto proponit argumenta potiſſima, quibus auctor mouetur ad impugnandam ſententiam Thomiſtarum. Sed videamus, quid ad hæc obiecta reſpondeat Scotus ſub his verbis. *Ad formam ergo, contra naturam eius eſt determinari in ſuo ordine, & nihil aliud primò repugnat ſibi: ſed ex conſequenti eſt contra naturam eius determinari à cauſſa inferiori, quia tunc ipſa non eſſet ſuperior: non eſt autem contra naturam eius determinari à cauſſa ſuperiori: quia cum hoc ſtat, quòd ſit cauſſa in ſuo ordine, &c. Ad ſecundum laudabilis eſt pro quanto ipſa voluntas in ſuo ordine contingenter ſe determinat. Aliter poteſt dici, quòd contingentia voluntatis in ſuo ordine concludit contingentiam ſimpliciter effectus; quia cuiuſcunque eſt contingentia concludit contingentem effectum, & per conſequens ſimpliciter contingens eſt, quòd non peccet; tamen nunquam eueniet; quia cauſſa ſuperior ſemper præſeruat. Sed dices: Saltem in poteſtate voluntatis eſt, vt eueniat. Poſſet dici; quia non ideò eſt minus beata ſi in poteſtate eius ſit, quòd eueniat; quia voluntas diuinæ ſemper preueniet.* Hæc Scotus, vbi non ſolùm in

Solut. Scoti.

in re; ſed etiam eiſdem terminis conuenit cum ſententia Thomiſtarum, quantum ad prædeterminationem abſoluti decreti voluntatis diuinæ, qua determinauit contingentia futura, etiam libera abſque præiudicio humanæ libertatis. Nec explicatio, quæ tribuitur eius verbis, eſt ad mentem illius, quòd ſcilicet, cùm ait, *determinatio* voluntatis diuinæ non tollit libertatem creatæ, loquitur de determinatione concomitante; non verò de præuia. Hæc enim explicatio eſt contra ipſum contextum: nam decretum voluntatis diuinæ, de quo loquitur Scotus ab æterno præcedit determinationem voluntatis creatæ, & ſimiliter in tempore motio illa, qua Deus mouet voluntatem ad piè operandum, præuenit ordine rationis, & cauſſalitatis cooperationem creatæ voluntatis, vt idem Scotus ſignificat illis verbis ſuperius adductis, *quia voluntas diuina ſemper præueniet.*

Et eſt valde notandum in doctrina Scoti, quòd magna cum conſideratione aſſeruit *quæſtione 6. præallegata. §. Ad propoſitum*, eſſe contra rationem libertatis, *quòd determinetur ad bene velle per habitum ſibi inhærentem. Non ſic autem eſt contra libertatem, vel naturam eius, quod impediatur ab vna actione, & quòd determinatur ad aliam à cauſſa priore ſe, cuiuſmodi eſt voluntas diuina.* Non autem ait, eſſe contra rationem libertatis, quòd determinetur à Deo per actualem eius motionem in voluntate receptam, ſed inquit per habitum; vt innueret, eiuſmod motionem prædeterminantem, in quantum eſt instrumentum voluntatis diuinæ, liberum LVIII. *Nota.*

 vſum

vſum libertatis non impedire, ſed potius perficere. Vnde idemmet Scotus manifeſtè ſupponit, Deum motione præuia efficere, quòd voluntas creata ſe liberè determinet ad bene operandum, cùm docet, quòd ſi Deus operaretur ex neceſſitate naturæ,tolleretur libertas,& contingentia rerum, motus hac ratione: Cauſſa mouens, in quantum mota,ſi neceſſariò mouetur,neceſſariò mouet,ſed omnis cauſa ſecunda eſt mouens, in quantum mota à prima. Ergo ſi neceſſariò mouetur, neceſſariò mouet: igitur ſi prima cauſſa non contingenter cauſſat, nihil in vniuerſo contingenter fit:& ſic contingentia in vniuerſo eſt ex hoc, quòd Deus contingenter vult, & cauſſat. Scoti ſententiam refert Caietanus 1. *part.quæſt.*19. *art.*8. *§.circa iſtam materiam.*

LIX. Et quidem, quòd Scotus negare non potuerit prædeterminationem factam à Deo per motionem actualem inhærentem creatæ voluntati, ex eo patet; nam, vt ait Suarez *lib.* 3. *de Auxiliis cap.* 13. *numer.* 13. eadem ratio eſt, quantum ad hoc, de phyſica prædeterminatione ex cauſſa extrinſeca, hoc eſt,efficaci, & abſoluto decreto voluntatis diuinæ, & de hac inhærente præmotione. Quod etiam ego notaui *in fine diſp.*21.*de Auxiliis.*

Ad teſtimonia Scoti in contrarium adducta.

Et ad teſtimonia Scoti in contrarium adducta reſpondetur, quòd ex illis ſolùm concluditur, quòd voluntas ex ſe habeat virtutem actiuam indifferentem ad vtrumlibet, & quod ex ſe, hoc eſt, à principio intrinſeco poteſt ſe determinare ad hoc, vel illud, ſed nunquam ſe determinabit, niſi præſuppoſita determinatio-

Digitized by Google

ne diuinæ voluntatis, quam in aliis locis docuit. Nam voluntas creata nõ eſt ſimpliciter primùm ſe determinans: hoc enim ſolùm competit voluntati diuinæ. Vnde in illo §. *Ad arg. diſt. 8. q. 5.* loquitur de voluntate diuina, quæ non habet aliam cauſſam priorem, à qua determinetur, ſed ipſamet voluntas ſe determinat ad hoc, vel illud; quia ita ſibi placet, ſicut Saluator ipſe teſtatur Matt. 11. *Ita Pater, quia ſic placitum fuit ante te.* Si eius doctrina extendatur etiam ad voluntatem creatam, & perquiratur cauſſa, quare voluit hoc, aſſignari poteſt cauſſa proxima ex parte ipſius voluntatis; quia id ita ſibi placuit: ſed quoniam voluntas creata non eſt ſimpliciter primum ſe determinans, nec libe- LIX.
ra per eſſentiam, ſed per participationem libertatis diuinæ, recurrendum eſt ad aliam cauſſam ſuperiorem, videlicet ad decretum abſolutum diuinæ voluntatis, à quo magis dependent actus liberi, quàm à ſua cauſſa proxima.

Ad ea verò, quæ adducuntur ex *lib. 4. ſent. verſ. Ad propoſitum*, reſpondetur, quod in toto illo verſiculo non habentur verba illa formalia, quæ ex illo adducuntur, nec vtitur verbo *applicationis*, ſed ſolùm ait: *Contra libertatem eſſet, quòd determinaretur neceſſariò ſic, quod oppoſitum non ſit in poteſtate eius*, &c. Et infra: *Sed quòd ſic Deus determinaret ad bene velle per habitum ſibi inhærentem, hoc eſſet contra eius libertatem hoc modo, quia ipſa non eſſet voluntas, niſi eſſet cauſſa prior reſpectu habitus ſui, & ita nata vti habitu, & determinare ipſum ad agendum; & non ab ipſo determinari ſic, quod* LX.

oppoſitum non ſit in ſua poteſtate. Solùm ergo dicit ibi Scotus tolli voluntatis libertatẽ, ſi determinaretur per habitum ſibi inhærentem, ſicut determinatur in patria; non tamen inquit, quod tolleretur libertas voluntatis (ſi prius applicetur à Deo ad agendum, quam ipſa ſe determinet,) ſed potius dicit totum contrarium in verbis immediatè ſequentibus, cùm ſubdit: *Non ſic autem eſt contra libertatem, vel naturam eius, quod impediatur ab vna actione, & quod determinetur ad alias à cauſſa priore ſe, huiuſmodi eſt voluntas diuina.* Hæc de ſententia Scoti, à qua diſcedere non poſſunt Scotiſtæ, qui veram intelligentiam illius profitentur.

LXI. *Quid ſētiat Alexander Alenſ.*

Inter Auctores, qui in ſecundo ordine adducuntur pro ſententia contraria, primus eſt Alexander Alenſis 1.*part.q.*23.*memb.*3.*art.*4.*& quæſt.*24.*membr.*5.*& quæſt.*26.*memb.*4.*artic.*3.*& membro* 7.*artic.*2.*& quæſt.*40.*membr.*4.*ad.*3. Sed in illis locis nihil dicit contra noſtram ſententiam: ſolùm enim docet, quòd præſcientia, quam Deus habet futurorum contingentium, nullam voluntati imponit neceſſitatem, ſed remanet effectus illius ſemper liber, & contingẽs in ordine ad voluntatem, quamuis in ordine ad cauſſam ſuperiorem, ſcilicet ad Deum habeat neceſſitatem ſecundùm quid. In *quæſtion. autem* 26. ſolùm probare intendit, quòd Deus habeat prouidentiam actuum voluntatis, & quòd dedit libero arbitrio facultatem, qua poſſit conſentire, vel diſſentire, & ordinet actiones illius non cogendo. Ex quibus tamẽ verbis non licet deducere, humanas actiones non eſſe à

Deo

Digitized by Google

Deo prædefinitas: qualis enim ſit iſta illatio & quàm inanis, iam ſupra oſtenſum eſt.

Pro eadem ſententia refertur S. Bonauentura in *2.d.26. q.6.* Sed ibi nihil dicit in fauorem illius, ſed potius eſt pro nobis: Etenim in reſponſione quæſtionis ſic ait: *Dicendum, quòd abſque dubio, ſicut auctoritates Sanctorum dicunt, neceſſe eſt ponere liberum arbitrium à gratia moueri, & excitari. Ab ipſa enim gratia operante praeuenitur, & à cooperãte ad opera meritoria eleuatur, ita quod reſpectu operis meritorij gratia eſt ſicut principalis motrix, & voluntas ſicut pediſſequa.* Et infra: *Sicut lumen non ſolùm operatur cum aëre, ſed etiam operatur in ipſum aërem ratione continuationis cum ſuo fonte, ſic & gratia non ſolùm operatur cum libero arbitrio, ſed etiam operatur in liberum arbitrium, & liberum arbitrium mouet. Vnde non eſt aliud dicere gratiam liberum arbitrium mouere, quàm gratiam eſſe Spiritus ſancti inſtrumentum ad mouendum liberum arbitrium.* In quibus verbis duo ſunt ponderanda, alterum eſt, quòd gratia eſt principalis motrix, & voluntas pediſſequa: quia videlicet eius cooperatio, quamuis ſit in eodem inſtanti temporis cum actuali gratia mouente, eſt tamen eiuſdẽ gratiæ pediſſequa, quia videlicet gratia mouens eſt prior ordine rationis, & cauſſalitatis. Alterum eſt, quòd ſecundùm Bonauenturam, hæc gratia actualis eſt influxus in liberum arbitrium, vt in cauſſam, & cum libero arbitrio in eius effectum, ſicut lumen influit in aërem, & cum aëre, in quo apertè fauet noſtræ ſententiæ, & impugnat aduerſam, quæ aſſerit gratiam adiuuantem ſolùm eſſe influxum immediatum

LXII. *Ad S. Bonaventuram.*

Digitized by Google

cum libero arbitrio in eius effectum: non autem præmouens ipſum arbitrium, vt operetur. Præterea idem S. Bonauentura in 1.*ſentent. diſt.* 47.*quæſt.*1. multis rationibus probat, *voluntatem Dei nullo modo poſſe ſuperari, nec caſſari, ſed neceſſe eſt impleri.* Et obiicientibus, nam per hoc tolleretur contingentia, & conſequenter libertas, & induceretur neceſſitas, reſpondet per diſtinctionem de neceſſitate conſequentiæ, & conſequentis; *Et ideo* (inquit ille,) *eſt ibi neceſſitas conſequentiæ, ſed non conſequentis, quia non mutat euentum rei, imò vult Deus quòd eueniat conſequens contingens.* Et *diſtinct.* 40. *eiuſdem libri quæſtione* 2. loquens de certitudine prædeſtinationis, & de numero electorum probat ex Auguſtino, quòd ſit certa, & infallibilis, atque immutabilis, & inter alia inquit: *Si autem loquamur de certitudine à parte Dei præcognoſcentis; ſic certus eſt euentus ſalutis noſtræ certitudine infallibilitatis; quia diuina præſcientia non fallitur, & ideo euenit, vt præſciuit. Certus etiam eſt certitudine immutabilitatis, quia diuina diſpoſitio, & ordinatio non variatur, vt modò eligat vnum, & modò alium: ſed qui ſemel electus eſt, ſemper fuit, & erit, & non alius.* Quibus verbis certitudinem & infallibilitatem prædeſtinationis reducit, & ad præſcientiam Dei abſolutam, non ad præſcientiam mediam, quam non agnouit, vt ſupra dictum eſt, & ad immutabilitatem, & diſpoſitionem, & ordinationem voluntatis diuinæ, quæ inuariabilis eſt, in quo apertè pro nobis facit.

Ad Henricum. Henricus de Gandauo *quodlibet.* 9. *quæſtione* 5. quærit, Vtrum volũtas moueat ſe ipſam, & poſt multa,

multa, quæ de motu grauium, aut leuium, & de motu progreſſiuo animalium, & aliis conſimilibus præmiſerat, tandem in §. *Secundum verò*, reſoluens quæſtionem motus voluntatis, inquit: *Simpliciter ergo dicẽdum, quòd voluntas in actum volendi à nullo alio, ſed à ſe ipſa ſola mouetur.* In quo videtur fauere auctori, ſed reuera non fauet, nam per illam excluſiuam *ſola* tantùm excludere intendit motionem, & determinationem, quantum ad exercitium actus prouenientem ab intellectu, vel appetitu ſenſitiuo, vt conſtat ex antecedentibus, & ſubſequentibus, vbi etiam id probat, *nam aliàs arbitrij libertas voluntatis dependeret à ratione, & rationi potiùs deberet tribui, quàm voluntati.* Et in hoc ſenſu intelligit Henricum M. Vitalis Zuccolius Patauinus ordinis Camandulenſis in commẽtario adiecto ad eandem quæſtionem poſt medium, vbi ſic ait: *Quo ad ſecundam, & tertiam concluſionem, ſciendum, quòd auctor eas reprobat, quo ad hoc, quòd moueri vult voluntatem à ſe ipſa tanquam à proxima, atque proprio mouente.* Et infra oſtendit ſententiam Henrici non eſſe diſcordem à S. Thoma. Non ergo intendit excludere motionem qua voluntas mouetur à Deo tanquam à primo mouente, vt idem Scholiaſtes aduertit, & conſtat ex his, quæ dicit Henriches in *eadem quaſt.* 5. §. *Eſt igitur ſciendum.*

In *quodlibet.* 11. *quaſt.* 6. quærit; Vtrum aliquid poſſit deducere ſe de potentia ad actũ, & docet, quòd voluntas reducit ſe de potentia ad actum, quod veriſſimum eſt, quia, ſicut eſt cauſſa proxima ſui actus, quantum ad eius exercitium; ita etiam

etiam ipſa ſola ſe reducit ad eundem actum in genere cauſſæ proximæ, vt ſupra dictum eſt. Sed quia non eſt ſimpliciter prima cauſſa ſui actus: ita etiam non eſt ſimpliciter primùm ſe reducens, de potentia ad actum, ſed proximum, vt ex præmiſſis patet.

In *quodlibet.12.qu.26.* mouet dubium; Vtrum voluntas poſſit actuari, ſiue reduci ad actum, & tamen non determinari ab illo, à quo actuatur; ſed tota quæſtio illius procedit ſolùm de actuatione, & determinatione voluntatis comparatione obiecti vel intellectus, ſicut diſputauerat in aliis quæſtionibus ſupra inductis. Vnde ex his, quæ docet Henricus, nihil poteſt deduci contra determinationem, vel prædeterminationem prouenientem ex decreto abſoluto voluntatis diuinæ.

LXIII. Deinde allegatur pro auctoris ſententia in eodem ordine ſecundo Ocham in *1.diſt.38.q.1.* Marſilius *diſt.40.artic.1. in 1. & 3. parte articuli.* Egidius Romanus *in 2. diſt. 1. & in opuſculo de prædeſt. & praſcientia*, Gabriel *in 1.diſt.45.& in 2. diſt.1.quæſt.2.art.2.& 3.& diſt.37.art. 1.* Sed quid ſentiant iſti auctores circa ſcientiam mediam, & efficaciam decreti voluntatis diuinæ, iam ſupra *lib. 1. cap. 1. num. 33. & ſequentibus* expoſitum eſt.

LXIV. *Expenduntur teſtimonia Abulenſ.* Quid autem ſentiat Abulenſis, & quàm ſine fundamento adducatur in fauorem ſententiæ contrariæ, patebit, ſi eius verba expendamus, & examinemus. Loca ergo, quæ ex Abulenſe adducuntur ab auctore ſunt iſta: Super *cap.11. Ioſue quæſt. 76. & in cap. 18. Matt. quæſt. 36. & in*

cap.

cap. 19. *quæſt.* 17. Sed in omnibus iſtis locis nihil inuenitur, ex quo per conſequentiam probabilem deduci poſſit, Deum non prædefinire abſoluta voluntate futura contingentia, etiam libera, vel in tempore ſuo concurſu actuali non præmouere voluntatem efficaciter cauſſas ſecundas, præſertim liberas ad ſuas operationes. Quin potiùs multa docet, in quibus contradicit ſententiæ, quam impugnamus. Nam in *quæſt. illa* 76. ait quidem, *quòd intelligere Dei non imponit aliquam neceſſitatem rebus, ſiue vocetur illud intelligere præſcientia, ſiue prædeſtinatio, vel prouidentia, quæ ſunt nomina communiter impoſita.* Sed loquitur expreſſè de neceſſitate abſoluta, quâ priuſquàm res fiat, neceſſe eſt ſimpliciter, vt fiat. Ponit enim exemplum de ortu ſolis; *nam antequam ſit, dicimus, quòd ſit neceſſarium oriri ſolem.* Et idem dicit de eclipſi lunæ; non autem loquitur de neceſſitate ex ſuppoſitione, quæ eſt neceſſitas ſecundùm quid, non obſtans libertati, vt *diſp.* 25. oſtenſum eſt. Nam cum hac neceſſitate docet expreſſè in eadem quæſtione ſaluari libertatem, & contingentiam rerum: & ibi argumentum, quod obiicitur in contrarium, ſoluit per diſtinctionem neceſſitatis in ſenſu compoſito, vel diuiſo. Et aſſignans rationem, quare præſcientia, & prædeſtinatio non imponat neceſſitatem rebus contingentibus, & liberis, dicit eam eſſe; quia *Deus nihil futurum poteſt intelligere, vt futurum, ſed vt præſens ſua æternitati; ſed res cùm præſentes ſunt, neceſſariæ ſunt, quia omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe: ideo licet intelligat omnes actus noſtros; non imponet* eis

eis neceſſitatem; licet non poſſint aliter euenire, quàm ipſe cognouit, quia ipſe cognoſcit eos, vt præſentes, cùm omnia præſentia ei ſint, tũ æternitas coexiſtat omnibus: & quia iam ipſi in præſenti determinati ſunt ad vnum modum, & non poſſent aliter ſe habere, quàm habet intellectus diuinus, neceſſariò, & infallibiliter intellectus non imponit eis neceſſitatem, quam iam in eis inuenit ex conditione præſentialitatis. Et hoc modo ſaluatur libertas, & neceſſitas, atque infallibilitas cognitionis diuinæ. Quibus verbis recurrit ſicut & S. Thomas, & Thomiſtæ ad actualem exiſtentiam, & præſentiam realem futurorum contingentium in menſura æternitatis, vt concordet infallibilitatem ſcientiæ, prouidentiæ, & prædeſtinationis diuinæ cum libertate, & contingentia rerũ, quæ futuræ ſunt in propria menſura, quam tamen exiſtentiã negant auctores ſententiæ, quã impugnamus, vt *lib.1.c.5.& diſp.*8.*de Auxiliis* oſtenſum eſt: Et §.*Reſpondendum*, occurrens cuidam obiectioni, ſubdit: *Eſſe prouidentiam futurorum, & nihil efficere includit contradictionem, quia neceſſe eſt, vt hoc dato, vel prouidentia non ſit firma, nihil differens ab humana opinione, vel ſi firma eſt ſcientia, non poterit quod iudicatum eſt, aliter euenire, quàm iudicatum eſt, & ſic falſum eſt, quòd prouidentia nihil operetur. Non eſt igitur aliquis modus tollendi ambiguitates iſtas, niſi ponendo Deum omnia intelligere, vt præſentia, & ibi eſſe neceſſitatem, tam ex parte intellectionis, quàm ex parte rerum intellectarum.*

Accedit, quod idem Abulenſis *quæſt.*14. *ſuper idem caput* 11. *Ioſue* reprobat ſententiam, quæ aſſerit, non ideò res futuras eſſe, quia cognoſcuntur

tur à Deo : ſed è conuerſo, ideò Deum cognoſcere res futuras, etiam contingentes; quia futuræ ſunt, in quo contradicit ſententiæ prællegati auctoris, & defendit noſtram.

In *quæſtione autem* 36. *in caput* 18. *Matthæi*, explicat illud: *Neceſſe eſt, vt veniant ſcandala*, cuius occaſione mouet quæſtionem: vtrum prædeſtinatus poſſit damnari, vel præſcitus ſaluari, & ait: *Solet dici, quòd in ſenſu diuiſo eſt verum, non autem in ſenſu compoſito.* Et in diſcurſu quæſtionis multa dicit circa prædeſtinationem, quæ diſcutere, non eſt præſentis loci. Hoc vnum pro certo habet, nullum alium eſſe modum concordandi libertatem arbitrij cum immobilitate, & infallibilitate prædeſtinationis diuinæ, niſi recurrendo ad actualem exiſtentiam, quam habent in menſura æternitatis, ſecundùm quem ſtatum ſecum afferunt neceſſitatem ex ſuppoſitione, qua omnis res dum eſt, neceſſe eſt eſſe. Sed hæc neceſſitas neceſſariò præſupponit in ſigno rationis abſolutum, & efficax decretum voluntatis diuinæ, à quo neceſſariò dependet actualis exiſtentia, quam res habent tam in æternitate, quàm in propria menſura, vt ſupra dictum eſt. Sentit ergo concordari non poſſe per ſcientiam mediam, vt vult Auctor. LXII. *Matt.* 18.

Denique *in quæſt.* 175. inquirit; An poſſit homo ſine gratia velle bonum. Et reſpondet dicendum: *Quòd natura hominis poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo in ſui integritate. Alio modo ſecundùm quod eſt corrupta poſt peccatum primi parentis: ſecundùm autem vtrumque ſtatum natura humana indiget auxilio diuino ad faciēdum quodcumque bonum, & volen*

& volendum ſicut primo mouente, & cauſſa vniuerſali ſine qua impoſſibile eſt prorſus aliquam operationem eſſe. Velle tamen, aliquid eſt: ergo velle non eſt hoc modo ſine Dei auxilio in quocunque ſtatu naturæ ſiue integræ ſiue lapſæ, ſiue reparatæ, vt erit poſt reſurrectionem. Ex hoc autem apparet, quomodo Deus habeat quandam poteſtatem ſuper volitionem noſtram non tollendo nobis libertatem, neque impediendo eam, Prou. 21. *iuxta illud* Prouerbior. 21. *Cor Regis in manu Domini, & quocumque voluerit, vertet illud.* Et reſpondens ad argumentum potiſſimum ſententiæ contrariæ, nam homo eſt poſitus in manu conſilij ſui, & *eſt Dominus actuum ſuorum, & maximè huius, quod eſt velle. Ergo poterit per ſeipſum ſine aliquo auxilio gratiæ facere bonum. Reſpondet: ex hoc non ſequi, quod ad volendum, aut nolendum non moueatur ab alio:* ſcilicet à Deo, vt inferiùs explicat. Et in toto diſcurſu quæſtionis explicat iuxta doctrinam Sancti Thomæ qualiter homo indigeat auxilio Dei mouentis ad operandum bonum, tam in natura integra, quàm in natura lapſa, ſiue illud bonum ſit naturalis, ſiue ſupernaturalis ordinis, in quo apertè ſentit nobiſcum.

LXIII. *Explicatur Abul.* Vnum autem verbum dicit ibi Abulenſis, quod indiget explicatione: ait enim; *Quando propoſitis ambabus partibus contradictionis, Deus facit, quod vna earum eligat, non quidem id facit determinando liberum arbitrium ad hoc, & diſtrahendo ab illo, quia iſtud eſſet contra conditionem libertatis, & nihil relinqueretur libero arbitrio, per quod eſſet liberũ.* Quibus verbis negare videtur, Deum determinare liberum arbitrium ad hoc, vel illud. Sed intelli

intelligendus eſt, ſi Deus ita prius voluntatem determinaret, vt voluntas in eodem inſtanti temporis non ſe determinaret per iudicium rationis indifferens ad volendum idem obiectum; talis enim determinatio eſſet abſque vſu libertatis. Deus autem non ſic determinat liberũ arbitrium, ſed medio iudicio rationis indifferenti. Determinatio autem, quæ fit hoc modo implicat contradictionem, quod fiat abſque vſu libertatis, quantumuis efficaci motione præmoueatur à Deo faciente, vt ſe liberè determinet, vt *lib.* 4. *cap.* 2. patebit. Hæc explicatio colligitur ex eodem Abulenſ. *quæſt.* 81. *ſuper cap.* 11. *Ioſue.* Vbi pertractans quæſtionem, vnde proueniat, quod ex duobus gratia Dei pulſatiua præuentis, vnus efficaciter moueatur, alter non: vnus conuertatur, & ſaluus fiat, alter non item. Vim difficultatis præſentiens ait: *Ad hoc iam difficilius eſt reſpondere, quoniam abſcondita ſunt ab oculis noſtris ſoli Deo perfecta ſeruata cognitione horum, quæ circa nos agere velit.* Et infra reſoluens quæſtionem ſubdit: *Reſpondendum eſt, huius ſolam cauſſam eſſe diuinæ voluntatis beneplacitum, nec poteſt peccatorum magnitudo aſſignari cauſſa; quia multi ſunt in vita æterna, qui valde grauius peccauerunt multis, qui in gehenna tenentur. Sed illi ad extremum gratia pulſatrice proficiente in eis conuerſi ſunt: alij verò in malo permanentes in gehennali incendio mancipati ſunt: Deus tamen in hoc differendi rationem ex ſeipſo ſumit. Nam quoſdam ex infinita largitate ſua prædeſtinauit ab æterno eſſe conformes imagini filij eius ad Roman.* 8. *& iſti licèt in plurima mala inci-*

derint, ſaluantur; quia Deus illis gratiam pulſantem exhibet ſufficientem: alij verò ſunt, quos Deus non eligit, & hi quamquam aliquando moueantur ab eo efficaciter, tamen non ſemper, ſed ad vltimum non mouentur, prædeſtinati autem mouentur. Sic

Act. 13. *Actorum* 13. *capite cùm prædicarent Paulus, & Barnabas inter gentes dicitur: Et crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Quaſi dicat: Cæteri non crediderunt, quamquam prædicaretur eis, quia non erat gratia motiua, quæ eos fortiter vrgeret.* Per gratiam autem motiuam, quæ fortiter vrget, intelligit præuenientem gratiam efficacem, quæ vt eſt inſtrumentum abſoluti decreti Dei volentis hominem, cuius cor mouet, ad ſe conuertere, fortis eſt, & virtutem participat ab eodem decreto. Vnde Sanctus Cyrillus *lib. de adoration. & cultu in ſpiritu, & veritate.* idem auxilium efficax appellat fortius auxilium, vt *diſputatione* 71. *de Auxiliis num.* 10. viſum eſt.

***Ad** Capr.*
***Ad** Auctores tertij ordinis.*

In tertio ordine allegat Auctor pro ſua ſententia Capreolum *in* 1. *diſtinct.* 38. *quæſtion.* 1. *art.* 1. *ad* 2. *contra quartam concluſionem.* Vbi conatur oſtendere, præmotionem cauſſæ primæ in ſecundam non eſſe aliud, quàm comitantem Dei concurſum, in quo ſolùm poteſt eſſe prioritas ordinis, quæ ſicut non eſt realis, nec actus libertati officit, ita voluntatem non prædeterminat. Et 2. *diſtinct.* 28. *quæſtion.* 1. *articul.* 3. *ad* 12 *contra ſecundam concluſionem*, vbi ex Gregorio refert duos modos, quibus Deus voluntatem noſtram in operationibus iuuat. Primus eſt efficiendo ſimul cum illa idipſum, quod facit

cit voluntas : ſecundus applicando , & præmouendo voluntatem motione aliqua ſpeciali, quem ſecundum modum dicit pertinere ad auxilia gratiæ.

Sed certè Capreolus multis in locis expreſsè docet noſtram ſententiam, & contrariam impugnat. Et *in 2. ſentent. diſtinct. 1. quæſt. 2. articul. 1. circa finem concluſ. 6. circa finem articuli,* ſic ait : *Deus eſt cauſſa non ſolùm creaturæ, ſed etiam cuiuſlibet actionis creaturæ quatuor modis. Hanc ponit Sanctus Thomas de potentia Dei quæſtione tertia articulo ſeptimo, dicens : Non eſt ſic intelligendum, quòd Deus in omni re naturali operetur, quaſi res naturalis nihil operetur : ſed quia in ipſa natura, vel in voluntate operante Deus operatur.* Et enumerat quatuor illos modos, quibus Sanctus Thomas *articulo ſeptimo citato* ait : Deum operari in omni operante. Primò, *quia tribuit ei virtutem operandi.* Secundò, *quia conſeruat eius virtutem.* Tertiò, *vt mouens, & applicans virtutem ad agendum.* Quartò, *ſicut agens principale eſt cauſſa actionis inſtrumenti.* Et paucis interiectis concludit: *Sic igitur Deus eſt cauſſa cuiuſlibet actionis, prout quodlibet agēs, eſt inſtrumentum diuinæ virtutis operantis.* Et paulo inferius. *Sic igitur Deus eſt cauſſa cuiuſlibet actionis in quātum dat virtutem agendi, & in quantum conſeruat eam, & in quantum applicat actioni, & in quantum eius virtute omnis alia virtus agit. Et cùm coniunxerimus his, quòd Deus ſit ſua virtus, & quòd ſit intra quamlibet rem non ſicut pars eſſentiæ, ſed ſicut tenens rem in eſſe, ſequitur, quòd ipſe in qualibet operatione operetur immediatè non excluſa operatione volūtatis, & naturæ.*

Quo nihil potuit dici clarius pro noſtra ſententia: nam applicatio actualis, qua Deus applicat liberum arbitrium ad operandum, ſicut artifex applicat inſtrumentum ordine rationis, & cauſſalitatis præcedit cooperationem liberi arbitrij, & Deus per talem applicationem efficit, vt ipſum arbitrium ſe liberè determinet ad operationem illam, ad quam mouetur à Deo, quod tamen eſt expreſſe contra præallegatum auctorem. Et in *eodem 2. lib. Sententiar. diſt. 28. quæſt. 1. art. 3. poſt medium in ſolut. ad arg. 12. Greg.* expreſſius docet noſtram ſententiam. Sic enim ait: *Quòd Deus iuuat nos immediatè ipſum actum efficiendo, & quòd non ipſe ſolus efficit actum: ſed etiam voluntas coëfficit. Sed vt iam tetigi, non ſolùm iuuat Deus ad bonum velle partialiter coëfficiendo, qui eſt modus communis, quo concurrit ad cuiuſlibet agentis creati effectum quemlibet, vt in argumento dicebatur: ſed etiam quodam modo ſpeciali, videlicet faciendo ipſam voluntatem partialiter concurrere: ita quod ipſa voluptas partialiter concauſſat applicata, & quaſi inſtrumentaliter mota à Deo adſu partialiter concauſſandum. In qua tamen motione ipſa non neceſſitatur, ſed inſtrumentum liberum exiſtens, in cuius poteſtate eſt ſequi motionem agentis iuuatur: ita vt agat ea quæ non ſic adiuta, nequaquam agere potuiſſet.* Et ſtatim probat hanc eſſe doctrinam Sancti Auguſtini *libro de gratia, & libero arbitrio,* vbi explicans qualiter Deus quæretur in nobis velle, ait: *Certum eſt nos velle, cùm volumus, ſed ille facit, vt velimus bonum, de quo dictum eſt: Præparatur voluntas à Domino, de quo dictum eſt, qui operetur in nobis velle. Certum eſt nos facere cùm*

facimus

facimus, ſed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dicit: faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis, & faciatis. Item paulo poſt: *Ipſe vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apoſtolus: Certus ſum, quoniam qui operatur in nobis opus bonum, perficiet vſque in diem Ieſu Chriſti. Vt ergo velimus ſine nobis operatur. Cùm autem volumus, & ſic volumus, vt faciamus, nobiſcum operatur, cùm ſine illo; vel operante, vt velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nil valeamus.* Hæc ipſe. *Per quæ verba, ſi bene conſiderentur, patet, eum diſtinguere duplicem Dei modum operandi circa bonum velle noſtrum. Vnus eſt ſibi proprius, in quo voluntas noſtra non cooperatur, vtpote facere nos velle. Ideò ait: Vt ergo velimus ſine nobis operatur: ſine nobis inquam operantibus, vt ſcilicet velimus: quia licet voluntas velit, & cauſſet volitionem: non tamen facit ſe velle, aut cauſſare volitionem. Nec tamen quia Deus facit; ideò ipſa non cauſſat, ſed potius ideò cauſſat. Et propterea ad illud excludendum Auguſtinus in de correptione, & gratia capit. 2. de filiis Dei, de quibus ait Apoſtolus, quòd Spiritu Dei aguntur, inquit: Aguntur enim vt agant, non vt ipſi nihil agant. Alius eſt modus ſibi, & voluntati communis, ſcilicet cauſſare volitionem. Ideò ait: Cùm volumus, nobiſcum operatur: & quia vtrumque nobis neceſſarium eſt; nec alterum tamen ſufficit ad bene velle, ideo addit: tamen ſine illo operante, vt velimus, &c.* In quibus duobus locis Capreolus expreſsè fatetur, Deum præmouere, & applicare cauſſas ſecundas ad operandum, ſicut

Prou. 6.

Philipp. 2.

artifex applicat inſtrumentum præuia motione actuali efficiendo, vt concurrant cum eo ad operationes conformes ſuæ naturæ, quod eſt eas prædeterminare, & explicat, & defendit in hac parte ſententiam Sancti Auguſtini, & S. Thomæ, quæ autem fuerit mens vtriuſque Sancti Doctoris *diſputation.* 18. 22. 23. *&* 91. *de Auxiliis*, *&* *in toto diſcurſu eiuſdem operis* oſtenſum eſt.

Neque in loco inducto pro ſentẽtia contraria vllo modo fauet illi, ſed potius noſtræ. Nam in *eodem articul.* 1. *concluſ.* 2. ait: Quòd *radix contingentiæ eſt diuina voluntas*, quod probat ex Diuo Thoma 1. *parte quæſtion.* 19. *artic.* 8. *&* *de veritate quæſtion. vigeſima tertia, articulo quinto*, & adducit eius formalia verba, & ea confirmat, inter quæ ſunt illa *articuli octaui allegati. Cùm igitur diuina voluntas ſit efficaciſſima, non ſolùm ſequitur, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed etiam quòd eo modo fiant, quo Deus fieri vult. Vult autem Deus quædam fieri neceſſariò, & quædam contingenter.* Et argumenta, quæ in contrarium obiiciuntur, diſſoluit, & in ſolutione ad tertium Aureoli contra eamdem concluſionem ait, quòd Dei cognitio, & cognitionis certitudo ſit prior rebus creatis. Et infra in ſolutione ad primum Scoti docet; quòd ideæ diuinæ, prout determinantur per liberum actum diuinæ voluntatis, repræſentant rerum exiſtentias iuxta mentem S. Thomæ. Sic enim ait: *Idea licet naturaliter repræſentet quidditates rerum creabilium, tamen earum exiſtentias repræſentat ſecundùm arbitrium voluntatis.*

Et

Et ex conceſſis ab arguente deſumitur efficax argumentum contra illum. Ipſe enim fatetur, quòd Capreolus in illa ſolutione allegata ad 12. docet, Deum applicare, & præmouere voluntatem motione aliqua ſpeciali per auxilia gratiæ. Ergo tenetur concedere, quòd iuxta ſententiam Capreoli cohæreat libertas arbitrij cum tali præmotione, & applicatione, per quam determinat voluntatem, & efficit, vt piè operetur. Ergo ex eo, quòd præmoueat, & applicet voluntatem per concurſum generalem ad actus liberos naturalis ordinis, non ſequitur, quòd tollatur libertas arbitrij, vel actualis vſus illius impediatur. *Ad Capr.*

Secundus Thomiſta, qui allegatur pro ſententia contraria, eſt Conradus 1.2. *quæſtion.* 80. *art.* 1. *ad* 3. vbi expreſsè dicit, voluntatem ſe ipſam determinare ad bonum particulare per conſilium rationis. Sed hic locus nihil iuuat, nam in *illa ſolut. ad* 3. quam explicat Conradus, hæc habet S. Thomas: *Deus eſt vniuerſale principium omnis interioris motus humani: ſed quòd determinetur ad malum conſilium voluntas humana, hoc directè quidem eſt ex voluntate humana, & à diabolo per modum perſuadentis, vel appetibilia proponentis.* Vbi loquitur de malo conſilio, ad quod non determinatur à Deo quia eſt peccatum; ſed ſola voluntas eſt, quæ ſe determinat. In actibus autem bonis, & liberè ſe determinat in actu ſecundo & prædeterminatur à Deo, qui per motionem præuiā efficit, vt ſe liberè determinet: ſicut etiā voluntas ſe mouet mota à Deo, quia non eſt ſimpliciter ſe mouens, nec primum *Ad Conrad.*

Digitized by Google

ſe determinans.

Tertius Thomiſta, qui allegatur in fauorem ſententiæ contrariæ, eſt M. Sotus *lib.* 1 *.de natura, & gratia cap.*16. ſed abſque vllo prorſus fundamento. Nam in eodem capite expreſsè docet noſtram ſententiam, quam latius proſequitur *eodem libro capit.* 18. Cuius verba adducta ſunt à nobis ſuperius *lib.* 1. *numer.* 28. Nec obſtat, quòd in *eodem cap.*16. aſſerit, *Deum ſua efficaci voluntate non inferre vim noſtris.* Hoc enim, & nos fatemur, quia Deus prædeterminatione ſuæ voluntatis non efficit, quod voluntas operetur per vim, inferendo illi abſolutam neceſſitatem operandi, ſed facit, quod per iudicium rationis indifferens ſe liberè determinet, vt ſupra dictum eſt. Hæc quo ad Doctores tertiæ claſſis. Reliquum eſt, vt examinemus, & expendamus teſtimonia doctorum, qui allegantur in quarta claſſe, inter quos multi non obſcurè fauent noſtræ ſententiæ, vt in ſequentibus patebit.

Vualdenſ. *Io. Roffenſ.* *Io. Driedo.* *Ruar. Tap.* *Alphonſ. de Caſtro.*

Doctores, qui allegantur contra noſtram ſententiam in quarto ordine, ſunt; Vualdenſis *lib.*1.*doctrinal.fid.cap.*2 3.*& ſequen.* Ioannes Roffenſis martyr *art.*36. Ioannes Driedo *de captiuitate, & redemptione generis humani tract.*4.*cap.*2. *& tract.*5.*cap.*4. Ruard. Taper. *art.*7. *contra Luther. pag.* 207. *&* 223. Alphonſus de Caſtro *lib. aduerſus hæreſes, verbo Gratiæ, hæreſi prima*; *& verbo Libertas, hæreſi etiam prima*, & alij, qui dicunt humanam libertatem propter diuinæ gratiæ efficaciam nihil lædi. Sed reſpondetur, ex hoc antecedenti, quod certiſſimum eſt, nihil

ſequi

ſequi contra noſtram ſententiam: qualis enim, & quàm ſit fallax iſta conſequentia, iam ſupra oſtenſum eſt.

Addo plures ex præallegatis auctoribus,non modicum fauere noſtræ ſententiæ, ſed præſertim Thomam Vualdenſ. vt patet ex eius verbis adductis ſupra *lib.*1.*cap.* 1.*nu.*31.Idem dicendum de Driedone, & Ruardo Taper,vt in *eodem cap.* 1.*n.*30.31. viſum eſt, & Roſſenſi. Nam in *eodem art.* 36.vbi cum S.Aug. docet, *Deum mouere voluntatem, & eam inclinare, & vertere,quo voluerit, abſque præiudicio libertatis*, fatetur etiam cum immutabili prædeſtinatione diuina circa ſingulares actus hominis optimè componi eorum contingentia.

Alfonſus de Caſtro *verbo Gratia, hæreſi* 1. diſtinguit triplicem libertatem. *Prima eſt libertas à culpa. Secunda eſt, quæ opponitur contra ſeruitutem miſeriæ. Tertia libertas eſt,quæ opponitur contra neceſſitatem, aut verius coactionem; quoniam aliqua neceſſariò ſunt,vt gratia exempli,productio Spiritus ſancti, dilectio mutua perſonarum diuinarum quæ liberè fiunt,quamuis neceſſariò, non tamen ex coactione, aut violentia, quæ non nituntur in oppoſitum. Ab hac libertate vocamus hominis arbitrium liberum.* Vbi apertè loquitur de neceſſitate abſoluta, non verò de neceſſitate infallibilitatis, aut conſequentiæ,vt patet ex ipſis exemplis, quæ adducit, & ex his,quæ dicit in eo loco. Vbi impugnans errorem Pelagij multa docet, quæ non modicum fauent noſtræ ſententiæ, & adducit Concilium Mileuitanum c.4. Vbi ſic definitur: *Quiſquis dixerit eandem gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum*

Ad Alfonſi de Caſtro.

Digitized by Google

minum noſtrum propter hoc tantùm nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipſam nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, vt ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit. Vbi iuxta mentem Concilij docet, gratiam Dei per Ieſum Chriſtum dupliciter nos adiuuare ad non peccandum, & operandum bonum. Primò, quia per ipſam reuelatur nobis quid facere debeamus, quod pertinet ad motionem moralem. Secundò præſtat, vt facere diligamus, quæ facienda cognouimus, quod fit per motionem, & cauſſalitatem phyſicam. In verbo autem *libertas* eandem repetit diſtinctionem de triplici libertate, & explicans illam, quæ pertinet ad naturam liberi arbitrij: *alia*, inquit, *eſt adhuc libertas, quæ opponitur neceſſitati, vel, vt verius dicam, coactioni. Quando ergo dicimus hominis arbitrium eſſe liberum, de hac libertate intelligimus; ita vt ea ratione dicamus illud eſſe liberum, quod videlicet cum operatur, poteſt non operari, & cum nihil operatur, poteſt operari.* In quo nihil aliud docet, nisi hominem eſſe liberi arbitrij, quod omnes Catholici concedunt; ex quo nihil deducitur contra noſtram ſententiam, vt ſupra dictum eſt.

Vtrum virtute gratiæ efficacis ſequatur neceſſariò conſenſus voluntatis neceſsitate ex ſuppoſitione, ſiue infallibilitatis, quæ aliàs dicitur neceſsitas conſequentiæ.

CAPVT II.

QVIDAM partem defendunt negatiuam, exiſtimant enim, infallibilitatem futuræ cooperationis arbitrij cum gratia præueniente fundari tanquam in prima radice, in præſcientia illa media, qua, vt aiunt, Deus præſcit liberum arbitrium eſſe conſenſurum ex hypotheſi, quod in talibus circumſtantiis, tali gratia excitaretur: & conſequenter affirmant, quòd ſublata hac præſcientia, neque ex decreto diuinæ voluntatis, neque ex virtute aliqua auxilij efficacis præuenientis gratiæ eſt infallibile, quod liberum arbitrium conuertetur; neque etiam eſt neceſſarium neceſſitate conſequentiæ, vel ex ſuppoſitione eiuſdem auxilij, quod conuertatur. I.

Probant hanc ſententiam, nam Caluinus vt ex capite efficacis gratiæ liberum arbitrium deſtrueret, conſtituit decretum Dei abſolutum prædeterminans humanas actiones; & gratiam ita efficacem, vt hac poſita neceſſariò voluntas piè operetur, & conſentiat; non ſuapte natura, ſed ex ſuppoſitione eiuſdem decreti diuini, & gratiæ II. *Caluinus.*

& gratiæ efficacis. Etenim *lib.5. de lib. arb. contra Pighium, pag.*304. ſic ait: *Proinde efficaciter formari voluntatem noſtram conſtituo, vt Spiritus Sanctus ductum ſequatur neceſſariò, non autem incitare dumtaxat, vt valeat, ſi velit.* vbi illud verbum, *ſequatur neceſſariò*, neceſſitatem dumtaxat importat conſequentiæ. Et *lib. 2. de lib. arb. contra Pighium pag.* 236. §. *tertium argumentum*: *Dicimus* (inquit) *Deum mundo praeſſe, quem condidit, nec modò rerum euentus habere in ſua poteſtate, ſed hominum etiam corda gubernare, voluntates flectere pro ſuo arbitrio huc, atque illuc, actionum eſſe moderatorem, vt nihil tandem, niſi quod decreuit, efficiant, quidquid conentur. Proinde quæ fortuita maximè videntur, ea dicimus fieri neceſſariò, non ſuapte natura: ſed quoniam æternum, ac ſtabile Dei conſilium in illis gubernandis regnat.* Quibus verbis neceſſitatem ſolùm ex ſuppoſitione diuini decreti abſoluti conſtituit, à quo prouenit, vt voluntas flectatur huc, atque illuc, ne aliud, quàm quod determinatum eſt, efficiat. Si dicatur Caluinum conſtituiſſe in humanis actibus neceſſitatem abſolutam prouenientem ex decreto Dei abſoluto, & gratia efficaci, & non ſolùm neceſſitatem conditionatam, quæ eſt neceſſitas ſecundùm quid non obſtans libertati, contra hoc eſt

Secundum arg. Nam *lib. 1. Inſtitutionum c.16. §.9. Quod ſtatuit Deus* (inquit) *ſic neceſſe eſt euenire, vt tamen nec præcisè, nec ſuapte natura neceſſarium ſit. Exemplum in Christi oſſibus familiare occurrit, cùm induerit corpus noſtro ſimile, fragilia fuiſſe eius oſſa, nemo ſanus negabit, quæ tamen frangi fuit impoſſibile. Vnde iterum videmus, non temerè in ſcho-*

lis

lis inuentas fuiſſe diſtinctiones de neceſſitate ſecundum quid, & abſoluta, item conſequentis, & conſequentiæ. Idem ferè eiſdem verbis dicit *lib. de æterna Dei prædeſtinatione contra Pighium pag. 940. §. quod Deus,*. Vbi etiam excludit fatum ab humanis actionibus, & omnia refert ad liberam Dei volũtatem. *Valeant igitur, cum ſuo fato Stoici, nobis libera Dei voluntas omniũ ſit moderatrix.* Et infra: *Sic euenire neceſſe eſt, quod ſtatuit Deus, vt tamen nec præcisè, nec ſuapte natura neceſſarium ſit.* Vbi in ſolo decreto Dei fundat neceſſitatem prædictam humanorum actuum. Et explicans qualis ſit hæc neceſſitas, ſubdit: *Nec verò quod à receptis loquendi formis de neceſſitate ſecundùm quid, & abſoluta, item cõſequentis & conſequentiæ abhorream.* Vbi ſolùm videtur ſtatuere in humanis actionibus neceſſitatem conſequentiæ, & ſecundùm quid comparatione decreti diuini, non autem abſolutam, ſeu naturalem, quæ deſumitur ex cauſſa propria; id quod apertè explicat exemplo oſſium Chriſti, dum ait: *Si in Chriſti oſſibus naturam conſideres, fragilia erant. Sin verò illud Dei decretum, quod ſuo tempore manifeſtatum fuit, nihilominus fracturæ obnoxia erant, quàm humanis ærumnis Angeli.*

De hac difficultate egi ex profeſſo *diſput. 25. de Auxiliis,* nunc autem ſatisfaciendum eſt obiectioni propoſitæ, aliquas propoſitiones ſtatuendo, quæ in quocumque auctore inueniantur, negari non debent à Catholicis, neque poſſunt.

Prima propoſitio. Deus ab æterno prædeter- III.
minauit

Prædeterminati ſunt à Deo omnes actus boni.

minauit abſoluto, & efficaci decreto omnes actus bonos,qui in tēpore fiunt,eos præſertim, per quos prædeſtinati ad vitam perducuntur æternam. Hæc propoſitio latiſſimè à nobis probata eſt *capite præcedenti*, *& diſp.* 22. *de Auxiliis*, nunc autem ſupponenda eſt ex ibi dictis, quoniam neceſſaria eſt ad præſentis dubitationis ſolutionem.

Secunda propoſitio. Eiuſmodi decretum Dei abſolutum non præiudicat vllo modo libertati voluntatis creatæ, ſed potius illam roborat, & perficit. Hæc etiam propoſitio probata eſt, & explicata *diſput.* 22. *de Auxiliis num.* 25. *&* *diſp.* 115. *&* 116. Vbi de libertate creati arbitrij egi ex profeſſo. Eandem propoſitionem probat S. Thomas 1. *par. q.* 19. *art.* 8. vbi ad efficaciam diuinæ voluntatis refert, quòd voluntas creata liberè exequatur ea, quæ Deus liberè per eam fieri voluit.

S. Thom.

Ex Dei abſoluto decreto ſequitur infallibiliter actus prædefinitus.

Tertia propoſitio. Virtute decreti abſoluti voluntatis diuinæ, quo Deus præordinauit, vt per liberum arbitrium fiat talis actus, tali tempore, & cum talibus circunſtantiis, neceſſariò ſequitur neceſſitate dumtaxat conſequentiæ, & infallibilitatis, quod liberum arbitrium eliciat eundem actum. Propoſitio eſt expreſſa Sancti Thomæ 1. *parte quæſt.* 19. *artic.* 8. *ad* 1. vbi explicans dictum illud Auguſtini *in Enchirid. ad Laurentium*, *cap.* 103. *Nullus fit ſaluus, niſi quem Deus voluerit ſaluari, & ideo rogandus eſt, vt velit, quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit*, inquit, *quòd per illud verbum Auguſtini intelligenda eſt neceſſitas in rebus volitis à Deo, non abſoluta, ſed conditionalis.*

ditionalis. Neceſſe eſt enim hanc conditionalem veram eſſe, ſi Deus hoc vult, neceſſe eſt hoc eſſe. Idem docet *2. 2. q. 24. ar. 11. in corpore, & 12. q. 112. art. 3. in corp.* Item etiam *in 1. ſententiarum diſt. 47. quæſt. vnica, art. 1. ad 2.* ait: *Quamuis voluntas Dei ſit immutabilis, & inuincibilis, non tamen ſequitur, quòd omnis effectus eius ſit neceſſarius neceſſitate abſoluta, quam habet res à ſua cauſſa proxima; ſed ſolùm neceſſitate conditionata; ſicut & de præſcientia dictum eſt.*

Secundò probatur, vt ſæpè docent S. Auguſtinus, & S. Thomas liberum arbitrium creatum non poteſt reſiſtere voluntati diuinæ, quo minus fiant ea, quæ Deus fieri vult, & eo modo, quo vult. Ergo ſi Deus vult abſoluto decreto, quòd Petrus, verbi gratia, tali tempore liberè conuertatur, infallibiliter conuertetur, & liberè; aliàs reſiſteret voluntati diuinæ, & impediret ne ſequeretur effectus quem Deus voluit, vt fieret: quod repugnat verbis Pſalmiſtæ: *Omnia, quæcumque voluit, Dominus fecit in cœlo, & in terra. Quod vtique* (vt ait Auguſtinus) *non eſt verum, ſi aliqua Deus voluit facere, & non fecit, & quod eſt indignius, ideo non fecit, quia ne fieret quod volebat omnipotens voluntas hominis impediuit.* Ergo ex decreto diuino quo ſtatuit, vt talis actus liber fiat per liberum arbitrium, per euidentem conſequentiam ſequitur, quòd ille actus fiet. Ergo ille actus erit neceſſarius neceſſitate conſequentiæ & infallibilitatis. IV. *S. Thom.*

Tertiò probatur, quia, vt ſupra oſtenſum eſt, non ſtant hæc duo, nec ſtare ſimul poſſunt, quòd Deus velit decreto abſoluto, vt liberum arbi-

trium eliciat talem actum, & tamen illum non eliciat. Ergo poſito, quòd Deus voluit decreto abſoluto, & efficaci, vt Petrus tali tempore conuertatur, neceſſariò conuertetur neceſſitate conſequentiæ, & infallibilitatis; aliàs profectò ſtarent ſimul illa duo & conſequenter voluntas Dei eſſet inefficax, & inualida, quod eſt inconueniens.

V. Quarta propoſitio. Poſito in libero arbitrio auxilio Dei efficaci virtute eiuſdem auxilij, ſequitur neceſſariò neceſſitate conſequentiæ, ſeu infallibilitatis, quod liberum arbitrium cooperetur. Concluſio eſt etiam Sancti Auguſtini *lib. de corrept. & gratia cap.* 11. vbi ait: *Subuentum eſt infirmitati volũtatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur.* Idem dicit S. Thomas. 1. 2. *q.* 112. *artic.* 3. vbi ait, *quòd præparatio ad gratiam ſecundùm quod eſt à Deo mouente, habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non poteſt.* Quibus verbis tribuit auxilio efficaci virtutem quandam intentionalem (cuius meminit *quæſt.* 3. *de potent. art.* 7. *ad* 7. Ex qua prouenit, quòd liberum arbitrium neceſſitate infallibilitatis operetur actum illum, ad quem à Deo mouetur, & idem docet 2. *q.* 24. *art.* 11. *in corp.*

Auguſt. *S. Thom.* *S. Thom.*

Præterea probatur ex illo Rom. 4. *Ideo ex fide, vt ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio.* Ex quò teſtimonio S. Aug. *lib. de prædeſt. Sanctorum cap.* 10. concludit, ex gratia certitudinem, & infallibilitatem piarum operationum procedere, *quia & ſi faciunt omnes bona, quæ pertinent ad colendum Deum,*

Rom. 4. *Auguſt.*

Digitized by Google

Deum, ipſe facit, vt illi faciant, quæ præcepit: non illi faciunt, vt ipſe faciat, quod promiſit. Ergo ex decreto Dei abſoluto, & ex virtute gratiæ, tanquam ex prima radice & cauſſa procedit, quòd liberum arbitrium infallibiliter operetur opus pium ad quod efficaci gratiâ mouetur à Deo: Ergo ex eadem gratia ſequitur neceſſitate conſequentiæ, quòd liberum arbitrium eliciat opus pium, ad quod mouetur.

VI.

Probatur præterea; In motione efficaci, quâ Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur operatur, continetur intentionaliter, virtus decreti voluntatis diuinæ, ſicut virtus artis eſt in inſtrumento moto artificis, vt conſtat ex S. Thoma *q. 3. de potentia art. 7. ad 7.* Sed ex decreto diuino ſequitur neceſſariò neceſſitate conſequentiæ vt liberum arbitrium operetur actum illum bonum præordinatum à Deo, vt concluſione præcedenti oſtenſum eſt. Ergo idem ſimiliter ſequitur ex virtute auxilij efficacis, vt eſt inſtrumentum, quo Deus ſuum decretum exequitur in tempore. *S. Thom.*

VII. *Caluini hæreſis detegitur.*

Ad obiectionem autem factam in contrariũ reſpondetur, Caluinum vt *diſ. 22. de Auxiliis nu. 3. & diſp. 92. num. 13.* dictum eſt, ex eo erraſſe, quoniam aſſeruit, neceſſitatem illam conſequẽtiæ, quæ reperitur in humanis actionibus ex ſuppoſitione decreti abſoluti voluntatis diuinæ, & ex virtute gratiæ efficacis, quâ Deus vt operemur operatur, libertatem arbitrij de medio tollere. Propter hoc enim damnatus eſt in Tridentino Concilio, non autem quia dixit; Deum per gratiam efficacem non incitare dumtaxat

voluntatem, vt valeat, ſi velit, ſed etiam efficere, vt Spiritus ſancti ductum ſequatur. Hæc enim aſſertio non eſt ex Caluino, ſed ex Auguſtino *lib. de correp. & gratia cap.* 11. & 12. & alibi ſæpe, vt ſupra dictum eſt. Similiter etiam negari non poteſt, Deum non modò rerum euentus habere in ſua poteſtate, ſed hominum etiam corda gubernare, voluntates flectere pro ſuo arbitrio huc, atque illuc, actionum ve eſſe moderatorem. Hæc enim omnia in ſacris litteris, & patribus habentur expreſſa. Dicitur enim Prouerbiorum 21. *Cor Regis in manu Domini, ſicut diuiſiones aquarum, quocumque voluerit vertet illud.* Et S. Aug. *lib. de dono perſeuerantia cap.* 8. inquit cum S. Ambroſio: *Non enim in poteſtate noſtra eſt cor noſtrum, & noſtra cogitationes: quod omnis, qui humiliter, & veraciter pius eſt, eſſe veriſſimum ſentit.* Quod dictum Ambroſij bis repetit idem Auguſtinus *capit.* 13. *eiuſdem libri.* Item etiam *lib. de gratia & lib. arbitrio cap.* 20. ait: *Scriptura diuina, ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit, non ſolùm bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis, & à ſe factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam, verùm etiam illas, quæ conſeruant ſæculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, vt eas, quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibuſdam præſtanda, vel ad pœnas quibuſdam inferendas, ſicut ipſe iudicat occultiſſimo quidem iudicio, ſed ſine dubitatione iuſtiſſimo.* Et *libro de dono perſeuerantia cap.* 6. ſic concludit: *Potens ergo eſt, & à malo in bonum flectere volunta tes, & in lapſum pronas conuertere, ac dirigere in ſibi placitum greſſum.* Et in libero de geſtis

Prou. 21.

Auguſt.

Pela-

Pelagii cõtra aduerſarios gratię D.N.I.C.ad ſanctum Aurelium Epiſcopum *c.* 3. quem librum inter ſuos refert idem Auguſtinus *lib.* 2.*Retractationum cap.* 47. impugnans Pelagium aſſerentem,omnes voluntate propria regi, ſic ait: *Nam procul dubio plus eſt agi,quàm regi. Qui enim regitur,aliquid agit,& à Deo regitur,vt agat: Qui enim agitur, agere aliquid ipſe vix intelligitur: & tamen tantùm præſtat voluntatibus noſtris gratia Saluatoris, vt non dubitet Apoſtolus dicere, Quotquot ſpiritu Dei aguntur hi ſunt filij Dei: nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere poteſt, quàm vt illi ſe agendam commendet, qui malè agere non poteſt, & hoc cùm fecerit,ab illo ſe, vt faceret,adiutam non dubitet, cui dicitur in Pſalmo: Deus meus, miſericordia eius præueniet me.* Et infra explicans illud: *Inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ, ait: Hoc enim ſpiritu, non viribus propriæ voluntatis reguntur, & aguntur qui filij Dei ſunt.* Propter quod auctor libri Hypognoſticon liberam arbitrium iumento, gratiam verò ſeſſori docet eſſe conferendum. *Sicut enim iumentum, dum in via dirigitur, ſeſſoris manu regitur, vt iter rectum, ſiue leuiter, ſeu curſim ſecundùm ſedentis in ſe voluntatem poſſit incedere, quo ad vſque ad locum perueniat deſtinatum: ita & liberum arbitrium, dum in via,id eſt, in Chriſto,quia ipſe ait,ego ſum via,veritas,& vita,cœperit eſſe,gratiæ regimine regitur,vt in ſemitis Domini recto corde, ſiue patientia charitatis,ſiue feruente ſpiritu, id eſt,ſecundum diuiſiones gratiarũ ſpiritus,qui per gratiam diuidit ſingulis prout vult,poſſit ambul. re,quoaduſquę ad*

Rom.8.

Pſal.58.

Sap.7.

Lib.3.Hypognoſticon.

Lib.arb.iumento,gratia ſeſſori aſſimilatur

Io.14.

1.Cor.2.

promiſſum regnum cœlorum perueniat: Ideo & in pſalmis ait: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Vnde & Sanctus Thomas 1. *par. quæſt.* 22. *art.* 2. *& quæſtione* 5. *de veritate articulo* 5. expreſſe docet, quòd actus humani prouidentia diuina regantur.

*Pſal.*143.

VIII. Denique voluntatem creatam, quidquid conetur, nullam actionem eſſe producturam, niſi quam Deus decreuerit, vel permiſerit docet apertè Sanctus Auguſtinus *lib. de dono perſeuerantiæ, cap.* 6. *Nihil enim fit*, inquit, *niſi quod aut ipſe facit, aut fieri ipſe permittit.* Et *in Enchiridio ad Laurentium capite* 96. *Non ergo fit aliquid niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo, vt fiat, vel ipſe faciendo.* Et Sanctus Hieronymus *libro* 3. *aduerſus Pelagianos* explicans illud Ioannis 6. *nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum*, inquit: *Quando dicit, nemo poteſt, frangit ſuperbientem arbitrii libertatem, quia etiam ſi velit ad Chriſtum pergere, niſi fiat illud quod ſequitur, niſi pater meus traxerit eum: neque quidquam cupiat, & fruſtra nitatur.* Cùm ergo ex ſacris litteris, & patribus habeatur, Deum non ſolùm incitare voluntatem, vt piè operetur, ſi velit, ſed etiam efficaciter eam mouere, vt Spiritus ſancti ductum infallibiliter ſequatur, corda hominum gubernare, voluntates flectere quo voluerit, humanarum actionum eſſe moderatorem, & nihil tandem voluntatem creatam efficere, quod prius à Deo non fuerit decretum, vel permiſſum, non eſt cur catholici timeant hęc concedere, quantumuis eiuſmodi veritates in libris hæreticorum inter peruerſa, & deteſtanda dogmata eorum reperia-

Hieron.
*Ioan.*6.

periantur inſertæ. Cauendum tamen omnibus erit à damnatis erroribus, quos per conſequentiam inualidam ex ijs, & conſimilibus veritatibus catholicis inferunt, & precioſum à vili ſeparandum, iuxta illud Prophetæ: *Si ſeparaueris precioſum à vili, quaſi os meum eris.* Cauendum eſt etiam, ne conſequentia illa hæreticorum approbetur, qua ex decreto abſoluto diuinæ voluntatis prædefinientis omnes actus bonos, qui fiunt in tempore, & ex efficacia præopetantis gratiæ intulerunt, voluntatem noſtram non eſſe liberam in ſuis operationibus, ne fortè approbando hanc conſequentiam errores hæreticorum noſtri temporis damnatis per Eccleſiam fouere videamur. Cauendum eſt denique, ne quis in dictis Caluini decipiatur, dum Stoicorum fatum excludere videtur in verbis ſuperius inductis, & contingentiam in rebus admittere. Quidquid enim ſit de hoc, certiſſimum eſt, illum libertatem arbitrij, & liberam eius electionem impugnaſſe oſtendens cum decreto Dei abſoluto & efficaci gratia cohærere non poſſe. Accedit quòd Stoici poſuerunt fatum ſeu neceſſitatem fatalem prouenire ex ſerie ipſa cauſſarum, moti hoc argumento: quia nihil eſt, quod non habeat cauſſam; poſita autem cauſſa, neceſſe eſt poni effectum: ergo. Fatum hoc tribuit Stoicis Sanctus Thomas *quodlibet. 12. articulo 4.* Alij verò poſuerunt fatum, ſeu neceſſitatem fatalem prouenire ex conſtellationibus cœleſtibus, & influxu corporum ſuperiorum, vt docet Sanctus Thomas *articulo 4. præallegato.* Et hoc fatum excluſit Caluinus, ſed tamen admiſit ne-

Ier. 15.

ceſſitatẽ fatalem humanorum actuũ prouenire ex abſoluto decreto voluntatis diuinæ. Nos autẽ neque hoc, neque illud fatum admittimus, ſed aſſerimus abſque omni prorſus neceſſitate fatali noſtrum arbitrium liberè elicere actus prædefinitos à Deo eo loco, tempore, & modo, quo prædefiniti ſunt. In quo autem conſiſtat hæreſis Caluini, & qualiter fuerit à Sacro Concilio Tridentino damnatus *capit.* 4. operoſius diſcutiendum erit. Vbi etiam agendum erit de vera intelligentia *canonis 4. & cap. 5. ſeſſion. ſexta eiuſdem Concilij*, in quo mirificè explicatur quomodo libertas arbitrij cum efficacia præuenientis gratiæ cohæreat.

Vtrum ſit conſtituenda in voluntate duplex determinatio, altera qua determinetur à Deo, altera qua voluntas liberè ſe determinet ad conuerſionem, vel piam operationem.

CAPVT III.

I. *Mag. Zumel tom. 3. variarum diſp. ad p. p. & 1. 2. ſect. 3. p. 95. in impreſ. Lugd.*

QVIDAM etiam ex his, qui gratiam efficacem phyſicè prædeterminantem defendunt, cenſent non eſſe conſtituẽdam duplicem actionem, vel determinationẽ in volũtate ſe determinante ad piã operationẽ: ſed vnicam dumtaxat, qua voluntas ſe determinat, & determinatur à Deo. Probant hoc ex S. Tho. 3. *con. gentes c.* 70. quo in loco reſpondens primę obiectioni, inquit, Eãdẽ actio-

actionem eſſe poſſe ab agẽtibus diuerſarum rationum, & per ſe ordinatis. Sic enim ait: *Sicut non eſt inconueniens, quòd vna actio producatur ab alio agẽte, & eius virtute, ita nõ eſt incõueniens, quòd producatur idẽ effectus ab agẽte inferiori, & à Deo, ab vtroque immediatè licèt alio & alio modo.* Et 1. *parte q.* 105. *artic.* 5. *ad* 2. inquit, quòd vna actio non procedit ab agentibus vnius ordinis: ſed nihil prohibet, quin vna, & eadem actio procedat à primo & ſecundo agente: Ergo eademmet actio voluntatis, ſicut per ſe ipſam, & non per aliam actionem manat à voluntate creata; ita & à Deo, & ad vtrumque dicit immediatam habitudinem, & dependentiam per ſe ipſam; nõ ergo eſt conſtituenda in voluntate duplex determinatio, ſed vnica dumtaxat in eo inſtanti, quo ad operandum ſe determinat. *S. Thom.*

II. Secundò. Si Deus produceret determinationem voluntatis in nobis phyſicè per vnam aliquam actionem diſtinctã ab alia actione; qua voluntas poſtea ſe determinat, ita vt ſint duæ actiones in quarum prima merè paſſiuè ſe habeat voluntas recipiendo determinationem hanc, ſequeretur, quòd voluntas comparatione ſuæ determinationis merè paſſiuè ſe haberet, & ita non maneret libera in actu conuerſionis, vel piæ operationis, quod tamen repugnat definitioni Concilij Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 5. & *Canone* 4. *Conc. Trident.*

Tertiò. Determinatio voluntatis conſiſtit in exitu eiuſdem voluntatis ab actu primo ad actũ ſecundum: hoc autem fit per actum liberum ab ipſa liberè egredientem, & in ea manentem,

qui actus liber eſt etiam efficienter à Deo tanquam à primo mouente,& operante. Cùm ergo eiuſmodi actus elicitus è voluntate,&à Deo productus,ſit vnus,& idem;relinquitur, quòd eadem ſit determinata qua voluntas determinat ſe ipſam,& determinatur à Deo.

III. Aduertunt autem qui hanc ſententiam defendunt, quod quamuis illa actio, quæ eſt à Deo,& à creatura,ſit vna,& eadem actio, & in ratione effectus non ſit prior ſeipſa,tamen quatenus eſt à Deo; ſi conſideratur Deus vt prius influens in voluntatem,&vt prius cauſſans ſubordinando voluntatem ſibi, ita habet prioritatem naturæ in cauſſando.Quare actio voluntatis quatenus referetur ad duas cauſſas,videlicet primam,& ſecundam,ad vtramque dicit reſpectum,& poteſt à nobis intellectu,& ratione diſtingui,ſecundùm illas habitudines,& hoc modo dicitur aliquando eſſe prior natura ex parte principij, & ex parte primæ cauſſæ, quatenus cauſſa prima prius natura cauſſat, & ſecunda dependenter à cauſſalitate primæ.Quare prima cauſſa ſic agens,& cauſſans non ſolùm eſt prior prioritate nobilitatis : ſed prioritate cauſſalitatis.

Hæc tamen ſententia ſic explicata, quamuis multa vera contineat, in quibus plurimum diſtat ab impugnatoribus gratiæ efficacis phyſicè prædeterminantis liberum arbitrium ad piam operationem,videtur tamen diminuta: & indiget maiori explicatione. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt,in hac parte nos loqui poſſe de illa determinatione, qua in actu ſecundo ſe deter-

determinat formaliter ipſa voluntas,aut verò de illa determinatione qua virtualiter,& cauſſaliter determinatur, & conſtituitur actus primus in vltimo complemento ſuæ virtutis operatiuæ, iuxta ea quę *diſp.*19.*de Auxiliis* dicta ſunt.

Notandum ſecundò,quòd quamuis Deus,& liberum arbitrium efficienter concurrant ad eandem piam operationem liberam;aliter tamẽ, & aliter eundem actum liberum efficiunt,vt ex verbis inductis S.Thom.3.*con.gen.ca.*70.colligitur,& ex his quæ *diſp.*18.*&* 22.*& duabus ſequentibus de Auxiliis* dicta ſunt.Deus enim, quia eſt ſimpliciter primum agens,operatur in nobis, & velle,& perficere,influendo prius non quidem tempore ſed prius ratione,& cauſſalitate in noſtrum liberum arbitrium, vt in cauſſam, illud præmouendo,& applicando ad piam operationem,& verè efficienter operando, vt ipſum liberum arbitrium ſic motum ſe liberè determinet: & præterea efficit immediatè cum ipſo libero arbitrio eandem piam operationem.Cæterùm liberum arbitrium,quia eſt cauſſa proxima, & ſecunda,cùm operationem piam producit, non influit prius in ſe ipſum,quàm in operationem piam.Non enim facit ſe facere,vel operari,quia licet verè efficienter, & liberè faciat,& operetur proprium velle,ſolus tamen Deus eſt qui facit,vt faciamus,& operemur,vt operatur, vt ex præmiſſis conſtat.Sit ergo

S.Thom.3. con.gen.c. 70.

*Diſp.*18. 22. *& duabus ſeq. de Auxil.*

Deus operatur in nobis velle, & perficere mouendo voluntatem & cum illa efficienter concurrendo.

Prima Concluſio. Si loquamur de determinatione,qua formaliter in actu ſecundo determinatur noſtra voluntas, ſic veriſſimum eſt, quòd vna,& eadem prorſus determinatione de-

Voluntas qualiter vna & eadem determinatione determinet ſeipſam, & determinetur à Deo.

terminatur eadem voluntas à Deo, vt à prima cauſſa efficiēte, & à ſe ipſa, vt à cauſſa proxima ſe mouente. Hanc cōcluſionem probant efficaciter argumenta primæ ſententiæ, & hoc tantùm videntur intendere Auctores illius, vt ex eorum verbis colligi poteſt.

V. Secūda Concl. Si quæſtio procedat de determinatione virtuali, in cuius virtute continetur liber influxus noſtri arbitrij, & qua poſita infallibiliter ſequitur, quòd voluntas noſtra ſe liberè determinet ad operandum, & operetur, ſic non eſt concedendum quòd talis determinatio ſit efficiēter à Deo, & à noſtro libero arbitrio; ſed affirmādū huiuſmodi determinatiōnē ſolū eſſe effectiuè à Deo. Hæc cōcluſio neceſſariò debet admitti ab aſſertorib. gratiæ phyſicè prædeterminātis, & quantū exiſtimo, nō negatur ab auctorib. primæ ſentētiæ. Et probatur. Hæc determinatio virtualis præuenit ordine rationis, & cauſſalitatis liberā operationē noſtri arbitrij: nā per illā præmouetur efficaciter ad operādū. Ergo talis prædeterminatio non procedit effectiuè ab eodē arbitrio; aliàs effectus præcederet ſuā cauſſam efficientem, quod eſt impoſſibile.

Secūdò. Illa prædeterminatio cōſiſtit in auxilio efficaci præueniētis gratiæ tribuēte, vt Aug. loquitur, vires efficaciſſimas volūtati. Sed auxiliū efficax præueniētis gratię nō pēdet effectiuè à nobis, ſed à ſolo Deo. Ait .n. ſcriptura: *Non eſt auxilium mihi in me.* Et iterum, *Auxilium meum à Domino.* Et in alio loco: *Perditio tua Iſrael, tātummodo in me auxilium tuum.* Ergo:

Oſee.12.

Tertiò. Qui producit in noſtra volūtate auxilium

liũ efficax,ſeu phyſicã eiuſdẽ auxilij prædeter-minationẽ,facit reuera vt faciam'& infallibiliter operemur:ſed noſtra volũtas,quãuis liberè operetur & velit,nõ tamẽ facit ſe velle,aut operari: ſed ſol'De'id efficit,vt ex præmiſſis cõſtat.Ergo.

Tertia cõcluſio, Si determinatio volũtatis accipiatur in quadã abſtractione, vt cõprehendit determinationẽ virtualẽ volũtatis, & formalem eius determinationẽ,aſſerẽdũ eſt eſſe duas determinationes,alterã præuiã quã virtualiter determinatur à ſolo Deo & tenet ſe ex parte vltimi cõplemẽti potẽtiç operatiuæ,vt *diſp.19.de Aux.* explicatũ eſt:alterã verò formalẽ,qua volũtas liberè determinat ſub determinatione tamen , & motione Dei,quæ in actib. ſupernaturalibus fit per gratiã efficacẽ.Hæc cõcl.ſatis cõſtat ex duabus præcedẽtib.&ex dictis *d.22.de Aux.n.*17.18. *& d. 23.n.28*.Vbi nõnulla,quç ad hãc difficultatẽ pertinẽt breuiter attingimus. Eidẽ cõcluſioni fauet multũ M.Zum. *to.* 3.*var.d.in diſcurſu de gratia efficaci prædeterminante pag.*151.vbi duplicẽ derminationẽ volũtatis conſtituit:alterã,quæ fit per auxiliũ diuinç gratiæ per modũ actus primi, alterã quç fit per cõſenſũ,&actualẽ cõuerſionẽ volũtatis per modũ actus ſecũdi inſeparabiliter vniti cũ illo cõplemẽto vltimo actus primi. Idẽ innuit *pag.*156.*§.& cõfirmatur,& p.*166 Et probatur breuiter.Determinatio prçuia,ſeu motio efficax prædeterminãs liberũ arbitriũ ad piè operãdũ tenet ſe ex parte principij operatiui tãquã cõplemẽtũ virtutis potẽtiæ operatiuæ,principiũ autẽ operatiuũ, & cõplementũ eiuſdẽ principii cõparatione actus ſupernaturalis non procedit effici-

VI. *Determinatio duplex qualiter fit in libero arbitrio.*

Zumel.

VIII.

efficienter à nobis : ſed à ſolo Deo : iuxta illud: *Gratiam,& gloriam dabit Dominus.* Rurſus , determinatio qua voluntas formaliter ſe determinat in actu ſecundo non à ſolo Deo effectiuè, ſed etiam à noſtro libero arbitrio gratia præuenienti excitato & adiuto ; ergo diſtinguenda eſt duplex determinatio voluntatis , quarum altera fit à ſolo Deo effectiuè ; non autem à noſtro libero arbitrio , altera procedat ab vtroque.

VII. Confirmatur. Per motionem præuiam gratiæ efficacis determinatur liberum arbitrium ad piè operandum : per determinationem autem, qua liberum arbitrium ſe determinat , non determinatur ipſum arbitrium ad piè operandum: ſed formaliter determinatur per ipſam operationem piam : ergo idem quod prius. Vtrum autem determinatio præuia , ſeu auxilium efficax diſtinguatur realiter tanquam res à re ab operatione libera , qua noſtra voluntas ſe determinat in actu ſecundo , an verò ſolùm diſtinguatur formaliter *diſp.* 19. *de Auxiliis num.* 7. explicatum eſt. Ad argumenta facta à principio reſpondetur quòd ſolùm probant primam concluſionem, quatenus verò contra 2. & 3. videtur procedere ſingulis eſt occurrendum.

VIII. Ad primum dicitur S. Tho. loqui de actione qua formaliter in actu exercito determinatur cauſſa ſecunda,ſed prçter hanc determinationem conſtituit motionem præuiam à ſolo Deo productam , qua in vltimo complemento actus primi determinatur cauſſa contingens, vt operetur, vt *diſp.* 22.*&* 23. *de Auxil.* viſum eſt. Vnde *q.* 3. *de potent. art.* 7. *ad* 3. ait : *Quod in operatione qua Deus*

Digitized by Google

operatur mouendo naturam, non operatur ipſa natura, quod de motione præuia intelligendum eſt, & ſimiliter dicendum ad alium locum ex prima parte inductum.

IX.

Liberum arbitrium qualiter ſe habeat actiuè, & liberè in ordine ad ſuam determinationem

Ad 2. reſpondetur, quod reſpectu determinationis, qua formaliter per actum ſecundum voluntas noſtra determinatur, habet ſe noſtrum liberum arbitrium actiuè, & liberè tanquam agens proximum pendens in eadem operatione ex præmotione Dei efficaci, vt dictum eſt. Et eiuſmodi determinatio eſt vnica dumtaxat, ſicut eſt vnica pia operatio procedens à Deo, & à libero arbitrio, vt à duobus agentibus ſubordinatis. Cæterùm comparatione præuiæ motionis auxilij efficacis, habet ſe paſſiuè; nam illud auxilium non producitur effectiuè à noſtro libero arbitrio: ſed à ſolo Deo. Cæterùm non ſe habet merè paſſiuè in ordine ad illud auxilium, quia non recipit illud tanquam inanime quoddam nihil operando ſed potiùs liberè cooperando, & conſentiendo. Sicut enim peccator, dum iuſtificatur habet ſe paſſiuè in ordine ad gratiam habitualem, qua ex peccatore fit iuſtus, eo quòd non producit illam efficienter: ſed non habet ſe merè paſſiuè, tanquam inamine quoddam; nam per actum liberi arbitrij cum auxilio gratiæ ſe diſponit ad eandem gratiam habitualem præcipiendam, vt ex Concilio Trid. conſtat: ita proportionabiliter in præſenti dicendum eſt, quòd in ordine ad auxilium efficax prædeterminans habet ſe noſtrum arbitrium paſſiuè, quatenus illud recipit à Deo, ſed non merè paſſiuè; quia recipiendo cooperatur liberè Deo vocanti, & excitanti, & liberè

Digitized by Google

berè Deo vocanti,& excitanti,& liberè coope-
rando recipit in ſe tale auxilium. Notandum ta-
men iſtam ſimilitudinem non tenere in omni-
bus; & ideo dixi, proportionabiliter loquen-
dum eſſe in præſenti de Auxilij efficacis recep-
tione, & gratiæ habitualis ſeu iuſtificantis, vi-
deantur circa iſtam ſolutionem quæ diximus *diſp. 19. de Auxil. num. 6. & diſp. 116. nu. 10.*

X. Ad tertium argumentum reſpondetur, quòd exitus voluntatis ab actu primo ad ſecundum fit quidem formaliter per actum liberum à voluntate noſtra egredientem, vt à cauſſa proxima, & à Deo ſicut à cauſſa prima: ſed tamen eiuſmodi exitus inchoatur primò à ſolo Deo, qui ſolus facit, vt faciamus, & operatur, vt operemur, dum per auxilium efficax præuenientis gratiæ, voluntatem noſtram verè efficienter mouet, vt Deo vocanti, & excitanti cooperetur. Nam ſicut dicit Concil. Arauſicanum *can. 25. In omni opere bono nos non incipimus, & poſtea per Dei miſericordiã adiuuamur: ſed ipſe nobis nullis præcedentibus meritis, & fidem & amorem ſui prius inſpirat, vt & baptiſmi ſacramenta fideliter requiramus, & poſt baptiſmum (cum ipſius adiutorio) ea quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus.* Et in Con. Trid. *ſeſſ. 6. cap. 16.* dicitur: *ille ipſe Chriſtus Ieſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in plamites in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent.*

Concil. Arauſicanum.

Conc. Trid.

Vtrum

Vtrum diſſenſus liberi arbitrii ſtet ſimul cum preueniente gratia efficaci mouente ad conſenſum.

CAPVT IV.

QVÆSTIO præſens moueri ſolet ſub aliis terminis idẽ in re ſignificantibus, Vtrum videlicet liberum hominis arbitrium excitatum, & motum à Deo auxilio efficaci præuenientis gratiæ ad conſentiendum, & piè operandum poſſit in ſenſu compoſito diſſentire, & non operari, aut exire in actum contrarium, vel ſolùm id poſſit abſolutè, & in ſenſu diuiſo. Huius difficultatis reſolutio videri poteſt in libro noſtro de Auxiliis diuinæ gratiæ *diſp.* 31. 32. 92. *& duabus ſequentibus.* Vbi iuxta mentem Sacri Concilij Tridentini, & Sanctorum Auguſtini, & Thomæ probaui, diſſenſum liberi arbitrij non poſſe ſimul ſtare cum auxilio efficaci præuenientis gratiæ mouente ad conſenſum, ac per conſequens, liberum arbitrium motum à Deo auxilio efficaci ad conſenſum non poſſe in ſenſu compoſito diſſentire, ſed ſolùm in ſenſu diuiſo, & abſolutè loquẽdo. Sicut enim cũ aſſenſu liberi arbitrij nõ poteſt ſimul ſtare diſſenſus circa idẽ obiectũ: ita etiã cũ efficaci auxilio inducente infallibiliter conſensũ nõ poteſt ſimul I.

ſtare

cente infallibiliter conſenſum non poteſt ſimul ſtare actualis diſſenſus, nam vtrobique eſt eadem repugnantia. Nunc autem aliquibus obiectionibus, quæ in contrarium militare videntur, occurrendum eſt.

Prima Obiectio. Prima igitur obiectio, quæ probare nititur, liberũ hominis arbitriũ à Deo motum, & excitatũ ad conſenſum poſſe diſſentire, non ſolùm abſolutè, & in ſenſu diuiſo, ſed etiã in ſenſu cõpoſito, eſt. Nam Caluinus, qui fuit in Cõcilio Tridẽtino damnatus, intellexit prædictã propoſitionẽ in ſenſu diuiſo, nõ autẽ in ſenſu cõpoſito. Ergo, vt eius errorem impugnemus, neceſſariò intelli- *Luther.* genda eſt etiam in ſenſu compoſito. Antecedens probatur, nam hæreticus ille ſermonem faciens de gratia efficaci *lib. 3. de libero arbitrio contra Pighium pag.* 285. ſic ait: *Præterea non eſſe eiuſmodi gratiam hanc docet Sanctus Auguſtinus, quæ illis bene agendi poteſtatem conferat, ſi velint, vt in eorum poſtea poteſtate ſit velle, ſed efficaciter ipſos promouere vt velint.* Et in Antidoto contra Concilium Tridentinum *ad can. ſeſſ. 6. pag.* 720. *&* 721. *Diſſentiet quidem à Deo hominis voluntas, quandiu erit contraria: verùm ſi in obedientia compoſita fuerit, ſublatum eſt diſſentiendi periculum.* Quibus verbis mitius videtur loqui Caluinus, quàm auctores ſententiæ contrariæ. Ille n. ſolùm dicit, nullum eſſe diſſentiendi periculum: hi verò affirmant eſſe omnino impoſſibile in ſenſu compoſito diſſentire. Item etiam in eodem Antidoto *pag.* 720. 721. allegatis ait: *Atqui eam eſſe diuinæ gratiæ efficaciam, vt ſubacta omni repugnantia ex inuitis faciat obſequentes, non ipſi ſumus auctores, ſed Dominus per Prophetam, cùm*

ſe

ſe facturum promittit, vt in præceptis eius ambulemus. Denique *libr. 3. de libero arbitrio contra Pighium pag.* 304. *Nego*, inquit, *ſic gratiam nobis conferri, vt noſtræ poſtea ſit operationis, aut obtemperare, aut refragari.* Et idem dicit *in Inſtitutionibus c. 2. num. 56. pag.* 80.

Vt autem huic, & ſimilibus obiectionibus, quæ (vt patebit infra) ſæpe repetuntur, ſatisfaciam, & peruerſitatem hæreticorum detegam, qui teſtimoniis ſcripturæ abutuntur ad ſuos errores confirmandos, præſertim in materia gratiæ, & liberi arbitrij, notandum, morem eſſe antiquum hæreticorum pelle diuina ſeipſos tegere; & ſub verbis, quibus in bono ſenſu vtuntur catholici, prauos ſenſus ſuarum hæreſum occultare, ac vera falſis permixta proponere, vt cum veritate ipſa venenum erroris illi, quos decipere conantur, imbibant. Quod & Sanctus Hieronymus *epiſcop. ad Pammachium & Oceanum de erroribus Orig.* his verbis obſeruauit: *Sic verba temperant, ſic ordinem vertunt, & ambigua quaque concinnant, vt & noſtram, & aduerſariorum confeſſionem teneant, vt aliter hæreticus, aliter catholicus audiat.* Et poſt pauca: *Credimus*, inquiunt, *reſurrectionem futuram corporum. Hoc (ſi bene dicatur) pura confeſſio eſt; ſed quia corpora ſunt cœleſtia, & terreſtria, & aër iſte, & aura tenuis iuxta naturam ſuam corpora nominantur, corpus ponunt, non carnem; vt orthodoxus corpus audiens carnem putet, hæreticus ſpiritum recognoſcat.* Et Sanctus Auguſtinus *libro ſecundo contra litteras Petiliani cap.* 77. retorquens contra Petilianum argumentum, quod

III. *Reſponſio.*

Hier. to. 2.

Auguſt.

ex verbis Pauli 1. *ad Corinthios* 13. *ſi linguis hominum loquar,&c.* ad confirmationem ſui erroris deſumpſerat, ait: *Hoc eſt, quod paulo ante dixi, pelle te ouina contegi velle, vt ſi fieri poteſt, prius te ouis mordentem ſentiat, quàm præſentiat venientem. Nonne iſta eſt charitatis laus, quæ veſtram calumniam ſolet lucidiſſima charitate conuincere? an ideo arma noſtra iſta non erant, quia vos ea præoccupare conamini? prorſus hæc iacula viua ſunt, vndecumque iactentur, agnoſcantur quos perimant. Si à vobis miſſa fuerunt, in vobis hærebunt: ſi à nobis mittuntur, in vos retorquentur.* Et *lib. de gratia Chriſti, contra Pelagium, & Cæleſtium cap.* 37. loquens contra Pelagium arbitrantem ſe veram Chriſti gratiam ſtatuiſſe, ait: *Sed cùm in manus meas, & alia veniſſent, quæ poſterius latiuſque conſcripſit, vidi quemadmodum potuerit etiam illic gratiam nominare, ſub ambigua generalitate, quid ſentiret abſcondens, gratiæ tamen vocabulo frangens inuidiam, offenſionemque declinans.* Videatur *cap.* 5. 6. 7. & 10. *eiuſdem libri*, in quibus deteguntur varia, & æquiuoca verba, quibus idem Pelagius gratiam Chriſti fictè confitebatur ſub eiſdem verbis ſuam antiquam hæreſim occultando, ac defendendo, ne à fidei iudicibus deprehenderetur, ſed ſemper poſſet crimini obiecto ſaluo ſuo dogmate reſpõdere. Legatur Eylmercius apud Franciſcum Pennam 3. *parte Directorij inquiſitionum cap.* 21. vbi decem modos, quibus hæretici errores ſuos obtegere ſtudent, conſtituit. Propter errores igitur, qui in libris hæreticorum continentur, non debet veritas, quæ in eiſdem libris inſeritur abnegari, nec

verba

verba ſcripturæ, aut eorum ſenſus à Sanctis Doctoribus traditi reiici; quoniam hæretici eiuſdem locis vtuntur ad veritatem, quam ſuis erroribus inſerunt, comprobandam. Quod & Gelaſius Papa in *lib. de vinculo anathematis* obſeruauit dicens: *Nunquid nam in ipſorum hæreticorum libris non multa, quæ ad veritatem pertineant leguntur? Nunquid iam veritas refutanda eſt, quia illorum libri, vbi prauitas eſt, refutantur? aut ideo praui libri ſuſcipiendi ſunt eorum, quia veritas, quæ in illis inſerta eſt, non negatur. Ait Apoſt. Omnia probate, quod bonum eſt, tenete.*

Vnde hæreticorum doctrina lepræ iure confertur; quia, vt ait Auguſtinus *lib. 2. quæſtionum Euangelicarum cap. 40. Nulla falſa doctrina eſt, quæ non aliqua vera intermiſceat. Vera ergo falſis inordinatè permixta in vna diſputatione, vel narratione hominis tanquam in vnius corporis colore apparentia ſignificant lepram, tanquam veris, falſiſque colorum fucis humana corpora variantem, atque maculantem.* Propter hoc idem Auguſtinus illud Pſalmi 54. *Quoniam in multis erant mecum*, explicat de hæreticis, quia non in omnibus, ſed in multis cum doctrina Eccleſiæ conueniunt, in multis diſcedunt ab ea. IV. *Auguſt.* *Pſalm. 54.*

Ad deprehendendum autem in libris hæreticorum, quæ ſint tanquam erronea, vel hæretica reiicienda, hæc regula generalis ſemper eſt præ oculis habenda. Quotieſcumque in Sacris Conciliis contra hæreticos, aut eorum hæreſes congregatis damnantur propoſitiones ex libris eorundem hæreticorum excerptæ, tales aſſertiones ſunt ab omnibus catholicis tanquam

hæreticæ reiiciendæ: ſi autem ſint in eiſdem libris aliæ propoſitiones, quæ neque à Patribus Concilij damnantur, neque aliàs repugnant aliis principiis fidei, non propterea reiiciendæ ſunt, aut damnandæ, quoniam ab hæreticis aſſeruntur. Etenim, vt dictum eſt, multa dogmata, quæ ad fidem catholicam pertinent, inſerunt hæretici ſuis erroribus in libris ab Eccleſia damnatis.

VI. Ex quibus licet colligere, quod non propterea debent catholici validiſſimis argumentis ex Scriptura Sacra, & Sanctis Doctoribus deſumptis ad confirmandam fidem catholicam deinceps non vti, quoniam hæretici eiſdem argumentis abuſi ſunt ad eandem fidem impugnandam: aliàs ferè nullus relinqueretur locus Scripturæ, quo Theologi poſſent hæreticos expugnare, nam & hæretici eiſdem in locis contra catholicos paſſim vtuntur; quod tamen aſſerere, eſſet arma potentiſſima Eccleſiæ è manibus defenſorum eius euellere, ac hoſtibus tradere.

His ſuppoſitis reſpondetur ad obiectionem propoſitam, quod vt *diſp.* 121. *de Auxiliis. nu.* 10. prænotaui, Caluinus in eo ſenſu gratiam ex ſe efficacem aſſeruit, quæ ita operetur in nobis velle, vt cum illa nihil noſtrum arbitrium liberè cooperetur, ſed ſolùm motu ſpontaneo. Aſſeruit etiam eandem gratiam ita mouere, & determinare liberum hominis arbitrium ad conſenſum, vt non poſſit diſſentire, ſi velit, quæ doctrina damnata eſt in Concilio Tridentino, & ad probandum contra Patres Concilij Tridentini hunc errorem, abuſus eſt auctori

auctoritatibus inductis ex Ioanne 6. *cap.* & authoritate Sancti Auguſtini. Nos autem fatemur quidem, Deum per gratiam efficacem ſic operari in nobis velle, vt noſtrum arbitrium liberè cooperetur excitanti gratiæ aſſentiendo, ita, vt poſſit diſſentire ſi velit, vt ex præmiſſis patet.

Sed dicunt, nam etiam Caluinus, dum aſſeruit, quòd exiſtẽte gratia efficaci in homine, ille non poterat diſſentire ſi velit; limitauit hoc dictum, ita vt intelligeretur; quòd non poterat diſſentire in ſenſu compoſito. Etenim in Antidoto *ſeſſ. 6. can. 4. pag.* 729. explicans qualiter liberum arbitrium gratiæ efficaci diſſentire non poſſit, ait: *Diſſentiet quidem à Deo hominis voluntas, quandiu erit contraria, verùm ſi in obediẽtia compoſita fuerit, iam ſublatum eſt diſſentiendi periculum. Atqui eam eſſe diuinæ gratiæ efficaciam, vt ſubacta omni repugnantia ex inuitis faciat obſequentes, non ipſi ſumus auctores, ſed Dominus per Prophetam, cum ſe facturum promiſit, vt in præceptis eius ambulemus. Item Chriſtus cùm dicit, quiſquis audiuit à Patre meo, veniet ad me.* Illa enim verba *ſi in obedientia compoſitæ fuerint*, deſignant ſenſum compoſitum. VII. *Obiectio.* *Ezech. 36.* *Ioh. 6.*

Reſpondeo, nullam eſſe hîc propoſitionem modalem, quæ in ſenſu compoſito, vel diuiſo accipi valeat. Vnde illa verba: *ſi voluntas in obedientia compoſita fuerit, iam ſublatum eſt diſſentiendi periculum*, ſolùm ſignificant, quòd ſi voluntas per gratiam conſentit vocationi diuinæ, non eſt periculum quòd diſſentiat; quia conſenſus, & diſſenſus ſimul eſſe non poſſunt. Similem propoſitionem habet Auguſtinus *lib. de dono perſeuerantiæ cap. 6.* vbi ait: *De illa enim perſeuerantia*

Digitized by Google

***loquimur**, qua perſeueratur vſque in finem, quæ ſi data eſt, perſeueratum eſt vſque in finem; ſi autem non eſt perſeueratum vſque in finem, non eſt data.* Et inferius: *Perſeuerantiam verò vſque in finem, quoniam non habet quiſquam, niſi qui perſeuerauerit vſque in finem, multi eam poſſunt habere, nullus dimittere. Neque enim metuendum eſt, ne fortè cùm perſeuerauerit homo vſque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perſeueret vſque in finem.* Quæ aſſertio veriſſima eſt, & ſimiliter eſt verum, quòd ſi homo conſentit vocationi diuinæ, non eſt periculum, quòd pro eodem inſtanti eidem vocationi diſſentiat, quia impoſſibile eſt, vt conſentiat ſimul & diſſentiat.

IX. Secundò reſpondetur, quòd dato, & non conceſſo, quòd Caluinus ibi, aut alibi loquatur in ſenſu compoſito, cùm inquit liberum arbitrium non poſſe diſſentire gratiæ efficaci, aut ei refragari, adhuc à ſua impia hæreſi non diſceſſit; quia perperam, & multo aliter, quàm nos intellexit ſenſum compoſitum. Ille enim deceptus eſt, quia putauit, illam propoſitionem, *liberum arbitrium motum à Deo auxilio efficaci non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito*; nihil aliud ſignificare, niſi, quòd poſtquam iam gratia efficax in voluntate poſita eſt, non poſſit liberum arbitrium diſſentire, aut refragari, ablata verò gratia poſſit. Et in hac ſignificatione accipere vidētur ſenſum compoſitum, qui noſtrā ſententiam impugnant. Nos autem multo aliter intelligendum eſſe compoſitū ſenſum illius propoſitionis contendimus. Non enim per illam ſignificatur, quòd quando eſt motio efficax in homine, tunc non

Senſus compoſitus propoſitionis modalis qualiter ſit intelligendus.

non poſſit diſſentire, aut refragari, ablata verò motione poſſit. Si enim hoc ſemel concederetur, abſque dubio euerteretur libertas arbitrij, nec poſſet per diſtinctionem illam ſenſus compoſiti, & diuiſi eiuſdem arbitrij libertas concordari cum decreto abſoluto voluntatis diuinæ prædeterminantis omnes actus bonos futuros, nec cum efficacia auxilij præoperantis gratiæ. Senſus ergo legitimus illius propoſitionis in ſenſu compoſito acceptæ eſt: hæc duo ſimul eſſe incompoſſibilia, quòd nimirum auxilium efficax ad conſentiendum ſit in homine, & homo diſſentiat, vt ex præmiſſis conſtat, & ex his quæ *diſp. 15. & 94. de Auxiliis* dicta ſunt.

X. Vt autem in particulari ad detegendum, & impugnandum errorem Caluini, & eius fallacias aperiendas accedamus, quibus ſub verbis Auguſtini, imo & Scripturæ Sacræ errorem ſuum obtegere nititur, & ſimul oſtendamus quantum ab eius damnata hæreſi diſtet catholicorum ſententia, præſertim Sanctorũ Aug. & Thomę circa efficaciam præuenientis gratiæ, & humani arbitrij libertatem; aduertere oportet, quòd Pelagiani ea potiſſimũ ratione gratiæ neceſſitatem, quã prædicabat Aug. impugnauerũt, quia putabãt cũ illa humani arbitrij libertatẽ, & actualem eius vſum cohærere non poſſe. Vnde & obiiciebant Aug. quòd deſtrueret libertatem arbitrij, & fatalem neceſſitatem induceret. Ab hac nota vindicauit Auguſtinus ſuam doctrinã; vt colligi poteſt ex eodem Auguſt. lib. 2. contra duas Epiſt Pelagij c. 1. vbi ait: *Pelagiani pro Catholica fide contrà Manichæorũ, ſicut loquuntur, profani-*

 tatem,

tatem, conſenſionem Orientalium Epiſcoporum videntur expoſcere, nihil aliud nitentes, niſi, vt horribili hæreſi obiecta, cuius ſe aduerſarios eſſe confingunt, lateant inimici gratiæ in laude naturæ. Et *libro tertio contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 9. Ecce* (inquit) *vnde ſe putant hæretici noui Manichæorum nomine obiecto vim ſubterfugere veritatis.* Legatur attentè idem Auguſtinus *cap. illo primo allegato libr. ſecundo contra duas epiſtolas Pelagianorum, & cap. ſecundo.* vbi oſtendit, non propterea Pelagianos fidei ſanæ putandos eſſe, quia Manichæorum deteſtantur errorem, ſed cum Eccleſia catholica vtroſque vitandos, & redarguendos eſſe, & media via procedendum, qua neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinemus. Ad argumentum ergo reſpondetur, Caluinum inter alia ex eo deceptum fuiſſe, quia putauit, quod ſtante abſoluto, & efficaci decreto, quo Deus prædeterminauit omnes pias operationes, & auxilio efficaci, quo in tempore præmouet voluntates hominum ad eas exequendas, non relinquebatur, nec erat in hominis poteſtate velle, aut nolle, conſentire, aut diſſentire; obtemperare, aut refragari, nec poterat diſſentire, ſi vellet. In illis ergo Caluini teſtimoniis ſuperius inductis aliqua vera ſunt falſis permixta. Vnde ſic oportet falſa repellere, vt vera propterea non abiiciamus. Veriſſimum quidem eſt, quòd gratia efficax, non ſolùm confert hominibus redemptis per Chriſtum bene agendi poteſtatem, ſi velint, ſed etiam efficaciter ipſos præmouet, vt velint. Hoc enim expreſsè docet Aug.

Hæreſes extremæ vitandæ.

Auxilium efficax facit nos velle.

Digitized by Google

Aug. *l. de corrept. & gratia c.* 11. vbi conſtituit differentiam inter auxilium gratiæ Adæ collatum, & illud, quod nunc prædeſtinatis confertur. Nam primo parenti datum eſt adiutorium gratiæ, quo piè operari & perſeuerare vſque in finem poſſet, ſi vellet, non quo fieret, vt vellet. At prædeſtinatis per Chriſtum non ſolùm datur adiutorium gratiæ, quo piè operari, & perſeuerare poſſint, ſi velint, ſed etiam quo Deus in ipſis operatur & velle. Et *in fine cap.* 12. ſic concludit: *Fortiſſimo quippe dimiſit, atque permiſit facere quod vellet: infirmis ſeruauit vt ipſo donante inuictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere inuictiſſimè nollent.* Et *libro de dono perſeuerantiæ cap.* 13. *Nos volumus, ſed Deus operatur in nobis velle: nos operamur, ſed & Deus in nobis operatur operari.* Similiter etiam verum eſt, præuenientem gratiam efficacem qua Deus facit, vt velimus, talem eſſe vt ſubacta omni repugnantia ex inuitis obſequentes faciat, & ex nolentibus volentes. Ita docet Sanctus Auguſtinus *lib. præallegato de correptione & gratia cap.* 12. *Subuentum eſt*, inquiens, *infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur, & ideo quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur.* Et *libr. de prædeſtinatione Sanctorum cap.* 8. *Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde recipitur. Ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur.* Quibus verbis apertè docet, Deum per gratiam præuenientem, duritiam cordis auferre, & voluntatem ſibi obſequentem, & obedientem facere. Et *lib.* 1. *contra duas epiſtolas*

Aug. libr. de corrept. & gra. cap. 11. *Gratiæ Adæ & Chriſti differentia.*

Auguſt.

Digitized by Google

Pelagianorum cap.20. ait: ***Deus cor regis occultiſſima, & efficaciſſima poteſtate conuertit, & tranſtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc eſt, de voluntate lædendi ad voluntatem fauendi, ſecundùm illud Apo.*** *Deus eſt, qui operatur in vobis & velle & perficere.* Et *epiſtola 107. ad Vitalem circa finem* ait: *Quomodo Deus expectat voluntatem hominum, vt præueniant eum, quibus dei gratiam, cùm gratias ei non immeritò agamus de iis, quibus non ei credentibus, & eius doctrinam voluntate impia perſequentibus miſericordiam prærogauit, eóſque ad ſe ipſum omnipotentiſſima facilitate conuertit, ac volentes ex nolentibus fecit? vt quid ei inde gratias agimus, ſi hoc ipſe non facit?* Et *lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 19. Quis trahitur, ſi iam volebat, & tamen nemo venit niſi velit. Trahitur ergo miris modis ab illo, qui nouit intus in ipſis hominum cordibus operari, non vt homines (quod fieri non poteſt) nolentes credant, ſed vt volentes ex nolentibus fiant.* Nec tamen propterea hæc, & ſimillima, quæ apud Auguſtinum habentur quàm plurima, reputanda ſunt à catholicis falſa, aut fidei contraria, quia in damnatis libris hæreticorum habentur inſerta, atque erroribus permixta. Sicut enim non contemnimus vuas, quas vites inter ſpinas proferunt; ſed botrus decerpitur, & ſpina cauetur: ita & vera erroribus in libris hæreticorum permixta abneganda non ſunt, ſed ita recipiēda, vt hæreſis caueatur; quod & Sanctus Auguſtinus *lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 30.* acutè adnotauit. Vbi cùm retuliſſet aliqua teſtimonia gentilium, quibus ad confirmationem ſuæ doctrinę vſus eſt Apo. ſubiungit verba illa eiuſdem

Apo.

Digitized by Google

Apo. *Teſtimonium hoc verum eſt.* Et infrà: *Nunquid etiam hic, quia inuenit apud ſacrilegos teſtimonia veritatis, aut propter iſta illos approbauit, aut propter illos iſta damnauit?* Sicut ergo Apoſtolo dicere licuit: *Teſtimonium hoc verum eſt*; quamuis non ignorauerit à Poëta infideli fuiſſe prolatum: ita etiam licet catholicis veritatem amplecti, etiam ſi in damnatis libris hæreticorum habeatur, nam veritas à quocumque dicatur, à Spiritu ſancto eſt. *Ad Tit. 1.*

XII.

Falſum tamen, & hæreticum eſt, quod in locis inductis ait Caluinus, Deum per gratiam efficacem ita operari in nobis velle, vt voluntas noſtra non cooperetur liberè cum Deo idem velle. Falſum eſt etiam, & hæreticum, quòd poſita in nobis gratia efficaci, non ſit poſtea noſtræ optionis, aut poteſtatis obtemperare, vel refragari, aut quod liberum arbitrium non poſſit diſſentire ſi velit. Quin potiùs ex gratia ipſa efficaci infertur oppoſitum. Nam cùm Deus per eandem gratiam efficiat, vt noſtrum arbitrium liberè conſentiat, relinquitur per eandem gratiam fieri, vt per ſuam liberam optionem, & electionem cõſentiat ita, vt reuera poſſit refragari, poſſit non operari, poſſit diſſentire, ſi velit.

Libero noſtro arbitrio qualiter relinquat Deus vt cõſentiat gratiæ vocanti.

Sed ad maiorem huius rei explicationem aduertere oportet, quòd dupliciter poteſt intelligi, Deũ relinquere noſtro arbitrio vt conſentiat gratiæ vocanti, vel non conſentiat. Primo modo quia Deus per gratiam præuenientem ſolùm tribuit libero arbitrio poſſe piè operari, aut perſeuerare ſi velit, non autem efficit, vt velit, & iſto modo reliquit liberè protoparentis arbitrio,

vt

vt accepta gratia perſeueraret, ſi vellet. Dicit enim S. Auguſt. *Tale quippe erat adiutorium* (Adæ) *quod deſereret, cùm vellet.* Et infrà: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, quem fecerat rectum. Dederat & adiutorium, ſine quo in ea non poſſet permanere ſi vellet: vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio.* Iſto etiam modo relinquit Deus libero arbitrio, vt conſentiat ſi velit, aut etiam diſſentiat ſi velit, quotieſcumque ſolùm præuenit illud ſola gratia ſufficienti, & in hoc ſenſu loquitur Aug. *lib. de correptione & gratia c.* 12. *in fine*, cùm de reprobis ait: *dimiſſi ſunt libero arbitrio non accepto perſeuerantiæ dono.* Secundo modo poteſt intelligi relinqui hominis arbitrio, vt velit, quia licet Deus per gratiam efficacem efficiat, vt homo velit, nihilominus homo ipſe liberè vult, & per liberam electionem ſe determinat ad volendum, & conſentiendum cum vera, & expedita facultate, qua poteſt diſſentire, ſi velit. Et in hoc ſecundo ſenſu relinquit Deus libero arbitrio eorum, qui mouentur gratia efficaci, vt conſentiant, non autem in primo. Colligitur hoc apertè ex S. Auguſtino *lib. de correptione, & gratia ca.* 12. dicente: *Tantùm quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, vt ideo poſſint, quia ſic volunt, ideò ſic velint, quia Deus operatur vt velint: nam ſi in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, vt in adiutorio Dei, ſine quo perſeuerare non poſſent, manerent, ſi vellent, nec Deus in eis operaretur vt vellent: inter tot, & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet,*

& ideo

& ideo perſeuerare non poſſent, quia deficiente infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis vt poſſent. Subuentum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur, & ideo quamuis infirma non deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur.

Aliæ obiectiones, quibus ſuadere conantur iuxta mentem Sacri Concilij Tridentini, liberum hominis arbitrium excitatum à Deo, & motum auxilio efficaci præuenientis gratiæ ad conſentiendum, poſſe in ſenſu compoſito diſſentire, & non operari, vel actum contrarium elicere, & earum fallacia detegitur.

QVAMVIS in libro noſtro de Auxiliis diuinæ gratiæ ſatis diffusè oſtenderim *can.* 4. Sacri Concilij Tridentini intellectum de motione efficaci, qua Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur, intelligendum eſſe in ſenſu diuiſo, non autem in ſenſu compoſito, quia tamen non deſunt qui nonnullis obiectionibus oppoſitum perſuadere conantur, viſum eſt eas in medium afferre & diſſoluere, vt euidentius appareat mens Sacri Concilij, & ex ſolutione earundem obiectionum magis confirmetur doctrina, quam circa efficaciam præuenientis gratiæ iuxta mentem Sanctorum Auguſtini & Thomæ, Proſperi, & Hilarij, atque aliorum Patrum defendimus. XIII. *Diſp. 92. nu. 14. & duabus diſp. ſequ. diſp. 115. 116.*

Prima obiectio deſumitur ex verbis illis Sacroſancti *Obiectiones*

D. Diotalen. opu. de concurſu Dei ca. 3. pag. 13. & ſeqq.
Zach. 1.
Thren. 5.

croſancti Concilij Tridentini *ſeſſ. 6. de iuſtific. ca.* 5. vbi ſic dicitur: *Vnde in ſacris literis, cùm dicitur: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur: cùm reſpondemus: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur.* Ex quibus verbis deſumitur argumentum. Non poſſumus noſmetipſos conuertere in Deum, niſi quatenus auxilio diuinæ gratiæ præuenimur, vt patet ex verbis illis, quæ præmittuntur in eodem capite: *Neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit.* Quod etiam decernitur *can.* 3. *eiuſd. ſeſſ.* Ergo præceptum illud, *Conuertimini ad me*, & admonitio illa *noſtræ libertatis* non cadit ſupra nos, niſi pro eo ſtatu, qui diuinæ gratiæ motionem includit. Tantùm enim abeſt, vt libertas ad conuerſionem conſiſtat ſine potentia ad illam, vt huiuſmodi potentia ſola, ſine potentia ad oppoſitum nõ ſit ſatis. Ergo motio illa gratiæ, de qua loquitur Concilium, non prædeterminat nos phyſicè ad conuerſionem, vel piam operationem. Ergo relinquit nos ita indifferentes, vt conuertamur, ſi volumus; & non conuertamur, ſi nolumus: aliàs fruſtra præciperetur nobis, vt poſtquam huiuſmodi motione præuenti ſumus, conuertamur: & fruſtra libertatis noſtræ in actu conuerſionis admoneremur. Ergo Concilium Tridentinum, cùm definit liberum arbitrium à Deo motum & excitatum ita cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, vt poſſit diſſentire, ſi velit, loquitur in ſenſu compoſito. Probatur iſta conſequentia: nam aliàs auxilium efficax præuenientis

tis

tis gratiæ non relinqueret voluntatem noſtram ita indifferentem, vt ſi vult, operetur, ſi nō vult, nihil operetur, neque conuertatur: cuius contrarium videtur docere Concilium Tridentinum verbis inductis.

Hoc teſtimonio Sacri Concilij nedum non infirmatur noſtra ſententia, ſed etiam mirum in modum corroboratur, & oppoſita penitus videtur euerti, quod ſic oſtenditur. Concilium docet Deum ſua gratia præueniente efficaci nos ad ſe ipſum conuertere, ac ex nolentibus volentes efficere, quatenus videlicet per idem auxilium efficit, vt liberè & infallibiliter cooperemur & conuertamur: quod non obſcurè indicant illa verba: *Cùm reſpondemus: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur.* Sentit ergo Concilium, non ſtare ſimul hæc duo, quod nimirum Deus ſua præueniente gratia efficaci nos ad ſe conuertat, & tamen non conuertamur. Aliàs enim Deo nos conuertente ad ſe, verificaretur, quòd nos Deo repugnamus, & ad illum non conuertimur: cuius contrarium docet Sacrum Concilium. Ergo cùm decernit in *Can.* 4. liberum arbitrium à Deo motum & excitatum auxilio efficaci poſſe diſſentire, ſi velit, loquitur in ſenſu diuiſo, non autem in ſenſu compoſito. Conſequentia iſta probatur ex conceſſis ab obiiciente: Ipſe enim fatetur, illam propoſitionem affirmatiuam in ſenſu compoſito intellectam ſignificare, fieri poſſe vt hæc duo ſimul ſint vera, quod ſcilicet auxilium efficax ad conſenſum ſit in homine, & homo diſſentiat. Cùm ergo fieri non poſſit, vt hæc

XIV. *Reſponſio.*

Conc. Trid. plura decreta circa gratiam ſufficientem expenduntur.

Digitized by Google

vt hæc duo ſimul vera ſint, relinquitur prædictam propoſitionem eſſe intelligendam in ſenſu diuiſo, non autem in ſenſu compoſito.

Solutio. Sed dicent, gratiam præuenientem efficacem ad conſenſum, ſi conſideretur, vt habet coniunctam præſcientiam mediam, qua ante omne liberum decretum ſuæ voluntatis Deus (vt aiunt) certò præſcit, liberum hominis conſenſum futurũ ex hypotheſi, quòd tali gratia congrua præmouentur, nõ eſſe compoſſibilem cum diſſenſu, ſecus autem erit ſi conſideretur ſecundùm totam ſuam entitatem, & realem, ſiue intentionalem virtutem, quam habet, vt venit à Deo ſecluſa eiuſmodi præſcientia conditionata.

Impugnat. Sed hoc effugium facilè impugnatur. Primò, nam ſcientia illa media, ſeu conditionata conſenſus arbitrij ex hypotheſi futuri, quæ ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ in Deo conſtituitur, eſt fictitia, vt ſupra *lib.* 1. *c.* 1. *& ſeq.* oſtenſum eſt. Ergo ſecluſa eiuſmodi pręſcientia verè affirmatur, hæc duo ſimul eſſe vera non poſſe, quod ſcilicet auxilium efficax præuenientis gratiæ ſit in homine, & homo diſſentiat. Secundò, nam auxilium efficax præuenientis gratiæ, vt eſt inſtrumentum Dei abſoluta voluntate volentis hominem cuius cor mouet, ad ſe conuertere, habet intentionaliter aliquam virtutem, quæ non eſt in Auxilio ſolùm ſufficienti, vt *in libro de Auxiliis* oſtendi. Per illud quippe Deus efficit, vt homo liberè & infallibiliter conuertatur. Ergo non ſtant hæc duo ſimul, quòd nimirum auxilium efficax præuenientis gratiæ ſecundùm omnem realem,

Diſp. 73. *nu.* 2. *&* 3.

vel

vel intentionalem virtutem , quam habet, vt venit à Deo, ſit in homine, & homo diſſentiat.

Nec ſatis eſt confugere ad concurſum Dei ſimultaneum, vt ſi dicatur , non ſtare ſimul hæc duo, quod nimirum Deus ſua gratia præueniente ſimul concurrat cum libero arbitrio ſe liberè determinante ad conſenſum, & nihilominus liberum arbitrium diſſentiat: quia fieri non poteſt, vt liberum arbitrium habeat ſimul conſenſum & diſſenſum comparatione eiuſdem obiecti. Contra hoc enim eſt, nam Concilium apertè loquitur de gratia efficaci præueniẽte, qua Deus nos conuertit, ſeu efficit vt liberè & infallibiliter cooperemur Deo ad noſtram conuerſionem, quod etiam indicat locus à Concilio inductus ex *c.4. Thren. & Ierem.* 31. vbi ſic dicitur; *Conuerte me , & conuertar : quia tu Dominus Deus meus. Poſtquam enim cõuertiſti me, egi pœnitentiam: & poſtquàm oſtendiſti mihi percuſſi femur meum.* Vbi illud aduerbium, *poſtquàm*, prioritatem deſignat in ſigno rationis & cauſſalitatis , ſecundùm quam prius eſt, quòd Deus ſua præuenienti gratia efficaci noſmetipſos ad ſe conuertat efficiendo , vt cooperemur Deo vocanti , quàm conuertamur, & pœnitentiam agamus. Ergo efficacia præuenientis gratiæ non conſiſtit in ſolo concurſu ſimultaneo , quo Deus operatur nobiſcum actum conuerſionis, ſeu piam operationem, ſi volumus, ſed in præuia motione prædeterminante , qua etiam efficit, vt velimus.

Alia ſolut.

Impugnat.

Iere. 31.

His ſuppoſitis facilè reſpondetur ad obiectionem factam. Fatemur enim hominem non poſſe ſeipſum per actum pœnitentiæ , aut aliam piam

operationem ad Deum conuertere, niſi auxilio efficaci gratiæ præueniatur, ſi illa particula *niſi*, determinet verbum *conuertere*; tunc enim propoſitio facit hunc ſenſum: Fieri non poteſt, vt homo ſe ad Deum conuertat, & tamen auxilio efficaci non moueatur, qui ſenſus eſt verus, & de mente S.Th.in alia ſimili propoſitione, quã in hoc eodem ſenſu explicat *q.1.de potentia ar.5. ad 1*. Fatemur etiam cum gratia illa præueniente, qua homo poteſt ad Deum conuerti, qua & actualiter conuertitur, ſimul ſtare in libero arbitrio veram facultatem, qua poſſit non conuerti; ſed diſſentire, ſi velit. Ex hoc tamen non ſequitur, Deum per gratiam efficacem non prædeterminare phyſicè liberũ hominis arbitrium ad actum conuerſionis vel conſenſus. Sed ſolùm infertur quòd Deus non prædeterminet liberum arbitrium pecudum more ex neceſſitate naturæ: ſed liberè. Gratia enim Dei, ſeu Deus ipſe per gratiam efficacem efficit, quòd cùm poſſit homo ex ſua innata libertate diſſentire, nõ diſſentiat; ſed liberè & infallibiliter conſentiat.

Ad illud verò, quod in eadem obiectione inquiritur: An gratia efficax relinquat ita indifferentem voluntatem noſtram, vt conuertamur ſi volumus, ſi autem nolimus, non conuertamur, dicendum eſt, præuenientem gratiam efficacem conſeruare in voluntate noſtra indifferentiam illam, quæ eſt de eſſentia libertatis, & conſiſtit in facultate rationis ad vtrumlibet, vt *diſput.23. 115. & 116. de Auxiliis* oſtenſum eſt. Aufert tamen virtualiter à libero arbitrio quandam indifferen

differentiam, quæ eſt imperfectio libertatis, ſecundùm quod reperitur in natura creata, quæ de potentia ad actum procedit, videlicet priuationem & ſuſpenſionem actus. Nam per idem auxilium Deus efficit, vt liberum arbitrium de actu primo ſe ipſum reducat ad actum ſecundum. Vnde Deus per idem Auxilium prædeterminans non relinquit ita indifferentem voluntatem noſtram, vt ſi vult operetur, ſi nō vult nihil operetur, quaſi cum eodem auxilio efficaci præuenientis gratiæ ſtet ſimul voluntatem nihil operari, aut diſſentire; ſed efficit, vt conſentiat. Vnde Sanctus Auguſtinus *lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum c.* 19. explicans illud Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*, inquit: *Non ait: duxerit, vt illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, ſi iam volebat: Et tamē nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis vt velit, ab illo, qui nouit intus in ipſis hominum cordibus operari, non vt homines (quod fieri non poteſt) volentes credant, ſed vt volentes ex nolentibus fiant.* Et *Epiſtola* 107. reprehendit Vitalem Carthaginenſem, quia dixerat, conſentire, vel non conſentire vocationi Dei ita eſſe noſtrum, vt ſi velimus, fiat: ſi autem nolimus, non fiat: verba Auguſtini ſunt. *Cùm audieris: quid eſt ergo, quod ait Apoſtolus, Deus in nobis operatur, velle, & perficere, reſpondes, per legem ſuam, per ſcripturas ſuas, Deum operari, vt velimus, quas vel legimus, vel audimus. Sed eis conſentire, vel non conſentire, ita noſtrum eſt, vt ſi velimus fiat: ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quip-*

Auguſt.
Ioan. 6.

pe ille (dicis) quantum in ipſo eſt, vt velimus; cùm nobis nota fiunt eius eloquia, ſed ſi eis acquieſcere nolumus, nos vt operatio eius nihil in nobis proſit, efficimus. Quæ ſi dicis, profectò noſtris orationibus contradicis. Et infra: *Ac ꝑ hoc tantùm putas à Domino greſſus hominis dirigi ad eligendam viam Dei, quia ſine doctrina Dei non ei poteſt innoteſcere veritas, cui propria voluntate conſentiat. Cui ſi conſentit (inquis) quod in eius libero arbitrio conſtitutum eſt, rectè vtique dicuntur ab illo dirigi greſſus eius vt viã eius velit, cuius doctrinam ſuaſione præcedente, ſubſequente conſenſione ſectatur, quod libertate naturali, ſi vult, facit: ſi non vult, non facit, pro eo quod fecerit, præmium ſeu ſupplicium recepturus. Hæc eſt illa Pelagianorum mala, malè diffamata, meritóque reprobata, & ab ipſo etiam Pelagio timente damnari in Orientalium Epiſcoporum iudicio damnata ſententia, qua dicunt, gratiam Dei non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina.* Ex quibus verbis euidenter colligitur, rectè dictum eſſe, à quocunque ſit dictum, auxilium efficax præuenientis gratiæ præmouens ad conuerſionem non relinquere hominis voluntatem ita indifferentem, vt ſi velit, conuertatur, ſi nolit, non conuertatur. Licet enim voluntas liberè volendo conuertatur, ac volens, & non aliter piè operetur, tamen Deus ſua præueniente gratia efficit, vt velit. Nec ex hoc ſequitur, quòd fruſtra præcipiatur nobis, vt poſtquam motione efficaci præuenti fuerimus, conuertamur: vel fruſtra libertatis noſtræ admoneamur, quin potius infertur oppoſitum: nam gratia efficax mouet & prædeterminat

terminat nos ad piè operandum cum modo libertatis noſtræ voluntati congruente. Vnde cùm illa conuerſio fieri debeat per noſtrum liberum arbitrium gratia Dei adiutum, non fruſtra præcipitur nobis, vt conuertamur;nec fruſtra libertatis noſtræ admonemur. Conſtat ergo obiectionem factam needum non concludere, ſed nec leuiter ſuadere Can. quartum Concilij Tridentini ſupra inductum intelligendum eſſe in ſenſu compoſito.

Obiicitur ſecundò *c.7.ſeſſ.* eiuſdem Concilij, vbi ſic dicitur: *Iuſtitiam in nobis recipientes, vnuſquiſque ſuam ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis provt vult, & ſecundũ propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem.* Ex quibus verbis cõſtat, propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem conſtitui,vt aliquam licet minus præcipuam gratiæ menſuram. Si autem homo ad diſponendum ſe,& cooperandum phyſicè prædeterminaretur, ita vt cum motione illa prædeterminante non compateretur ſimul diſſẽſus arbitrij;tã cooperatio ſimpliciter,quã talis, vel talis,hoc eſt,cũ tanta vel tãta intentione eſſet potius cooperatio, & diſpoſitio propria phyſicæ prædeterminationis,quàm ipſius hominis: quia non ab innata voluntatis libertate,ſed ab eſſentia atque intenſione phyſicæ prædeterminationis vndequaque penderet, ita vt vnica ratio, quare cooperatio tantam haberet intentionẽ,ea eſſet; quia phyſica prædeterminatio ex ſola Dei voluntate conceſſa tantam haberet virtutem: ac per cõſequẽs ſola Spiritus ſancti volũtas debuiſſet aſſignari, tanquam gratiæ menſura: Neque XV. **Secunda obiectio.**

Digitized by Google

addenda fuiſſet (vt quid diuerſum pertinens ad eandem menſuram) propria cuiuſque cooperatio & diſpoſitio. Ex quo rurſus ſequeretur, nullum in menſura gratiæ locum relinqui liberæ diſpoſitioni & cooperationi arbitrij, cuius contrarium aduerſus Caluinum oſtendit Ruard. Tap. *art.*7. in ſolutione ad argumenta eiuſdem Caluini.

XVI. *Reſpon.* Facilè poteſt hæc obiectio diſſolui ex his, quæ *diſp.*62.*de Auxiliis* prænotaui, vbi ex profeſſo illa diſcuſſa eſt difficultas, vtrum ratione maioris conatus liberi arbitrij, vel influxus cum auxilio gratiæ adiuuantis, vnus cæteris paribus conſequatur magis intenſam gratiam iuſtificantem, quàm alius. Et iterum de eadem difficultate inferius agendum eſt. Nunc breuiter dicimus, totam intenſionem & menſuram gratiæ habitualis, quæ confertur adultis ſe diſponentibus cum auxilio ſpeciali per actum contritionis menſurari ex beneplacito Spiritus ſancti plus, vel minus mouentis mentem hominis ſecundùm ſuam voluntatem; & totam etiam intentionem illam tàm gratiæ habitualis, quàm diſpoſitionis ſeu cooperationis arbitrij, menſurari etiam ex libero conatu & influxu eiuſdem arbitrij: aliter tamen, & aliter. Etenim ex beneplacito Spiritus ſancti menſuratur tanquàm ex prima cauſſa ſimpliciter, tanquàm ex primo mouente, atque ſuo auxilio efficaciter faciente, vt liberum arbitrium cum tali, vel tali intēſione influat, & cooperetur. Ex conatu autē, & influxu liberi arbitrij moti à Deo auxilio excitantis, atque adiuuantis gratiæ pendet

Gratiæ intenſio vnde menſuretur.

eadem

eadẽ intenſio diſpoſitionis, vt à cauſſa proxima liberè eandem diſpoſitionẽ, & cooperationem eliciente ſecundùm illud Sancti Bernardi *tractatu de gratia, & libero arbitrio: Non partim gratia, partim liberum arbitrium; ſed totum ſingula opere indiuiduo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa; ſed vt totum in illo, ſic totum ex illa.* Vnde nullatenus admittenda eſt illa ſententia, quam arguens ſupponere videtur, nimirum, Deum, & liberum arbitrium eſſe duas cauſſas partiales piæ operationis, ſicut duo trahentes nauim, vt ex teſtimoniis Sanctorum Patrum, præſertim Auguſtini, & Thomæ, ac rationibus Theologicis probaui *in libro de Auxiliis diſput.* 85. *Bern.*

Illud autem, quod obiicitur ex Caluino; neminem mouere debet. Ille quippè ita voluit totam intentionem diſpoſitionis ad gratiam iuſtificantem deſumendam eſſe ex beneplacito Dei mouentis, ſiue ex gratia efficaci; vt nullo modo, etiam vt à cauſſa proxima menſuraretur ex libero influxu & conatu noſtri arbitrij à Deo excitati, & adiuti, quoniam Caluinus libertatem arbitrij abnegauit.

XVII. *Tertia obiectio.*

Obiicitur præterea *Can. 4. ſeſſ. 6. Conc. Trident.* qui oppoſitæ ſententiæ fauere putatur, cùm tamen noſtram confirmet. Verba Concilij ſunt: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinẽdam iuſtificationis gratiã ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere,*

Digitized by

mereque paſſiuè ſe habere, Anathema ſit. Et in *cap. 5. eiuſdem ſeſſ.* docet Sancta Synodus, quòd tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem homo ipſe aliquid agit inſpirationem illam recipiendo, quippe qui illam abiicere poteſt. Quibus verbis damnatur hæreſis Caluini aſſerentis cum gratia efficaci, & decreto Dei abſoluto ſua prouidentia omnia gubernantis libertatem arbitrij cohærere non poſſe. Quo ſuppoſito probatur Concilium loqui de potentia diſſentiendi in ſenſu compoſito, etiam ſuppoſito quòd voluntas moueatur auxilio efficaci. Primò quia Concilium *in hac ſeſſ. 6.* propoſitiones alias ſemper vſurpauit in ſenſu compoſito. Ergo in eodem ſenſu etiam dicendum eſt vſurpaſſe illam. Liberum arbitrium à Deo motum, ac excitatum poteſt gratiæ diſſentire, atque inſpirationem abiicere. Antecedens patet, quia declarat can. 2. *Hominem ſine gratia iuſtè viuere, & vitam æternam promereri non poſſe.* can. 3. *Sine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem non poſſe credere, ſperare, diligere, aut pœnitere, ſicut oportet.* Can. 22. *ſine ſpeciali Dei auxilio non poſſe hominem perſeuerare vſque in finem.* Can. 23. *Omnia peccata etiam venialia ſine ſpeciali Dei priuilegio vitari non poſſe: cum eo verò vitari poſſe.* Similia habentur aliis in locis eiuſdem Concilij, quæ omnia ſolùm poſſunt intelligi in ſenſu compoſito. Conſequentia verò, qua inferebatur illam propoſitionem Concilij, liberum arbitrium gratia efficaci motum illi diſſentire, eamque abiicere poſſe, intelligendam etiam eſſe in ſenſu compoſito, probatur. Nam aliàs æquiuocaſſet

Primum argumentum.

Digitized by Google

caſſet Concilium verbum *poteſt* in ſeſſ. eadem, & ſenſum conſimilium propoſitionum non abſque magna deceptionis occaſione.

Secundò id ipſum probatur, nam aliàs huiuſmodi propoſitio ſimpliciter prolata intelligeretur in ſenſu diuiſo: Beati videntes Deum per eſſentiam poſſunt illum odiſſe, poſſunt illum non amare, ac per conſequens eſſet vera. Nam cum viſione beatifica ſaluatur in homine potentia per quam actum odij Dei elicere poſſit non coniungendo illum cum beatifica viſione. Similiter hæc propoſitio eſſet intelligenda in ſenſu diuiſo: Confirmatus in gratia poteſt peccare mortaliter, ac per conſequens eſſet vera propter eamdem rationem. Imò & iſta: Humanitas Chriſti à diuina voluntate efficaciter directa poteſt ſe liberè determinare ad actum intrinſecè malum, eſſet vt iacet, intelligenda in ſenſu diuiſo, & ita eſſet vera. Nam cum vnione hypoſtatica & efficaci directione voluntatis diuinæ ſtabat ſimul in voluntate humana Chriſti vera facultas; qua in ſenſu diuiſo poſſet ſe liberè determinare ad actum intrinſecè malum.

Tertiò. Cùm docet Concilium, hominem à Deo motum, atque excitatum poſſe gratiæ diſſentire, eámque abiicere, explicat, & oſtendit vſum libertatis, quem obtinet homo in actibus ſupernaturalibus, vt conſtat præſertim ex modo loquendi *cap.* 5. ibi: *Quippe qui illam & abiicere poteſt*; particula enim (*quippe*) indicat, potentiam abiiciendi probare noſtram libertatem in illis actibus. At ſi Concilium in ſenſu diuiſo loque-

retur; vſum libertatis noſtræ nullatenus explicaret. Etenim cùm phyſica prædeterminatio iuxta ſententiam aduerſam ad omnem actum etiam malum, in quantum actus eſt, requiratur: poſſe hominem motum atque excitatum gratiæ & motioni diſſentire in ſenſu diuiſo, nihil eſt aliud, niſi, hominem cùm mouetur ac excitatur, potentiam ſimul cum motione retinere, per quam mediante oppoſita prædeterminatione actum motioni, quam habet oppoſitum, ita elicere queat, vt cum eadem ipſum non coniungat Quod rurſus nihil eſt aliud, niſi hominem phyſicè prędeterminatum ad vnum poſſe in ſenſu diuiſo phyſicè prædeterminari ad oppoſitum. Per hæc autem tantum abeſt, vt explicetur, ac probetur libertas, vt nihil etiam dicatur, quod pugnet cum vera neceſſitate, aut coactione.

Quartò. Nam ſi Concilium intelligeretur ſolùm de potentia diſſentiendi in ſenſu diuiſo, non contradiceret Caluino, quippe qui cum gratia efficaci admiſit in voluntate creata potentiam diſſentiendi in ſenſu diuiſo: negauit autem cum ea poſſe coniungi diſſenſum. Non enim eſt credibile ſomniaſſe Caluinum, quòd per gratiam efficacem tollatur entitas potentiæ voluntatis, quæ cum actibus oppoſitis eidem gratiæ coniungitur.

Quintò. Aſſenſus, quem docet Conciliũ *ca.*5. *& can.*4. præſtari per noſtrum arbitrium gratiæ efficaci, eſt aſſenſus verus, & in ſenſu compoſito: nam coniungitur ſimul in voluntate cum ipſa gratia efficaci. Ergo cùm docet liberum arbitrium

trium eidem gratiæ poſſe diſſentire, intelligitur de potentia diſſentiendi in ſenſu compoſito, id eſt, de potentia habendi ſimul diſſenſum cum gratia efficaci. Aliàs Concilium, poſtquam definiuit, noſtrum arbitrium liberè conſentire gratiæ præuenienti, ſuperfluè addidiſſet, quòd poſſit diſſentire ſi velit, neque aliquid amplius explicaſſet his verbis, quàm præcedentibus.

Sextò. Implicat contradictionem, vt homo poſſit gratiæ, quæ eſt efficax diſſentire in ſenſu diuiſo. Ergo Concilium intelligit, quòd poſſit diſſentire in ſenſu compoſito. Antecedens probatur. Poſſe diſſentire huiuſmodi gratiæ, eſt poſſe cum illa componere, ſeu ſimul cũ illa habere actum illi oppoſitum. Ergo implicat contradictionem, vt eidem gratiæ poſſit homo diſſentire in ſenſu diuiſo, hoc eſt, vt poſſit componere non componendo, ſed diuidendo. Et conſequenter, vel ſimpliciter, falſum eſt, quod Concilium docet, poſſe nimirum hominem diſſentire gratiæ, quæ eſt efficax, vel illi verè diſſentire poteſt in ſenſu compoſito.

Septimò id ipſum probat argumento, quod reputat inſolubile. Actualiter diſſentire gratiæ, eſt actualiter ſimul cum illa habere, & componere actum ipſi oppoſitum. Neque enim eſſe, aut intelligi poteſt diſſenſus vllus abſque ſimultanea exiſtentia eius reſpectu, cuius eſt diſſenſus, & ad quod ex propria ſua ratione importat ordinem, & relationem. Ergo poſſe gratiæ diſſentire, eſt poſſe ſimul cum illa habere, ſeu componere actum ipſi oppoſitum. Probatur conſequentia. Poſſe diſſentire gratiæ, eſt poſſe illud ipſum,

ipſum, quòd eſt actualiter eidem diſſentire: ſed id quod eſt actualiter diſſentire gratiæ, eſt ſimul cum ipſa componere actum illi oppoſitum. Ergo poſſe gratiæ diſſentire, eſt poſſe actum oppoſitum cum ea componere.

XVIII. *Reſponſio. Diſp. 92. de Auxiliis.* Ex dictis tamen in libro noſtro de Auxiliis vnuſquiſque in principiis Dialecticæ mediocriter inſtructus facillimè diſſoluere poſſet omnia, quæ in hac obiectione afferuntur. Ibi enim oſtendimus verba inducta *Can.* 4. planè intelligenda eſſe de potentia diſſentiendi auxilio efficaci abſolutè loquendo, & in ſenſu diuiſo; non autem in ſenſu compoſito, & argumentis hactenus excogitatis, quæ in contrarium afferuntur, pro viribus ſatisfecimus. Sed quoniam ſub variis terminis pluries repetuntur, viſum eſt ea in medium proferre, & fallaciam earundem argumentationum detegere, ne forſan Theologi nouitij eiuſmodi ratiocinationibus moueantur.

Vt autem appareat, obiectiones factas nedum non conuincere, ſed nec leuiter aliquid ſuadere contra noſtram ſententiam, aduertimus, eodem prorſus modo procedere in ſententia contraria, & retorqueri poſſe contra auctores illius. Ipſi enim fatentur, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum gratia congrua (quam efficacem appellant) non poſſe diſſentire in ſenſu compoſito, quia nimirum fieri non poteſt, vt liberum arbitrium moueatur gratia congrua, & diſſentiat, quamuis abſolutè, & in ſenſu diuiſo poſſit diſſentire, ſi velit. Ergo conſequenter fateri tenentur Concilium Tridentinum

tinum intelligendum eſſe de potentia diſſentiendi gratiæ congruæ in ſenſu diuiſo, non autem in ſenſu compoſito; aliàs apertè viderentur pugnare cum verbis Concilij. Sicut ergo ipſi fatentur, fieri non poſſe, vt quis moueatur à Deo gratia congrua ad conſenſum, & diſſentiat, aliàs ſimul conſentiret, & diſſentiret, quod eſt impoſſibile: ita & nos aſſerimus, fieri non poſſe, vt Deus moueat liberum arbitrium gratia prædeterminante ad conſenſum, & diſſentiat, quamuis ſemper poſſit diſſentire, ſi velit. Nec ſatis eſt dicere eſſe differentiam, nam gratia congrua præſcitur à Deo per ſciẽtiam mediam; ſeu conditionatam, habitura effectum ex hypotheſi, quod per illam liberum hominis arbitrium præmoueatur: ac per conſequens neceſſitas conſentiendi in ſenſu compoſito, oritur ex ſuppoſitione ipſius conſenſus liberi, & propterea huiuſmodi neceſſitas non obſtat libertati, quia omnis res dum eſt, neceſſe eſt, eſſe. Cæterùm neceſſitas ex ſuppoſitione gratiæ prædeterminantis non ſumitur ex præſcientia, vel ſuppoſitione ipſius liberi conſenſus futuri; ſed ex aliquo antecedente ipſum conſenſum, nimirum ex abſoluto decreto voluntatis diuinæ prædeterminante per auxilium efficax liberum arbitrium ad conſenſum, & ideo huiuſmodi neceſſitas, cùm ſit antecedens, præiudicat libertati, iuxta doctrinam Anſelmi. Hæc enim differentia difficultatem argumenti non ſoluit. Nam vndecumque proueniat infallibilitas conſenſus futuri ex gratia congrua, vel efficaci, neceſſariò dicendum eſt, hæc duo eſſe incompoſſibilia,

quòd

quòd ſcilicet gratia congrua, vel efficax ad conſenſum ſit in homine, & homo diſſentiat. Hoc autem, & nihil aliud ſignificat propoſitio illa Concilij intellecta in ſenſu compoſito, vt fatetur arguens. Ergo fateri tenetur, liberum arbitrium excitatum & motum gratia congrua, & efficaci non poſſe diſſentire in ſenſu compoſito, & in eodem ſenſu eſſe intelligendam definitionem Concilij, ſi ſermo fiat de gratia efficaci. Accedit, quòd ſcientia illa conditionata, ſeu media conſenſus futuri ex hypotheſi, quæ ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ in Deo conſtituitur, eſt fictitia, vt ex dictis ſupra *libro* 1. *cap.* 1. *& ſeqq.* conſtat, & ex *diſputatione* 7. *de Auxiliis*, & ex præmiſſis patet. Ergo ex illa, non poteſt deſumi infallibilitas liberi conſenſus futuri. Ergo deſumenda eſt tanquam ex prima radice, & cauſſa, & abſoluto, & efficaci decreto Dei volentis, vt noſtrum arbitrium gratia præueniente excitatum, & adiutum liberè conſentiat. In auxilio autem efficaci præoperantis gratiæ eſt intentionaliter virtus eiuſdem voluntatis diuinæ. Ergo eſt impoſſibile, quod hoc auxilium ponatur in homine, & homo diſſentiat. Ergo non poteſt eidem auxilio diſſentire in ſenſu compoſito.

XIX. Ad obiectionem ergo factam, negandum eſt, Concilium, loqui de potentia diſſentiendi auxilio efficaci in ſenſu compoſito. Et ad primam probationem negatur antecedens, ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quòd ſenſus compoſitus, vel diuiſus propoſitionis modalis, ſolùm habet locum, quando in dicto eiuſdem

Digitized by Google

dem modalis propoſitionis importantur duæ formæ, quæ poſſunt prædicari, vel prædicantur ſimul, aut diuiſiuè de eodem ſubiecto mediante copula modali, vt in hac propoſitione. Album eſſe nigrum eſt poſſibile. Etenim intellecta in ſenſu compoſito, ſicut eſt intelligenda, vt iacet, ſignificat, fieri poſſe, vt albedo, & nigredo ſimul ſint in eodem ſubiecto, & ideo propoſitio eſt falſa, & eius contradictoria vera; nimirum, album eſſe nigrum, eſt impoſſibile. Si autem intelligatur in ſenſu diuiſo, ſenſus eius eſt, fieri poſſe, vt aliquid ſucceſſiuè ſit album, & nigrum: non autem ſimul, ſeu pro eodem inſtanti. Vnde iſta propoſitio, album poſſibile eſt eſſe nigrum, vel album poteſt eſſe nigrum, in ſenſu diuiſo accepta: ſicut accipienda eſt, vt iacet, eſt vera: quia illæ duæ formæ, albedo ſcilicet, & nigredo poſſunt competere eidem ſubiecto diuiſim, & ſucceſſiuè. Idem dicendum eſt proportionabiliter de illa propoſitione: Liberum arbitrium motum auxilio efficaci poteſt diſſentire. Etenim in ſenſu compoſito intellecta facit iſtum ſenſum, fieri poteſt, vt motio efficax ad conſenſum ſit in libero arbitrio, & tamen liberum arbitrium diſſentiat, & ideo in hoc ſenſu propoſitio eſt falſa, ac per conſequens non fuit in hoc ſenſu intellecta à Concilio, ſed ſolùm in ſenſu diuiſo, in quo ſignificat fieri poſſe, quòd auxilium efficax, & diſſenſus ſint in libero arbitrio, ſed non ſimul, vel coniunctim, ſed diuiſim: quia ipſum auxilium gratiæ efficacis, dum eſt in libero arbitrio, & Deus per idem auxilium efficit, vt cùm poſſit diſſentire, non diſſentiat, ſed

ſed liberè & infallibiliter conſentiat: vt ait Auguſtinus *libro de correptione & gratia cap. 12. ſupra citato, & libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 8.*

His ſuppoſitis, quæ negari ab vllo Theologo non poſſunt, reſpondetur ad *Can. 2. eiuſdem Concilij Tridentini*, quòd illa propoſitio: *Homo ſine gratia Dei iuſtè viuere, & vitam æternam promereri non poteſt*, non patitur propriè loquendo ſenſum compoſitum, aut diuiſum ex parte ſubiecti; quia nullam importat formam ex parte eiuſdem ſubiecti, quæ de illo poſſit prædicari in ſenſu compoſito, vel diuiſo cum forma importata per prædicatum. Vnde propoſitio illa eſt, vt iacet, accipienda, & ſenſus illius eſt, quòd homo ſine gratia Dei non habet verum poſſe, ſeu veram potentiam proximam, qua iuſtè viuere, & vitam æternam promereri valeat; quia reuera non poteſt ſolis viribus naturæ ſine gratia Dei iuſtè viuere, & vitam æternam promereri. Ad

August. *Can. 22.* reſpondetur; quòd, vt docet Auguſtinus *libro de correptione & gratia ca. 11. & 12.* duplex eſt perſeuerantia: altera, qua poteſt homo perſeuerare ſi velit, qualis primo parenti in ſtatu innocentiæ collata fuit, & ſine hoc dono, nec in ſenſu compoſito, nec in ſenſu diuiſo, poteſt homo perſeuerare, vt dictum eſt. Alia eſt perſeuerantia qua fit, vt homo actu perſeueret vſque in finem. Et hæc eſt perſeuerantia ſpecialis, quæ omnibus electis præparata eſt per Chriſtũ. Et quidem ſi illa excluſiua, *ſine*, determinet verbum, *perſeuerare*, veriſſima eſt iſta propoſitio: Sine auxilio efficaci doni perſeuerantiæ non

poteſt

Digitized by Google

poteſt homo perſeuerare vſque in finem, vt ſupra dictum eſt. Quia ſenſus illius eſt: fieri non poteſt, vt homo perſeueret vſque in finem, & non habeat auxilium efficax doni perſeuerantiæ; qui ſenſus in omniũ ſentẽtia veriſſimus eſt, vt in alia cõſimili propoſitione ex S. Tho. oſtenſum eſt ſupra. Si autẽ illa excluſiua, *ſine* determinet verbũ *poteſt*, falſa erit hæc propoſitio: Sine auxilio efficaci doni perſeuerantiæ nõ poteſt homo perſeuerare vſque in finẽ: ſignificat enim, quòd ſine auxilio efficaci nõ habeat homo auxiliũ ſufficiens, quo poſſit perſeuerare, ſi velit, qui ſenſus eſt falſus, vt ſupra dictũ eſt. Si autem nomine perſeuerantiæ comprehendatur tam auxilium præuenientis gratiæ ſufficiens, quàm efficax, aſſerendum eſt, quòd non poteſt homo ſine huiuſmodi dono gratiæ perſeuerare vſque in finem: quia, vt ex præmiſſis conſtat, abſque tali dono gratiæ, non ſolùm non perſeuerabit homo de facto vſque in finem, ſed etiam perſeuerare non poteſt. Et iuxta hanc doctrinam loquitur Sacrum Concilium Tridentinum. Ex his autem nihil deducitur contra ſenſum *Can.* 4. ſupra explicatum; ſed potius idem ſenſus corroboratur, vt in ſolutione ad ſeptimam probationem manifeſtum fiet, & conſtat ex his, quæ docet S. Thom. *q. 6. de verit. art. 3. ad 7. & q. 23. art. 5. ad 3.*

S. Tho. q. 1. de poten. c. 5. ad 1.

XX.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, quòd illa propoſitiò; Beati videntes Deum per eſſentiam poſſunt illum odio habere, vel non amare, ſiue accipiatur in ſenſu compoſito, ſiue in ſenſu diuiſo, eſt falſa; quia quadam fœliciſſima

neceſſitate diligunt Deum: & cum illa beatitudine non compatitur in voluntate Beati vera facultas,quæ poſſit non diligere Deum, aut illú odio habere propter rationem aſſignatam *diſp. 22.de Auxiliis n. 43.* Cæterùm cum auxilio efficaci ad conſenſum compatitur in libero arbitrio vera facultas, qua poſſit diſſentire ſi velit:quia videlicet medio iudicio rationis indifferenti determinat ſe ad conſenſum, vnde non eſt ſimile.

Poteſt hæc ſolutio confirmari,& illuſtrari ex Sancto Thoma 1.*parte,quæſt.*14.*art.* 13.*ad* 3.*&.q.* 2.*de veritate ar.* 12.*ad* 4. Vbi docet,quòd in formis ſeparabilibus à ſubiecto, atque inhærentibus illi,quæ ſibi inuicem ſuccedere poſſunt,ſicut albedo,& nigredo, poteſt aliquid prædicari in ſenſu diuiſo de ſubiecto exiſtente ſub vna forma,quod tamẽ non poteſt prædicari in ſenſu compoſito de eodem ſubiecto exiſtente ſub illa forma:vt ſi dicatur: album poſſibile eſt eſſe nigrum,quæ quidem de dicto eſt falſa, quia eſt compoſita,& de re eſt diuiſa,& vera.Res enim, quæ eſt alba,poteſt eſſe nigra: ſed hoc dictum, album eſſe nigrum, nunquam poteſt eſſe verum,quia non poteſt aliquid ſimul eſſe album, & nigrum.Si autem illæ formæ in ſubiecto inhærentes ſint,vel aliqua illarum ſit à ſubiecto inſeparabilis, tunc nec in ſenſu compoſito,neque in ſenſu diuiſo erit vera propoſitio,vt ſi dicatur:Coruum nigrum,poſſibile eſt eſſe album: in vtroque enim ſenſu eſt falſa hæc propoſitio. Proportionabiliter dicendum eſt in præſenti; quòd cùm viſio beatifica, & lumen gloriæ ſit for-

forma inſeparabilis à ſubiecto,& ex eadem forma procedat, quòd Beati non poſſint odio habere Deum, ſed ex neceſſitate diligant illum. Ideo hæc propoſitio; Beati poſſunt non amare, vel odio habere Deum, ſiue accipiatur in ſenſu compoſito,ſiue in ſenſu diuiſo,ſemper eſt falſa.

Ad aliam propoſitionem: Confirmatus in gratia poteſt peccare mortaliter,iam in *diſp.*104. *de Auxiliis n.* 3. *&* 4. explicui,in quo ſenſu impeccabilitas competat confirmatis in gratia. Ad aliud de humanitate Chriſti,reſpondetur,quòd ſuppoſita vnione hypoſtatica,nec in ſenſu diuiſo,nec in ſenſu compoſito poteſt peccare mortaliter, aut ſe determinare ad actum intrinſecè malum. Licèt enim, quantum eſt ex parte motionis efficacis prædeterminantis ad piè operandum, poſſet ſimul ſtare cum illa in voluntate animæ Chriſti vera facultas,qua poſſet ſe determinare ad actum malum ſi vellet, præſcindendo ab vnione hypoſtatica, ex hac tamen vnione,& ex viſione beatifica, quam habuit ab inſtanti conceptionis, communicata eſt illi impeccabilitas ſimpliciter, & ablata facultas ad peccandum multo magis, quàm ab ipſis Beatis.Nec ex hoc ſequitur, quòd non fuerit libera in ſuis actionibus: nam poſſe peccare, vel operari malum, non eſt de intrinſeca ratione libertatis, ſed imperfectio ei competens ſecundùm quod reperitur in ſuppoſito creato defectibili, vt *diſputatione* 116. *numero* 12. *&* 13. oſtenſum eſt. Vnde illa propoſitio, humanitas Chriſti efficaciter directa à Spiritu ſancto poteſt peccare, vel ſe determi-

nare ad actum intrinſecè malũ, ſemper eſt falſa, ſiue in ſenſu compoſito, ſiue in ſenſu diuiſo intelligatur; quia cum vnione hypoſtatica non ſtabat ſimul in humanitate Chriſti facultas peccandi. Et ſi fiat argumentum, nam facultas ad oppoſita eſt de intrinſeca ratione libertatis, reſpondetur, facultatem ad oppoſita contradictoriè, id eſt, ad operandum, & non operandum, eſſe de ratione libertatis: non autem eſt de eius eſſentia facultas ad oppoſita contrariè; videlicet ad operandum bonum, & malum, vt patet in voluntate diuina, quæ perfectiſſimè eſt libera comparatione eorum, quæ operatur ad extra, in qua tamen non reperitur facultas ad operandum malum. De quo videnda ſunt, quæ dixi *diſp.116. de Auxiliis num. 12. & 13.* Vbi explicatum eſt; qualiter Chriſtus Dominus liberè obediuit præcepto moriendi ſibi impoſito à patre; etiam ſi non potuerit peccato inobedientiæ delinquere.

Obiectio.

Ad tertiam probationem, fatemur Conciliũ Tridentinum locis inductis explicaſſe vſum libertatis, quem in actionibus ſuis habet liberum hominis arbitrium, & hoc optimè explicauit, etiam ſi illa propoſitio intelligatur de potentia diſſentiendi in ſenſu diuiſo, quandò auxilium præueniens eſt efficax ad conſenſum. Et ad impugnationem iam patet ex dictis, quem ſenſum faciat illa propoſitio in ſenſu diuiſo. Significat enim, quòd cum motione efficaci ſtat ſimul in voluntate vera facultas, qua poſſit diſſentire, ſi velit. Hanc autem habet, etiamſi non moueatur phyſica prædeterminatione ad actũ diſſentiẽdi,

Digitized by Google

in quantum actus eſt. Nam talis prædeterminatio non eſt neceſſaria, vt homo poſſit diſſentire, ſi velit, ſed vt actu diſſentiat. Vnde non eſt admittendum, quòd poſſe diſſentire in ſenſu diuiſo, ſit poſſe prædeterminari ad actum diſſenſus. Nam potentia comparatione motionis prædeterminantis eſt paſſiua, in qua ſubinde non poteſt libertas conſiſtere. Potentia autem diſſentiendi, quæ ſimul ſtat cum auxilio efficaci, eſt poteſtas actiua ad actum oppoſitum conſenſui, quem elicit arbitrium motum auxilio efficaci; hæc autem poteſtas pugnat cum neceſſitate abſoluta, & coactione, quam excludit libertas.

Sed adhuc obijcitur. Vt homo gratia præueniente motus ad conuerſionem in Deum, liber ſit ad volitionem conuerſionis, & volitionem oppoſitam, debet habere vnam, eamdemque numero potentiam, per quam formaliter conſtituatur potens ad vtramque volitionem. Nulla enim eſt potentia libera, cùm facultas ad vnũ oppoſitorum in vna, & ad reliquum in altera potentia reperitur. Sed homo ad conuerſionem motus, talem potentiam non habet. Ergo. Minor probatur, nam potentia, quam homo gratia præueniente motus habet ad volitionem conuerſionis, eſt quid conflatum ex arbitrio creato, & gratia efficaci phyſicè prædeterminante: Potentia verò, quam habet ad volitionem oppoſitam, non eſt illud ipſum conflatum: hoc enim volitionem illam oppoſitam producere, & recipere nequit: nam alioqui diſſentiret gratiæ efficaci, ſeu phyſicè prædeterminanti in ſenſu compoſito. Ergo. XXII.

Hæc obiectio videtur etiam Sophiſtica, & per eandem diſtinctionem ſenſus compoſiti,& diuiſi,atque ex dictis *diſputatione* 85 *de Auxiliis* facilè ſoluitur.Ibi enim oſtenſum eſt,gratiam,& liberum arbitrium non eſſe duas cauſſas partiales ſupernaturalis conſenſus, ſicut duo trahentes nauim, vt obiectio ſupponere videtur, ſed quamlibet eſſe totalem in ſuo genere,quarum vna,id eſt,liberum arbitrium, non ſolùm in eſſendo,ſed etiam in operando ſubordinatur eſſentialiter alteri,hoc eſt,Deo mouenti per gratiam. Quo ſuppoſito dicendum eſt, quòd eadem potentia,& idem numero liberum arbitriũ ſe habet ad oppoſita, & eadem numero voluntas eſt,quæ poteſt conſentire, aut diſſentire ſi velit:ſed quòd poſſit conſentire vocationi diuinæ,habet ex gratia ſufficiente;quod autem actu conſentiat, habet ex dono efficacis gratiæ: etenim ex ſolis viribus naturæ id non poteſt, vt definitur in Concilio Tridentino.Neque id negabunt auctores ſententiæ contrariæ.Quod autem eidem gratiæ poſſit diſſentire ſi velit,habet ex ſua mutabilitate, & ex propria natura libertatis,quam non aufert,ſed illæſam prorſus conſeruat auxilium efficax præuenientis gratiæ, iuxta illud, quod ait Sanctus Proſper: *De ſua habens mutabilitate,ſi deficit:de gratia opitulatione, ſi proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, ſiue occultos,ſiue manifeſtos,omnibus adhibetur, & quòd à multis refutatur,ipſorum eſt nequitia: quod autem à multis ſuſcipitur,& gratia eſt diuina, & voluntatis humana.* Et inferius ſubdit: *Et quòd eos voluit Deus velle, voluerunt. Qui ad obediendum ſibi,*

Conc. Trid. Can. 2. & 3. ſeſſ. 6.

S. Proſper lib. 2. de vocat. gen. c. 26 c. 27. & 28.

Digitized by Google

ſibi,ipſum velle ſic donat, vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem, quæ poteſt nolle, non auferat: Quam doctrinā confirmat Sanctus Thomas 1.2. *q.112.ar.3.ad* 2. Vbi occaſione cuiuſdam auctoritatis Anſelmi explicans vnde proueniat, quòd quis ſe ad gratiam præparet, aut non præparet, ait, *quòd defectus gratiæ prima cauſſa eſt ex nobis: ſed collationis gratiæ prima cauſſa eſt à Deo ſecundum illud Oſeæ* 13. *Perditiò tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* Vnde ad obiectionem conceſſa maiori, neganda eſt minor. Ad probationem dicendum, quòd liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum habet veram potentiam ad conſentiendum vocationi diuinæ, & etiam toto tempore, quo mouetur efficaciter ad conſenſum, habet veram potētiam, qua poſſit diſſentire, ſi velit. Non tamen habet potentiam ad coniungendum ſimul actualem diſſenſum cum motione efficaci, vel cum decreto abſoluto Dei volentis, vt homo conſentiat. Hæc enim potentia non requiritur ad rationem libertatis, vt omnes fatentur, & patet ex illa diſtinctione communiter recepta de ſimultate potentiæ ad oppoſita, & de potentia ſimultatis. Primam potentiam inquiunt, eſſe de eſſentia libertatis, non autem ſecundam. S.Thom.

XXII. Ad quartam probationem reſpondetur, Concilium Tridentinum in illis locis efficaciter excluſiſſe errorem Caluini: quippe qui (vt ſupra viſum eſt) aſſeruit, Deum per gratiam efficacem ita mouere voluntatem noſtram ad conſenſum, vt non poſſit diſſen- *Hoc eodem c.nu.10.*

 tire,

Digitized by Google

tire,aut refragari ſi velit;quod indicant illa eius verba relata à Ruard.Tap. *art.*7.quæ fruſtra cõtra noſtram ſententiam paſſim obijciuntur; *voluntatem mouet,non qualiter multis ſæculis traditum eſt,& creditum,vt noſtra poſtea ſit electionis; motioni aut obtemperare,aut refragari.*

Ad quintam probationem reſpondetur, aſſenſum, quem præſtat liberum arbitrium motum gratia efficaci, eſſe verum aſſenſum liberũ, ſed impropriè dicit eſſe aſſenſum in ſenſu compoſito.Nam ſenſus compoſitus,vel diuiſus non cadit ſupra aſſenſum, ſed ſupra verbum *poteſt*, vel alium modum, ſeu coniunctionem modalem,quæ non reperitur in illa priori parte *Can.* 4. qua aſſeritur liberum hominis arbitrium à Deo motum,& excitatum aliquid cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti. Vnde probatio illa nullam prorſus apparẽtiam habet. Cùm autem ſubdit Concilium, liberum arbitrium ſic motum,& excitatum poſſe diſſentire, ſi velit,explicat aſſenſum illum,de quo in priori parte Can.ſermonem fecerat,eſſe verè aſſenſum liberum. Vnde aliquid amplius explicat in his verbis, quod nondum explicauerat in præcedentibus.

Ad ſextam negatur antecedens. Ad probationem reſpondetur,quòd poſſe diſſentire gratiæ efficaci in ſenſu diuiſo,eſt poſſe componere, ſeu coniungere cum libero arbitrio diſſenſum, quod reuera poteſt homo, qui mouetur gratia efficaci,quamuis non poſſit ſimul ponere diſſenſum cum ipſa gratia efficaci in eodem arbitrio.Si hoc enim valeret, poſſet diſſentire auxilio

xilio efficaci in ſenſu compoſito. Et cùm arguitur, nam poſſe diſſentire in ſenſu diuiſo, eſt poſſe componere non componendo, ſed diuidendo, quod eſt manifeſta contradictio, reſpondetur, quòd poſſe componere diſſenſum cum libero arbitrio, non componendo illum cum eodem arbitrio inuoluit contradictionem: ſed tamen poſſe componere diſſenſum cum libero arbitrio, non componendo, vel coniungendo eundem diſſenſum cum gratia efficaci in eodem arbitrio, nullam inuoluitcontradictionem, aut repugnantiam, & hoc ſignificat illa propoſitio *Canon*. 4. in ſenſu diuiſo. Sicut hæc propoſitio: album poteſt eſſe nigrum, in ſenſu diuiſo accepta ſignificat, quòd albedo, & nigredo poſſint poni in eodem ſubiecto, non tamen ſimul, ſed diuiſiuè. Vnde poſſe componere albedinem cum ſubiecto, non componendo illam cum eodem ſubiecto, eſt impoſſibile; nulla tamen eſt contradictio, ſed veriſſimè affirmatur quòd albedo poſſit componi cum tali ſubiecto, non componendo illam cum nigredine in eodem ſubiecto. Proportionabiliter dicendum eſt in præſenti, quòd diſſenſus poteſt componi cũ libero arbitrio eius, qui mouetur auxilio efficaci, quod eſt poſſe diſſentire in ſenſu diuiſo: non tamen poteſt diſſenſus componi, ſeu ſimul poni cum gratia efficaci in eodem arbitrio, ac per conſequens homo excitatus, & motus auxilio efficaci ad conſenſum non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito. Confirmari poteſt, & explicari magis hæc doctrina ex illa propoſitione, Prædeſtinatus poteſt damnari. Etenim in

ſenſu diuiſo intellecta ſignificat, damnationem æternam poſſe competere homini, qui eſt prædeſtinatus, & ineſſe illi. Et propterea in ſenſu diuiſo eſt vera; diuiditur enim damnatio æterna à prædeſtinatione ad gloriam, quia non poſſunt ſimul eidem conuenire. Sed intellecta in ſenſu compoſito ſignificat, fieri poſſe, vt aliquis ſimul ſit prædeſtinatus, & actu damnetur quod eſt impoſſibile. Et propterea hæc propoſitio, Prædeſtinatus poteſt damnari, in ſenſu compoſito eſt falſa.

XXIII. Ad ſeptimam probationem, qua conuincitur arguens, putans inſolubilem eſſe; omiſſis veris ſolutionibus, quas idem auctor refert, & impugnat, facilè reſpondetur ex ipſamet doctrina Sacri Conc. Trid. in *illo cap. 5. ſeſſ. 6*. Ad cuius euidentiam conſideranda ſunt attentè, & expẽdenda eius verba, vt ex illis eruamus legitimam ſolutionem. Sic enim loquitur: *Declarat præterea* (Sancta Synodus) *ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocatur, vt qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur: ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens: quippe qui illam, & abijcere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit.* In quibus verbis dupli-

duplicem gratiam præuenientem commemorat Sancta Synodus,excitantem videlicet,atque adiuuantem,vt probaui *li.2.cap.1.numero* 37. Similiter etiam duos actus recenſet liberi arbitrij,videlicet aſſenſum, & cooperationem,cùm ait: *Eidem gratiæ liberè aſſentiendo,& cooperando,* & ex eo probat,quòd voluntas liberè aſſentiatur,& cooperetur,quia poteſt diſſentire, & non cooperari,ſi velit,& inſpirationem illam,quam recipit, abiicere, id quòd indicant verba illa, quibus docet, *liberum arbitrium aliquid agere inſpirationem illam recipiens: quippe qui illam, & abiicere poteſt.* Aſſenſus ergo, de quo loquitur Concilium,refertur ad gratiam excitantem, & ſuadentem,cui poteſt diſſentire,ſi velit: cooperatio verò arbitrii refertur ad gratiam coadiuuantem, nam gratia adiuuans, cum qua operatur liberum arbitrium, ſiue Deus per gratiam ipſam adiuuantem, eſt verè cauſſa efficiens, & phyſica conſenſus,quem producit per liberum arbitrium,nam gratia excitans ſolùm concurrit moraliter ad liberum conſenſum, & piam operationem arbitrij: non autem efficienter, & phyſicè, vt patebit infra *libro tertio cap. quinto.*

Secundò eſt ſupponendum, hanc inter alias eſſe differentiam, inter gratiam excitantem, ſeu ſuadentem, & gratiam adiuuantem, ſeu cooperantem, quòd gratia adiuuans ad conſenſum ſemper eſt in eodem inſtanti, & toto tempore,quo noſtrum arbitrium conſentit, & cooperatur cũ illa,ita vt ſit impoſſibile, liberũ arbitrium cooperari cum gratia adiuuante,quin etiam XXIV.

Digitized by Google

etiam gratia adiuuans cooperetur cum illo, & è conuerſo: nam hæc duo ſunt correlatiua: qui enim adiuuatur aliquid agit, vt Auguſtinus ait *tract.4.in 1.epiſt.Ioan.& ſerm.3.de verbis Apoſt.& ſuper Pſal.78.* in illa verba: *Adiuua nos Deus ſalutaris noſter.* Gratia verò excitans, & ſuadens conſenſum non oportet, quòd ſit in eodem inſtanti temporis cum ipſa cooperatione, vel conſenſu, aut diſſenſu liberi arbitrij, ſed poteſt tempore præcedere per aliquam morulam, ſicut patet exemplo manifeſto. Poteſt enim Petrus verbi gratia ſuadere Paulo tali tempore, vt remittat iniuriam ſibi factam, & ſubſequi remiſſio poſt horam ad ſuaſionem Petri. Vnde gratia excitans ad conſenſum non affert ſecum infallibiliter liberum conſenſum arbitrij, ſed poteſt ſimul eſſe cum diſſenſu: nam vt *q. 3. de malo art. 3. in corpore* docet S. Thomas cum Auguſtino *lib. 83. quæſtion. quæſt. 4. Suaſio non cogit inuitum.*

XXV. His ſuppoſitis reſpondetur facilè, quòd ſi obiectio procedat de præueniente gratia excitante, cui homo aſſentitur, vel diſſentitur, conceditur antecedens ſimul cum conſequenti. Veriſſimum eſt enim, quòd liberum arbitrium poteſt componere, ſeu ſimul ponere cum eadem gratia excitante actum ipſi oppoſitum, hoc eſt, diſſenſum contrarium aſſenſui, ad quem ſuadendo mouet, vt patet in eo, qui reſiſtit gratiæ excitanti, & ſuadenti, ſicut reſtiterunt illi, de quibus ait Stephanus *Actor. 7. Vos Spiritui Sancto ſemper reſtitiſtis.* Etenim, vt conſtat ex ipſa propria ſignificatione, & etymologia nominis, *Act. 7.*

aſſen-

aſſenſus, vel *diſſenſus* ſemper refertur ad gratiam excitantem,& ſuadentem:non autem ad gratiā adiuuantem,& cooperantem. Etenim liberum arbitrium cooperatur quidem cum gratia adiuuante,non autem dicitur cum proprietate, qua loquitur Concilium,conſentire illi, vel diſſentire,ſed cooperari.

Si verò procedat obiectio de gratia adiuuante,&cooperante,poteſt quidem liberum arbitrium abſolutè,& ſimpliciter loquendo, & in ſenſu diuiſo non cooperari cum illa,ſi velit, nā liberè cooperatur : fieri tamen non poteſt per vllam potentiam,vt gratia adiuuans, & cooperans cum libero arbitrio ad conſenſum ſit in illo;& quòd liberum arbitrium non cooperetur eundem conſenſum, vel diſſentiat gratiæ excitāti.Nam eo ipſo,quòd liberum arbitriū cooperatur cum gratia adiuuante, conſentit gratiæ excitanti, ac per conſequens ex ſuppoſitione, quòd conſentit,non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito: nam conſenſus,&diſſenſus ſunt incompoſſibiles in eodem arbitrio circa idem obiectum. Et ideo ex eadem ſuppoſitione neceſſariò conſentit neceſſitate conſequentiæ, & infallibilitatis. XXVI.

Ex hoc autem, quòd voluntas noſtra non poſſit componere, ſeu ſimul ponere diſſenſum cum auxilio efficaci mouente ad conſenſum, vel cū decreto abſoluto diuinæ voluntatis prædeterminantis,vt homo conſentiat, non ſequitur,conſenſum illum non eſſe liberum, nam vt actus ſit liber non requiritur, quòd poſſit coniungi in eodem arbitrio cum qualibet forma, XXVII.

vel

vel ſuppoſitione;ſed ſufficit, quòd abſolutè loquendo,tam conſenſus, quàm diſſenſus poſſit diuiſiuè coniungi cum libero arbitrio, hoc eſt, non ſimul,& coniunctim, vt patet ex ipſa definitione liberi arbitrij, quod eſt facultas voluntatis & rationis ad oppoſita. Vnde ad eſſentiam liberi arbitrij,non requiritur, quòd ſit in eo potentia ad oppoſita ſimul habenda;nam oppoſita ſimul eſſe non poſſunt,ſed ſufficit,quòd ſit in eo ſimultas potentiæ ad oppoſita diuiſiuè habenda,vel ſucceſſiuè. Hanc autem ſimultatem potentiæ ad conſentiẽdum, vel diſſentiendum habet liberum arbitrium,etiam pro illo inſtanti, quo per auxilium efficax determinatur,&ſe determinat ad conſenſum: quam quidem ſimultatem potentiæ magna cum ſubtilitate, & claritate SacrumCõcilium Tridentinum explicuit locis prçallegatis,dum aſſeruit,liberum arbitriũ à Deo motum, & excitatum diuiná inſpirationem ſuſcipiens ita conſentire Deo excitanti, & vocanti,*vt poſſit diſſentire, ſi velit,* & diuinam inſpirationem *abiicere.* Quia verò per gratiam efficacem Deus efficit,vt cùm liberum arbitrium ex ſua innata libertate,& mutabilitate poſſit inſpirationem diuinam abijcere,& diſſentire,non tamen eam abiiciat,vel diſſentiat, ſed liberè,& infallibiliter conſentiat;ideo liberè conſentit.

Et vt ſolutionem eiuſdem probationis ſeptimæ ad formam reducamus, admittendum eſt, quòd diſſentire actualiter gratiæ præuenienti ſit,cum illa ſimul ponere,ſeu componere in libero arbitrio actualem diſſenſum. Admittendũ eſt etiam , quòd poſſe diſſentire eidem gratiæ in ſenſu

Digitized by Google

in ſenſu compoſito ſit, poſſe componere, ſeu ſimul ponere cum illa in eodem arbitrio diſſenſum. Concedendum eſt etiam, liberum hominis arbitrium motum à Deo gratia excitante,& ſuadente poſſe eidem gratiæ diſſentire in ſenſu compoſito, vt dictum eſt. Sed quotieſcumque gratia excitans coniungitur in eodem arbitrio cum gratia adiuuante, ſeu cooperante, quæ eſt gratia efficax præueniens ordine rationis, & cauſſalitatis liberam cooperationẽ arbitrij, tũc,& eo caſu, ſicut nõ eſt factibile, vt eiuſmodi gratia efficax ſit in homine,& homo diſſentiat, aliàs gratia præueniens ſimul eſſet efficax,& non eſſet efficax, & ſimul induceret conſenſum, & illum componeret cum diſſenſu, quod manifeſtam inuoluit contradictionem: ita etiam non poteſt eidem gratiæ præuenienti diſſentire in ſenſu compoſito, ſiue ex ſuppoſitione, quòd gratiæ excitanti conſentit, & liberè operatur cum gratia adiuuante, ſeu cooperante. Quinimmo ex ſuppoſitione eiuſdem conſenſus, ſiue adiuuantis gratiæ inducentis conſenſum neceſſariò conſentit neceſſitate conſequentiæ, & infallibilitatis, quia omnis res dum eſt, neceſſe eſt, eſſe, vt dicitur 1. *Perihermenias,* *cap.* 6.

Vtram

Vtrum illi, quibus æqualem gratiam præuenientem Spiritus ſanctus impertitur, æqualiter ſemper cum illa conentur.

Capvt V.

I. Vt punctum principale, in quo difficultas conſiſtit, aperiamus, obſeruandum eſt, nos in præſenti non loqui de auxilio gratiæ excitantis, vel ſufficientis. Omnes enim Theologi in hoc conueniunt, quòd quantitas intenſionis actus liberi arbitrij non eſt mẽſuranda ex quantitate gratiæ excitantis, vel ſufficientis. Sicut enim contingit, quòd habens habitum charitatis intenſum operetur remiſſe, & è contra qui habet habitum charitatis remiſſum, eliciat actum multo magis intenſum, quàm ſit habitus: ita etiam euenire poteſt, & multoties contingit, quòd habens minus intenſam gratiam excitantem, & ſufficientem prorumpat in actum magis intenſum, quàm alius, qui maiori gratia excitante & ſufficiente præuenitur à Deo. Difficultas ergo procedit de gratia adiuuante, ſeu efficaci, & conſiſtit in hoc, Vtrum tota intenſio piæ operationis noſtri arbitrij menſuranda ſit iuxta quantitatem gratiæ adiuuantis, ſeu auxilii efficacis, ita videlicet, vt nunquam contingat actum illum eſſe magis intenſum, aut remiſſum, quàm ſit quantitas eiuſdem auxilij.

Qui-

Quidam partem defendunt negatiuam. Dicunt enim: Ab inæquali conatu, & influxu liberi arbitrij prouenire poteſt, vt conferente Deo duobus hominibus æquale auxilium gratiæ adiuuantis, vnus eorum intenſius operetur, meliuſque ſe diſponat ad gratiam iuſtificãtem, quàm alius: & vt conferente eiſdem inæqualia auxilia, æquè operetur, aut is interdum plus, qui minori ſuffultus eſt auxilio. Argumenta huius ſententiæ *diſp. 57. de Auxiliis*, vbi ex profeſſo hanc difficultatem diſcuſſi, adducta ſunt, & ſoluta. Nunc autem quibuſdam aliis obiectionibus, quæ contra doctrinam ibi traditam afferuntur, occurrendum eſt, & oſtendendum, nullam prorſus nouam habere difficultatem, ſed ex principiis ibi traditis facillimè poſſe diſſolui. *Molina concordia q.14. d.39. §. Illud præterea.*

Primum argumentum eſt, nam tota agendi vis non eſt in ſola gratia efficaci, etenim etiam liberum arbitrium ſua libertate naturali cõcurrit efficienter cum gratia ad piam operationem, aliàs merè paſſiuè ſe haberet, recipiendo actionem à ſola gratia productam, quod aduerſus Lutherum eſt in Concil. Trid. damnatum. Ergo ex maiori, vel minori conatu, ſeu influxu liberi arbitrij, poterit pia eius operatio eſſe intenſior, vel remiſſior cæteris paribus ex parte auxilij efficacis. *Conc. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtif. can. 4.*

II. Secundum. Liberum arbitrium non vtitur neceſſariò auxilio efficaci, ſed liberè, ſicut contingit in habitibus, quibus vtimur, cùm volumus. Ergo ſicut habens habitum intenſum poteſt cum illo operari remiſſè, & è contra cum habitu remiſſo poteſt intensè operari pro innata

Digitized by Google

Vtrum illi, quibus æqualem gratiam præuenientem Spiritus ſanctus impertitur, æqualiter ſemper cum illa conentur.

Capvt V.

1. Vt punctum principale, in quo difficultas conſiſtit, aperiamus, obſeruandum eſt, nos in præſenti non loqui de auxilio gratiæ excitantis, vel ſufficientis. Omnes enim Theologi in hoc conueniunt, quòd quantitas intenſionis actus liberi arbitrij non eſt menſuranda ex quantitatē gratiæ excitantis, vel ſufficientis. Sicut enim contingit, quòd habens habitum charitatis intenſum operetur remiſſe, & è contra qui habet habitum charitatis remiſſum, eliciat actum multo magis intenſum, quàm ſit habitus: ita etiam euenire poteſt, & multoties contingit, quòd habens minus intenſam gratiam excitantem, & ſufficientem prorumpat in actum magis intenſum, quàm alius, qui maiori gratia excitante & ſufficiente præuenitur à Deo. Difficultas ergo procedit de gratia adiuuante, ſeu efficaci, & conſiſtit in hoc, Vtrum tota intenſio piæ operationis noſtri arbitrij menſuranda ſit iuxta quantitatem gratiæ adiuuantis, ſeu auxilii efficacis, ita videlicet, vt nunquam contingat actum illum eſſe magis intenſum, aut remiſſum, quàm ſit quantitas eiuſdem auxilij.

Qui-

Quidam partem defendunt negatiuam. Dicunt enim : Ab inæquali conatu, & influxu liberi arbitrij prouenire poteſt, vt conferente Deo duobus hominibus æquale auxilium gratiæ adiuuantis, vnus eorum intenſius operetur, meliuſque ſe diſponat ad gratiam iuſtificãtem, quàm alius : & vt conferente eiſdem inæqualia auxilia, æquè operetur, aut is interdum plus, qui minori ſuffultus eſt auxilio. Argumenta huius ſententiæ *diſp.* 57. *de Auxiliis*, vbi ex profeſſo hanc difficultatem diſcuſſi, adducta ſunt, & ſoluta. Nunc autem quibuſdam aliis obiectionibus, quæ contra doctrinam ibi traditam afferuntur, occurrendum eſt, & oſtendendum, nullam prorſus nouam habere difficultatem, ſed ex principiis ibi traditis facillimè poſſe diſſolui. *Molina concordia q.14. d.39.§.Illud præterea.*

Primum argumentum eſt, nam tota agendi vis non eſt in ſola gratia efficaci, etenim etiam liberum arbitrium ſua libertate naturali cõcurrit efficienter cum gratia ad piam operationem, aliàs merè paſſiuè ſe haberet, recipiendo actionem à ſola gratia productam, quod aduerſus Lutherum eſt in Concil. Trid. damnatum. Ergo ex maiori, vel minori conatu, ſeu influxu liberi arbitrij, poterit pia eius operatio eſſe intenſior, vel remiſſior cæteris paribus ex parte auxilij efficacis. *Conc. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtif. can. 4.*

Secundum. Liberum arbitrium non vtitur neceſſariò auxilio efficaci, ſed liberè, ſicut contingit in habitibus, quibus vtimur, cùm volumus. Ergo ſicut habens habitum intenſum poteſt cum illo operari remiſſè, & è contra cum habitu remiſſo poteſt intensè operari pro innata II.

Digitized by Google

libertate arbitrij; ita etiam cum auxilio intenſo gratiæ efficacis poterit remiſſe operari, & cum auxilio remiſſo operari intensè. Non ergo menſuranda eſt tota quantitas piæ operationis ex ſola quantitate auxilij gratiæ adiuuantis, vel efficacis.

Tertium. Auxiliũ efficax non influit in operationem piam ſecundùm vltimum potentiæ, aliàs influeret ex neceſſitate naturæ, ſicut lumen gloriæ influit in viſionem beatificam, & ignis in effectum quem producit. Ergo non eſt neceſse actum eſſe ita intenſum, ſicut eſt auxilium; non ergo menſuranda eſt eius quantitas, ex ſola virtute, & intenſione auxilij efficacis.

Quartum. Oppoſita ſententia non videtur differre, ſed prorſus eſſe eadem cum errore Caluini. Etenim *lib. 5. de libero arbitrio contra Pighium pagin. 606.* verſus finem ſic ait: *Nec cooperari ex ſe hominem Deo ſentio, vt aliquid de ſuo admiſceat, ſed pro menſura ſolùm, quam accipit, vt non aliter agat, niſi quòd agitatur.* Et *pagin.* 318. eiuſdem libri fatetur, *Hominem ipſum, & conari, & agere, & ad Dei obſequium applicare ſuas facultates. ſed pro gratiæ menſura, quam accepit.* Denique *in antidoto ad cap. ſeptimum Concilij Tridentini ſeſſ. 6. de iuſtificatione* contendit, gratiam iuſtificantem non confundi ſecundùm propriam cuiuſcumque diſpoſitionem, & cooperationẽ prout eſt à libero arbitrio, ſed prout eſt à Spiritu ſancto, qui diſtribuit diſpoſitionem prout vult: quæ doctrina videtur damnata in Concilio Tridentino *cap. 7. citato*, vbi docet, *quòd verè iuſti nominamur, & ſumus, iuſtitiam in nobis recipien-*

tes

Digitized by Google

tes vnuſquiſque ſuam, ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis, prout vult; & ſecundùm propriam cuiuſcunque diſpoſitionem, & cooperationem. Quibus verbis ex duobus capitibus quantitatem gratiæ iuſtificantis docet eſſe deſumendam, primò quidem & principaliter ex motione Spiritus ſancti; ſecundariò, & minus principaliter ex diſpoſitione propria cuiuſcunque, & cooperatione. Non ergo deſumitur ex ſola quantitate gratiæ adiuuantis, vel efficacis.

Hæc difficultas facilè diſſolui poteſt ex dictis dubiis præcedentibus. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quod, vt *diſputation. 85. de Auxiliis* oſtendi, gratia & liberum arbitrium non ſunt duæ cauſſæ partiales piæ operationis, ſicut duo trahentes nauim, ſed totales, quarum vna, id eſt, liberum arbitrium ſubordinatur alteri, ſcilicet gratiæ in operando, & ab ea omnis virtus proxima, & formalis, quam habet comparatione actuum ſupernaturalium dependet, & in eam vltimatè referendum eſt, quòd eoſdem actus cum tali, vel tali intenſione producat. Etenim liberum arbitrium, creatum ex ſua naturali facultate nullam habet formalem, & proximam virtutem actiuam comparatione actuum ſupernaturalium, ſed ſolùm radicalem, & fundamentalem, ſecundùm illud, quod in *libro de prædeſtinatione Sanctorum capit.* 5. ait Auguſtinus: *Poſſe habere fidem, naturæ eſt hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem gratiæ, eſt fidelium.* III.

Dicendum eſt ergo, quòd tota intenſio actus IV.

 charitatis,

charitatis, & cuiuſcumque alterius piæ operationis tanquam à cauſſa proxima deſumenda eſt ex quantitate conatus, & influxus liberi arbitrij à Deo excitati, & adiuti, id quod efficaciter probatur locis adductis in quarto argumento ex Concilio Tridentino. Sed ex hac parte non poteſt accipi prima ratio huius intenſionis, ſed ex parte ipſius Dei mouentis mentem hominis, vel plus, vel minus, ſecundùm ſuam voluntatem. Hæc eſt ſententia expreſſa Sancti Thomæ 2.2. *quæſt.*24.*art.*3. *ad primum.* Et in 1.2. *quæſt.*112. *artic.*4. *in corpore.* Idem docet 1. *parte quæſt.* 62. *artic.*6. *& in* 1. *ſentent. diſtinct.* 31. *quæſtione* 1. *articul.* 4. Et probatur ex Apoſtolo ad Epheſ. 4. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia, ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* Et 1. Corinth. 12. *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus diuidens ſingulis, prout vult.* Et ad Rom 12. *Et vnicuique, ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.* Quibus verbis ad ſolum beneplacitum Dei plus, vel minus mentem hominis mouentis, tanquam ad primam radicem, & cauſſam reducit, quòd quis magis, vel minus intensè operetur.

Prætereà probatur. Si cum gratia efficaci intenſa, vt quatuor, quis produceret actum intenſum, vt ſex ex maiori conatu, quo pro ſua innata libertate concurrit ad illum actum, ſequeretur quod quantum ad illam maiorem intenſionem ex naturali influxu proprij arbitrij ſe diſcerneret ab alio, qui cum æquali auxilio gratiæ adiuuantis operaretur minus intensè. Hoc autem videtur repugnare verbis Apoſtoli 1. ad Corinth.

Digitized by Google

Corint. 4. *Quis enim te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris? quaſi non acceperis?* Repugnat etiam doctrinæ Auguſtini, qui ex eodem teſtimonio concludit illam differentiam ad diuerſitatem doni collati, ſiue auxilij diuini eſſe referendam. Ergo. *1. Cor. 4.* *Aug. lib. de præd. Sanct. c. 3. & 5.*

Præterea probatur ex S. Thoma, 1. 2. *q.* 112. *ar.* 3 *in corpore*, vbi ait: *quòd præparatio ad gratiam poteſt dupliciter conſiderari: vno quidem modo ſecundùm quod eſt à libero arbitrio, & ſecundùm hoc nullam neceſſitatem habet ad gratiæ conſecutionem, quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ. Alio modo poteſt conſiderari, ſecundùm quod eſt à Deo mouente, & tunc habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non poteſt.* Ergo ſimiliter actus ſupernaturalis, ſecundùm quod eſt à libero arbitrio ex virtute eius naturali, nullam habet maiorem intenſionem. Probatur conſequentia, nam etiam intenſio actus ſupernaturalis, ſicut & actus ipſe excedit omnem proportionem virtutis humanæ. Ergo tota intenſio eiuſdem actus deſumenda eſt à Deo mouente plus, vel minus, vt à prima cauſſa, & ex libero arbitrio à Deo excitato, & adiuto, vt à cauſſa proxima. Videantur aliæ rationes pro hac ſententia *diſp. 62. de Auxiliis* adductæ. *S. Thom.*

V. Ad primum argumentum reſpondetur, quòd tota agendi vis actualis proxima, & formalis, eſt ex ſola gratia tanquam ex prima radice, quia, vt dictum eſt, liberum arbitrium ex ſua naturali virtute nullam habet actiuitatem proximam, & formalem comparatione actuum ſupernatura-

 lium,

Digitized by Google

lium,ſed omnem talem virtutem ad producendum eoſdem actus participat ex adiutorio gratiæ, vnde nunquam producet actum magis intenſum, quàm ſit ipſum auxilium gratiæ.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd habitus ſupernaturales conſtituunt liberum arbitrium in actu primo quo poſſit bene operari, ſi velit, non tamen determinant idem arbitrium ad actualiter piè operandum, & ita habitibus vtimur cùm volumus intensè, vel remiſsè operando: ſed quod velimus cum tali, vel tali intenſione operari prouenit ex quantitate auxilij efficacis,quo Deus facit,vt velimus. Cæterùm auxilium efficax ſubiicit ſibi humanam voluntatem & illam Deo liberè obſequentem facit,ac per conſequens eam determinat ad piè cum tali vel tali intenſione operandũ, vt ex *d.*87.*&* 91.*de Auxil.*cõſtat.Vnde nõ eſt ſimile.

Ad tertium reſpondetur, quòd auxilium efficax non eſt propriè actus primus, quia non tribuit voluntati poſſe operari,ſed ipſum poſſe, quod præſupponit ex alia forma, applicat ad actualem operationem. Vnde intenſio eiuſdem operationis menſuratur ſecundùm quantitatem eiuſdem auxilij; non autem iuxta quantitatem habitus. Neque ex hoc ſequitur,quòd influat in effectum ex neceſſitate naturæ, vel ad modum naturæ: nam Deus per illud auxilium, in quo eſt intentionaliter virtus voluntatis diuinæ, mouet liberum arbitrium cum modo libertatis iuxta naturam eiuſdem arbitrij, in quo auxilium recipitur,vt 1.2.*q.*10.*art.*4.docet S.Thom. Lumen autem gloriæ determinat

S. Thom.

intelle

intellectum beati ad videndum Deum ex neceſſitate, & ſimiliter forma ignis eſt determinata ad vnum per modum naturæ: non autem per modum libertatis, quæ in facultate rationis ad vtrumlibet conſiſtit. Vnde non eſt ſimile.

Ad quartum reſpondetur, ſententiam catholicorum, vt cœlum à terra, ab errore Caluini diſcedere. Etenim Caluinus ita voluit intenſionem piæ operationis ex voluntate Dei, & quantitate motionis Spiritus-ſancti deſumendam eſſe, vt etiam tanquam ex cauſſa proxima, non ſit menſuranda ex libero conatu, & influxu noſtri arbitrij à Deo excitati, & adiuti: quia, vt ſupra dictum eſt, conuictus quadam fallaci conſequentia aſſeruit, per huiuſmodi motionem efficacem deſtrui libertatem arbitrij. Sic intellexit verba Caluini Stapletonius in *Promptuario catholico ſerm. 6. Hebdomadæ primæ quadrageſimæ num. 4.* vbi ait: *Non eſt gratia ex ſe ipſa efficax (vt Caluinus loquitur,) quæ ſola totum operetur, & cum qua nos liberè non cooperemur.* Nos autem cum Sancto Thoma ex aduerſo dicimus, totam intentionem piæ operationis, ita ex ſola Dei voluntate plus, vel minus pro ſuo libito mentem hominis mouentis, tanquã ex prima radice, & cauſſa deſumendam eſſe, vt tota etiam ſumatur, tanquam ex cauſſa proxima, ex libera cooperatione noſtri arbitrij à Deo excitati, & adiuti. Caluinus ergo ſub verbis S. Auguſtini, & S. Thomæ, vt ex præmiſſis in hoc eodem *lib. cap. 3. numer. 3. & ſequent.* conſtat, ſuam hæreſim molitus eſt palliare. Vnde & falſò, & impudenter contendit Sanctum Auguſtinum ſui erro-

ris eſſe patronum : ſed ſenſus eius hæreticus cauendus eſt,ac impugnandus,& non cum ſenſu catholico confundendus.

Vtrum Deus ſolum ſub conditione paratus ſit concurrere cum cauſſis liberis, & contingentibus, ſi nimirum ipſæ voluerint operari.

CAPVT VI.

I. *Leſſius li. de gratia efficaci. c. 4. n. 12.*

QVIDAM ſic explicant modum concurrendi primę cauſſæ,vt aſſerant,quòd poſita in Deo illa voluntate concurrendi, quaſi ſub conditione, ſi cauſſa ſecunda, vel ex neceſſitate naturæ, vel pro ſua libertate voluerit operari, potentia diuina ita manet coniuncta, & connexa cauſſæ creatæ, vt hac operante, illa neceſſariò cooperetur, & veluti ſimul trahatur ad operandum. Addunt tamen, quòd trahetur, non vi creaturæ, ſed vi decreti diuini. Et vt magis explicent iſtum modum concurrendi, conſtituunt exemplum in habitibus. Nam hoc ipſo, quo potentia voluntatis producit actum ſupernaturalem dilectionis influendo in illum, eo ipſo ſimul influit habitus ſupernaturalis charitatis. Simili modo, inquiunt, cogitandum eſt, diuinam potentiam veluti habitum quendam omnibus rebus intimè inſidentem, & connexum, ſimul in omni operatione cooperari.

Hic

Digitized by Google

Hic tamen modus dicendi non videtur vlla ratione admittendus. Primò: nam ſi operante cauſſa ſecunda, neceſſariò cooperatur cauſſa prima. Ergo iſta cauſſalis erit vera: Quia voluntas creata vult operari, Deus cooperatur ſecum; quod tamen non poteſt concedi, vt *diſputation. 99. de Auxiliis* oſtenſum eſt: & conſequenter etiam dicendum eſſet, quod in ordine gratiæ Deus, ſeu gratia ipſius non eſſet operans phyſicè, ſeu verè efficienter, ſed ſolùm cooperans. II.

Trahit Deus hominẽ ad cooperandũ ſecum, non econtra.

Secundò. Nam ſi operante voluntate creata, Deus veluti ſimul trahitur ad cooperandum. Ergo potiùs dicendum eſſet, Deus non poteſt conuertere hominem, niſi ipſe homo pro ſua libertate concurrendo traxerit Deum ad ſecum cooperandum, & non è conuerſo, *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum.* Si enim voluntas creata veluti trahit Deum ad cooperandum ſecum. Ergo Deus non trahit hominem ad ſe, ſed potius ipſe homo trahit Deum: Nec ſufficit reſpondere, Deum prius trahere hominem ad Chriſtum, quoniam antequam ipſe operetur, & velit venire excitauit illum ſua gratia præueniente, vt venire vellet. Contra hoc enim eſt, nam ſola gratia excitans non trahit hominem ad Chriſtum, cùm hæc gratia reperiatur etiam in illis, qui reſiſtunt diuinæ vocationi, & venire nolunt. Ergo.

Tertiò. Nam eadem ratione non diceretur cum proprietate: *Faciam, vt faciatis, & in præceptis meis ambuletis, & operemini.* Quæ verba ſæpius

repetit Sanctus Auguſtinus: ſed potiùs dicendum eſſet, quòd ipſe homo facit, vt Deus faciat, & operetur. Etenim ſi operante homine, ipſe trahit Deum ad cooperandum ſecum. Ergo ipſe homo facit, vt Deus faciat & operetur, quod tamen minimè congruit verbis illis Cócilij Arauſicani: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur.* De quo *diſp.* 86. *de Auxiliis* plura dicta ſunt. Nec ſufficit reſpondere, Deum non trahi ad cooperandum vi creaturæ, ſed vi decreti diuini. Contendimus enim, non poſſe in Deo conſtitui decretum indifferens concurrendi cum creatura, ſi ipſa voluerit operari: eo quòd talis modus concurrendi inuoluat intrinſecè imperfectionem & dependentiam à concurſu creaturæ, vt *diſp.* 21. *de Auxiliis* oſtenſum eſt.

Conc. Arauſ. can. 9.

III. Quartò. Deus non ſolùm exhibet creaturæ rationali ſuum concurſum in genere, ſed etiam in particulari ad hanc, vel illam actionem tali tempore, & cum talibus circumſtantiis exequendam. Ergo ab æterno prædefiniuit hunc concurſum exhibere in hoc momento, & illum in illo; quod enim Deus facit in tempore, ab æterno ſtatuit, & decreuit ſe id facturum. Ergo concurſus Dei non eſt prædicto modo indifferens.

Solutio. Leſſius citato nu.

Reſpondent negando iſtam vltimam conſequentiam, & aſſignant rationem: quia & ſi omnes concurſus, quos Deus dat in tempore, ſint prædefiniti ab æterno; non tamen ſunt prædefiniti abſolutè ante præuiſionem determinationis cauſſæ ſecundæ, ſed ſolùm ſub conditione, & ex hypo

hypotheſi,ſi cauſſa ſecunda ſe ad hanc,vel illam actionem determinauerit. Hac autem determinatione poſita, illa prædefinitio conditionata tranſit in abſolutam, fitque abſolutè efficax in actu ſecundo. Nam ex illa ſequitur concurſus. Sicut cùm quis donat aliquid ſub certa conditione,poſita illa conditione,donatio fit abſoluta, & efficax in actu ſecundo,producítque ſuũ effectum vi ſua;neq; opus eſt illam ſub forma actus abſoluti repetere.Simili modo(inquiũt) prædefinitio illa conditionata, qua Deus prædefiniuit concurſum,poſita conditione, nempe determinatione creatæ volũtatis,fit abſoluta, & efficax, producítque concurſum:nec opus eſt alio actu, quo ille concurſus ſit abſolutè prædefinitus. *Simile.*

Contra iſtam ſolutionem militant omnia argumenta,quibus ſuperius *lib.2.c.1.& diſput. 22. de Auxiliis* oſtenſum eſt,omnes actus bonos,qui in tempore fiunt,eſſe à Deo abſoluta, & efficaci voluntate prædefinitos ante præſcientiam cooperationis arbitrij futuræ etiam ex hypotheſi. Præterea impugnari poteſt efficaci ratione. Licet adimpleta conditione, non ſit opus repetere volitionem ſub forma actus abſoluti, vt volitio conditionata tranſeat in abſolutam: tamen qui adimplet cõditionem facit, vt voluntas,quæ prius erat conditionata, fiat volũtas abſoluta. Ergo ſi Deus quantum eſt ex parte ſua ſolùm volitione conditionata prædefiniuit; vt tales actus boni fiant in tempore, ſi videlicet voluntas creata ſe ad eoſdem actus determinare voluerit; ſequitur, quòd voluntas creata, ſe determinando ad bene operandum, faciat, vt IV. *Impugnat.*

voluntas

voluntas Dei ſit abſoluta, & conſequenter eâdem cooperatione cum gratia excitante, efficeret, vt diuina prædeſtinatio, quæ ex parte Dei ſolùm erat conditionata, fieret prædeſtinatio abſoluta. Ex quo rurſus ſequeretur, Deum ex parte ſua abſoluta, & efficaci voluntate neminem prædeſtinaſſe ad gloriam, neque etiam Apoſtolos, & Ioan. Baptiſtam, ſed ſolùm ſub conditione, ſi ipſi voluerint piè operari, & perſeuerare vſque in finem: conſequens autem (licet admittatur ab auctore, quem impugnamus,) non videtur congruere cum ſacris litteris & doctrina S. Auguſtini, vt *diſp.* 37. *&* 110. *de Auxiliis* viſum eſt, præſertim *nu.* 13. *& ſeq.* Ergo.

V. Confirmantur hæc omnia. Sequeretur ex oppoſita ſententia eodem prorſus modo, & non aliter, prædefiniri à Deo, & offerri concurſum ad actiones re ipſa futuras, quo ad poſſibiles, quæ nunquam erunt. Etenim cócurſus oblatus ſolùm ſub conditione etiam ſe extendit ad operationes poſſibiles, quia conditionalis nihil ponit in eſſe: conſequens autem videtur derogare perfectioni prouidentiæ diuinæ; nam ſequeretur homines poſſibiles eodem modo eſſe prædeſtinatos ad gloriam, quantum eſt ex parte Dei, quo prædeſtinati ſunt electi, qui re vera ſaluantur, neque in iſtis eluceret maior, aut magis perfecta ratio prædeſtinationis, quàm in illis, ſi vtrique æqualiter, quantum eſt ex parte Dei, ſunt prædeſtinati ad gloriam, ſed de hoc 1. *parte q.* 23. agitur ex profeſſo.

Denique probari poteſt hæc ſententia omnibus argumentis, quibus *diſput.* 21. *de Auxiliis* oſten

oſtenſum eſt, quòd concurſus Dei generalis non ſit ſecundùm ſe indifferens, nec modo indifferenti expoſitus ad concurrendum cũ cauſſis ſecundis, quoties, vel ex neceſſitate naturæ operantur, vel ex libertate arbitrij voluerint operari. Vbi etiam reſponſum eſt argumentis, quæ in contrarium obiiciuntur.

Vtrùm efficacia auxilij præuenientis gratiæ ſit à ſolo Deo.

CAPVT VII.

QVIDAM Theologi fatentur omnem efficaciam auxilij eſſe à Deo, non ex libero arbitrio. Sed vt hoc explicent, ſupponunt primò, quòd in hac parte loqui poſſumus de efficaci gratia in actu primo, & ſic admittunt eſſe à Deo, & aſſignant rationem. Nam hæc efficacia in actu primo nihil eſt aliud, quàm vis efficiendi, quæ non diſtinguitur ab ipſo auxilio; vel loquimur de efficacia in actu ſecundo, nempe pro ipſa efficientia, & influxu actuali gratiæ in opus bonum, & ſub hac ratione fatentur etiam eſſe à Deo, qui per illud auxilium, tanquam per ſemen quoddam ſuum voluntati iniectum cooperatur, ſicut influxus habituum ſupernaturalium eſt à Deo. Addunt tamen, quod quia hæc efficientia non ita pendet à gratia, & à Deo, quin etiam pendeat à libero arbitrio, tanquam à cauſſa, ſine

I. *Leſſius li. de gratia efficaci c.* 10. *n.* 9. & 10.

ſa, ſine qua gratia non poteſt habere influxum in opus bonum, ideo rectè dicitur, pendere à libero arbitrio, quòd gratia ſit efficax, vel inefficax in actu ſecundo, adeo vt in poteſtate liberi arbitrij ſit, gratiam, quæ ſecundùm ſe eſt ſufficiens, reddere efficacem, vel inefficacem in actu ſecundo, & exiſtimant nulla ratione hæc negari poſſe, quod probant

Primò. Si voluntas non poteſt impedire efficientiam, ſeu influxum gratiæ in opus, iam opus non erit liberum. Hic enim influxus non eſt quid diſtinctum ab opere, ſed eſt ipſum opus, vt procedens, & pendens à gratia. Ergo ſi non eſt in poteſtate voluntatis, vt influxus gratiæ ſit, vel non ſit, incipiat eſſe, vel non incipiat eſſe; ſequitur, quòd non ſit in eius poteſtate, vt opus incipiat eſſe, aut non incipiat eſſe, quod eſt tollere libertatem in actibus pietatis.

II. Secundò. Quando ad vnum effectum ſimplicem concurrunt plures cauſſæ partiales, conſtituentes vnam cauſſam integram; neceſſe eſt, vt influant cum mutua dependentia; ita vt, ſi vna non influat, cæteræ nihil efficiant: Ergo cùm auxilium præueniens & liberum arbitrium efficiant vnam integram cauſſam actus boni; impoſſibile eſt, vt gratia habeat influxum in opus bonum, niſi liberum arbitrium ſimul influat, & conſentiat. Quare cùm influxus liberi arbitrij ſit liber, & procedat à cauſſa indeterminata, poteſt cohiberi, & conſequenter etiam influxus gratiæ cohiberi, & impediri poterit.

Tertiò idem probant. Nam ſententia, quæ aſſerit,

ſerit,in poteſtate arbitrij eſſe gratiam reddere efficacem,vel inefficacem,in ſuo modo loquendi non abhorret à phraſi Scripturæ. Dicitur enim 2.ad Timo. 1. *Reſuſcita gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum*, quod nihil eſt aliud, quàm, otioſam, & conſopitam excita in opus, redde efficacem, & operariam. Imò plus aliquid ſonat gratiam reſuſcitare,quod eſt, eam ſopitam, & languidam excitare,& viuidam reddere,quàm reddere efficacem.Et 2.ad Corin.6. *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Et 1. ad Cor. 15. *Gratia eius in me vacua non fuit.* Et ad Hebræos 12.*ne quis deſit gratiæ Dei.* At gratiam in vacuum recipere,gratiæ deeſſe, gratiam negligere, nihil eſt aliud, quàm illam vacuam bonis operibus, & inefficacem reddere in actu ſecundo. Ergo.

2.Timot.1. 2.Cor.6. 1.Cor.15. Hebr.12.

Quartò id ipſum probant,& explicant ſupponendo in gratia efficaci tria conſiderari poſſe:Primò, quòd habeat vim ſupernaturalē,quæ vnà cum libero arbitrio ſit ſufficiens ad opus, & hoc (inquiunt) conuenit omni auxilio ſufficienti.Secundò, quòd ſuadeat, & liberum arbitrium hominis alliciat congruenter ſuis affectibus, eóque modo, quo credibile eſt, ipſum conſenſurum. Quæ quidem ſuaſio, & allectio liberi arbitrij eſt effectus, & actus illius auxilij, non effectiuus, ſed formalis. Nam auxilium efficax ſe ipſo formaliter allicit, & trahit voluntatem,vt conſentiat.Vnde hic effectus non pendet à libero arbitrio,nec eſt in eius poteſtate,vt ſit, vel non ſit: nunquam tamen eſt tàm potens, quin liberum arbitrium poſſit ei reſiſtere,

nolendo

nolendo amplecti id, ad quod impellit. Tertiò, quòd influat in opus, & hîc influxus (inquiunt) eſt effectus effectiuus illius auxilij, & ab eo, vel ſaltem ab ordine ad eum dicitur auxilium completè efficax. Si enim non ſequatur hic influxus, auxilium dicetur inefficax: ſi ſequatur dicetur eſſe, & fuiſſe efficax. Sicut medicamentum dicitur efficax, quod effectum habet; inefficax, cuius operatio fuit impedita. His ergo ſuppoſitis ſic argumentantur: ſine influxu gratiæ in piam operationem gratia non eſt efficax, ſed hic influxus aliquo modo à libero arbitrio pendet, ergo etiam ab eo pendet, quòd gratia ſit, aut dicatur efficax, aut inefficax.

Quintò. Gratia eſt principium quoddã operatiuum inhærẽs libero arbitrio. Ergo eius operatio debet eſſe in illius poteſtate, ſicut operatio habituum; ſed quòd habitus charitatis in me ſit efficax, vel inefficax in actu ſecũdo; otioſus, vel operatorius, pendet à libero arbitrio, ergo ſimiliter, quòd auxilium præueniens ſit efficax in actu ſecundo, vel inefficax, otioſum, vel fructiferum, ab eodem arbitrio pendet.

Sextò. Nulla fit iniuria gratiæ, ſi dicatur, eam reddi efficacem in actu ſecundo per liberum arbitrium, quia liberum arbitrium non facit id ſolis naturæ viribus, ſed viribus gratiæ iunctis viribus naturæ; ita tamen, vt vires gratiæ ſint præcipuæ in hoc conatu. Ergo nullum eſt inconueniens in ſententia, quæ id aſſerit.

Si dicatur ex illa ſententia ſequi, quòd liberum arbitrium tribuit efficaciam gratiæ, vel aliquid faciat circa illam. Contra hoc eſt, nam liberum

liberum arbitrium, dum vtitur habitu charitatis, nihil ei imprimit, ſed vnà cum habitu, & per vires ab ipſo formaliter acceptas influit in opus. Ergo ſimiliter dum vtitur auxilio gratiæ præuenientis, nihil facit circa illud; ſed cum ipſo, & per vires ab ipſo acceptas facit opus. Ergo non addit vllam efficaciam gratiæ; ſed potius ipſa gratia tribuit efficaciam, ſeu vires libero arbitrio, vt poſſit vti gratia, eamque in opus dirigere, efficacem in actu ſecundo reddere.

III. *Gratiæ efficacia à liberi arbitrii cooperatione non pendet.*

Hæc tamen argumenta, non ſolùm non impugnant, ſed potiùs confirmant noſtram ſententiam, vt ex eorum ſolutione patebit. Vnde aſſerendum efficaciam gratiæ etiam in actu ſecundo non pendere, etiam vt à conditione ſine qua non à cooperatione noſtri arbitrij cum illa: quoniam licèt ipſa pia operatio, ſeu actus liber pendeat efficienter ab ipſo libero arbitrio excitato, & adiuto per gratiam efficacem, tamen eiuſdem gratiæ efficacia, ſiue accipiatur pro reali virtute; quam habet, vt eſt inſtrumentum volũtatis diuinæ ad efficiendum, vt liberum arbitriũ cooperetur, ſiue pro actuali efficientia, & influxu in liberum arbitriũ, non dependet ex cooperatione arbitrij, etiam vt à conditione ſine qua non; ſed è conuerſo ipſa cooperatio arbitrij pẽdet ex efficacia gratiæ, vt ſupra oſtenſum eſt. Quòd ſi Auctores contrariæ ſententiæ nomine auxilij efficacis in actu ſecundo intelligant piũ actum liberum, qui eſt effectus gratiæ, & liberi arbitrij, fatemur libentiſſimè, efficaciam gratiæ in actu ſecundo, id eſt, piam operationem pendere à libero arbitrio adiuto per gratiam, non

quidem vt à conditione ſine qua non, ſed vt à vera cauſſa efficiente. Sed hæc acceptio eſt valde impropria : nam efficacia gratiæ in actu ſecundo non ſignificat formaliter loquendo actum liberum, vt procedit à libero arbitrio, ſed actualem efficientiam, ſeu concurſum gratiæ in actum liberum, qui concurſus non dependet efficienter ab homine; ſed à ſolo Deo. Addo quòd auxilium efficax ad piam operationem liberi arbitrij ſemper habet coniunctam cooperationem eiuſdem arbitrij, cùm illud prædeterminet ad piè operandum, vt *diſput.22. 23. & 91. de Auxiliis*, & alibi ſæpius dictum eſt, quod etiam docet expreſsè S. Auguſtin. pluribus in locis, in quibus aſſerit, adiutorium gratiæ, de quo potiſſimè contra Pelagium diſputauit, nõ eſſe in homine, niſi quãdo actualiter piè operatur, ex quibus videndus eſt *lib. de gratia Chriſti contra Pelagium, & Celeſtinum c.47.* vbi ait: *Quapropter, quantum attinet ad iſtam de diuinæ gratiæ adiutorio quæſtionem, tria iſta, quæ apertiſſimè diſtinxit, attendite; poſſe, velle, eſſe, id eſt, poſſibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo conſenſerit nobis, non ſolùm poſſibilitatem in homine, etiam ſi nec velit, nec agat bene; ſed ipſam quoque voluntatem & actionem, ita vt bene velimus, & bene agamus: quæ non ſunt in homine, niſi quando bene vult, & bene agit, ſi (vt dixi) conſenſerit; etiã ipſam voluntatem, & actionem diuinitùs adiuuari, vt ſine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, in qua nos ſua; non noſtra iuſtitia iuſtos facit, vt ea ſit vera noſtra iuſtitia, quæ nobis ab illo eſt, nihil de adiutorio*

August.

adiutorio gratiæ Dei (quantum arbitror) inter nos controuerſiæ relinquetur. Expendantur illa verba, *quæ non ſunt in homine, niſi quando bene vult, & bene agit*, quibus euidenter oſtenditur, Auguſtinum loqui de adiutorio gratiæ efficacis, quod non eſt in homine, niſi quando bene vult, & bene agit, eo quòd per illud Deus efficit ex nolentibus volentes, quod etiam indicant illa verba *capite* 14. eiuſdem libri: *Et iſto diuino docendi modo, etiam ipſa voluntas, & ipſa operatio non ſola volendi & operandi naturalis poſſibilitas adiuuatur. Si enim ſolum poſſe noſtrum hac gratia iuuaretur, ita diceret Dominus: Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, poteſt venire ad me. Non autem ita dixit; ſed omnis, inquit, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Ioan. 6. Idem confirmant verba illa eiuſdem Sancti Doctoris *libr. de corrept. & gratia capite* 8. *Quando rogauit ergo, ne fides eius deficeret, quid aliud rogauit, niſi, vt haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam, perſeuerantiſſimam voluntatem.* Auguſt. Et *capite* 12. *Subuentum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur, & ideo quãuis infirma, non tamen deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur.* Et infra: *Fortiſſimo quippe dimiſit, atque permiſit facere, quod vellet; infirmis ſeruauit, vt ipſo donante inuictiſſimè, quod bonum eſt vellent, vt hoc deſerere inuictiſſimè nollent.* Vbi illa verba *inuictiſſimè, indeclinabiliter & inſeparabiliter* deſignant infallibilē connexionem piæ operationis, cum auxilio efficaci præuenientis gratiæ.

IV. Vt autem argumentis pro contraria ſententia adductis occurramus, aduertimus, quòd cũ aſſeritur, efficaciam gratiæ in actu primo nihil aliud eſſe, quàm vim efficiendi quæ non diſtinguitur ab ipſo auxilio, vel per vim efficiendi intelligunt vim ſeu virtutem ſufficientem, qua liberum arbitrium poteſt piè operari, ſi velit, vel intelligunt vim ſeu vires efficaces, quibus Deus efficit, vt liberum arbitrium infallibiliter piè operetur. Si intelligant primum, ſaluant quidem auxilium ſufficiens eſſe à Deo, ſed non videntur id ſaluare de auxilio efficaci; quia in eorum ſententia, quod auxilium ſufficiens habeat effectum, prouenit à voluntate creata, quæ pro ſua libertate (ſuppoſito auxilio ſufficienti) voluit cooperari cum illo. Non enim admittunt auxilium efficax addere virtutem aliquam intentionalem ſupra auxilium ſufficiẽs, qua Deus, ſecluſa ſcientia media, faciat infallibiliter voluntatem cooperari. Nos autem aſſerimus, auxilium efficax, vt eſt inſtrumentum diuinæ voluntatis ad conuertendum hominem, addere intentionaliter nouam virtutem ſupra auxiliũ, quod eſt tanto ſufficiens, vt *diſ.* 73. *de Auxi. n.* 2. oſtenſum eſt. Si autem intelligant vim, ſeu vires efficaces, rectiſſimè affirmant, eiuſmodi efficaciam eſſe à Deo, quod & nos libentiſſimè fatemur; ſed non rectè aſſeritur, eandem efficaciam pendere ex libera cooperatione arbitrij, ita vt in poteſtate illius ſit gratiam reddere efficacem, vel inefficacem. Neque enim iſta duo inter ſe videntur cohærere, quòd ſcilicet vires efficaces auxilii præuenientis gratiæ ſint à Deo, & ni-

Digitized by Google

& nihilominus efficacia eiuſdem gratiæ pẽdeat à libera cooperatione arbitrii. Si enim præuenit talem cooperationem, quomodo pendet ab illa?

Circa ſecundam acceptionem gratiæ efficacis in actu ſecundo, nempe pro ipſa efficientia, & influxu actuali gratiæ in opus bonum, cùm aſſeritur eiuſmodi efficientiam eſſe à Deo, ſicut influxus habituum ſupernaturalium eſt à Deo, aduertimus, eſſe magnum diſcrimen inter auxilium efficax præuenientis gratiæ, & habitum ſupernaturalem. Nam habitus non determinat potentiam ad operandum, ſed illo vtimur, ſi volumus; quod autem velimus, non procedit radicaliter ab habitu, ſed ab auxilio actuali, per quod Deus præmouet efficaciter, & applicat potentiam eleuatam per habitum ad actualiter operandum, vt *diſ.23.de Aux.* oſtenſum eſt, auxilium autem efficax determinat potentiam ad operandum. Vnde contingit multoties aliquem habere habitum ſupernaturalem, & non operari cum illo, nunquam autem contingit, aliquem moueri à Deo auxilio efficaci ad piè operandũ, & quod non operetur piam operationem ad quam Deus mouet, vt 2. 2.*q.24. artic.11.& 1. 2.quæ.112.art.3.in corpore* docet S.Thom. Vnde non eſt admittendum, quòd efficientia auxilii efficacis, ſeu ipſum auxilium efficax in actu ſecundo pendeat ex libera cooperatione arbitrij. Licèt enim influxus auxilij efficacis immediatus in operationem piam non ſit abſque influxu liberi arbitrii in eandem operationem piam, nõ tamen pendet ab ea propriè loquendo, vt dictũ eſt. Affirmari ergo non poteſt, in poteſtate arbi- S.Thom.

Digitized by Google

V. trij eſſe gratiam quæ ſecundùm ſe eſt ſufficiens, reddere efficacem in actu ſecundo: nam hæc aſſertio ſupponere videtur, omnem gratiã præuenientem, qua ratione præuenit liberam cooperationem arbitrij eſſe ſolùm ſecundùm ſe ſufficientem, & nullam dari gratiam præuenientem, qua præueniens eſt, quæ ſecundùm ſe, & prout venit à Deo ſit efficax ad efficiendum, vt liberum arbitrium cooperetur Deo excitanti, & mouenti: ſed talem efficaciam pendere ex cooperatione illius, quod tamen non poteſt admitti, vt ex præmiſſis conſtat, & patebit amplius ex ſolutionibus argumentorum. Pendet igitur (vt pluries dictum eſt) pia operatio à gratia, & libero arbitrio, vt à cauſſa efficiente, ſimiliter etiam influxus eiuſdem liberi arbitrij in operationem liberam pendet efficienter ab eodem arbitrio excitato, & adiuto per gratiam, tamen influxus gratiæ, vt eſt à Deo, non pendet à libero arbitrio, nec ſubditur illi, vt *d.78.de Auxiliis* oſtendi, ſed à ſolo Deo, ſub cuius poteſtate eſt ipſum arbitrium, & influxus actualis illius in operationem liberam, de quo plura dicta ſunt *diſp.117 de Auxiliis*.

VI. Ad primum argumentum reſpõdetur, quòd liberum arbitrium adhuc excitatum, & motum à Deo gratia efficaci poteſt influere, & non influere in liberam operationem, & continere ſuum concurſum, ſi velit: ſed Deus per gratiam efficacem efficit, quod liberè, & infallibiliter influat in operationem piam. Vnde nunquam continget, quòd liberum arbitrium impediat efficaciam gratiæ, vel eius efficientiam in actu ſecun-

ſecundo, id quod expreſſe docet Sanctus Auguſtinus *lib.de correp. & gratia cap.* 14. cùm ait: *Sic velle, & nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Et in *Enchir.ad Laurentium c.95. Deus autem noſter in cœlo ſurſum in cœlo, & in terra omnia quæcumque voluit, fecit. Quod vtique non eſt verum, ſi aliqua voluit, & non fecit. Et quod eſt indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit.* Vnde licet non ſit in poteſtate voluntatis, vt influxus Dei, per gratiã efficacẽ ſit, vel nõ ſit, incipiat eſſe, vel nõ incipiat eſſe, adhuc manet libera à cõparatione ſui influxus, ſiue operationis liberę, & cũ vera facultate, qua poſſit elicere, vel nõ elicere, inchoare vel nõ inchoare, vt cauſſa proxima per proprium influxũ ipſam operationẽ liberã, ſi velit: quoniam, vt ſæpius dictum eſt, auxilium efficax etiam in actu ſecundo, non tollit à libero arbitrio veram, & expeditam facultatem qua poteſt operari, & non operari, ſi velit; ſed efficit fortiter, & ſuauiter, quod cùm ex ſe, & pro ſua libertate poſſit non operari actum pium, liberè tamen, & infallibiliter operetur illum. Neque ex hoc ſequitur, quod tollatur libertas in actibus pietatis, quoniã licet influxus ſimultaneus & immediatus gratię in operationẽ piã nõ diſtinguatur tanquã res à re, ab operatione producta per liberũ arbitriũ, diſtinguitur tamẽ formaliter ab ea: quia importat ipſam operationẽ, quatenus depẽdet realiter à Deo per influxũ gratiæ, & hęc diſtinctio formalis ſufficit, vt verè affirmari poſſit, liberã, & piam operationem eſſe in poteſtate *Auguſt.*

Gg 4 libe-

liberi arbitrij à Deo excitati,&adiuti;& negari, influxum,ſeu efficientiam Dei per gratiam eſſe ſub poteſtate voluntatis creatæ.Quia ergo liberum arbitrium creatum non eſt ſimpliciter primum liberum,ſed per participationem, Deus autem ſolus eſt primum liberum, à quo omnis libertas,tam in actu primo,quàm in actu ſecũdo participatur;ideo omnis efficientia, ſiue influxus eiuſdem arbitrij in quamlibet piam operationẽ pendet ab efficientia,& cauſſalitateDei,
Auguſt. &eſt ſub illius poteſtate;propter quod S.Auguſtinus ait:*Deus magis habet in poteſtate ſua hominũ voluntates,quàmipſi ſuas.*Efficientia autem, ſiue influxus Dei actualis, formaliter loquendo non eſt ſub poteſtate voluntatis creatæ, ſed ſub poteſtate Dei.

VII. Ad ſecundum reſpondetur, Deum per auxilium gratiæ, & liberum arbitrium non eſſe cauſſas partiales piæ operationis, ſicut duo trahentes nauim, vt *diſp.* 85. *de Auxiliis* oſtenſum eſt, ſed quælibet eſt totalis, quarum vna, id eſt, liberum arbitrium eſſentialiter ſubordinatur alteri, non ſolùm in eſſendo; ſed etiam in operando. Vnde licet liberum arbitrium poſſit continere ſuum influxum,numquã tamen contingit quòd influxũ gratiæ efficacis cohibeat,vel impediat,eo quòd talis influxus,formaliter loquẽdo, non ſubditur poteſtati arbitrij;ſed poteſtati Dei.

Ad tertium negatur antecedens. Ad proba-
2.Timot.1. tionem ex epiſtola 2. ad Timotheum *cap.* 1. reſpondetur, quòd gratia habitualis,& ſimiliter alia dona habitualia, de quibus ibi loquitur Apoſtolus, dicuntur ſopita in homine quando illis

illis nõ vtitur, cùm autẽ illis donis habitualibus vtitur, dicitur ea ſuſcitare, ſed quod illis vtatur, prouenit ex actuali auxilio efficaci, quo Deus efficit, vt dona habitualia ad actum ſecundum reducantur conformiter ad naturam arbitrij creati. Vnde efficientia eorundem donorum habitualium, & ipſius arbitrij debet in ipſum Deum medio auxilio efficaci tanquam ad primam radicem, & cauſſam efficientem reuocari; ac per conſequens nunquam arbitrium creatum reddit efficax auxilium actuale præuenientis gratiæ.

Secundò reſpondetur, quòd etiam ſi locus Apoſtoli extendatur ad gratiam actualem, ſiue auxilium præuenientis gratiæ tum ſufficiens, tum etiam efficax, hortatur Apoſtolus Corinthios, ne in vacuum gratiam Dei recipiant, non quia in poteſtate arbitrij ſit gratiam, quæ ſecundùm ſuam virtutem, vt venit à Deo, erat tantùm ſufficiens reddere efficacem, aut illam, quæ prout venit à Deo erat efficax, reddere inefficacem, ſed quoniam in poteſtate arbitrij eſt conſtitutum operari cum illa gratia, vel non operari, ſi velit. Vnde quando auxilium præuenientis gratiæ eſt ſolùm ſufficiens nunquam redditur efficax, nec reducitur ad actum ſecundum per liberum arbitrium, ſed in vacuum recipitur, quia non producit piam operationem, comparatione cuius dicitur ſufficiens: Si autem auxilium præuenientis gratiæ eſt efficax, numquam redditur, aut fit inefficax per liberum arbitrium: quia licet pro ſua libertate poſſit non influere cum gratia, aut continere, & cohibere VIII.

ſuum influxum, ſi velit, Deus tamen per ſuam gratiam efficacem facit ad modum cauſſæ phyſicæ, vt liberum arbitrium influat infallibiliter cum gratia actuali, & non contineat, nec cohibeat ſuum proprium influxum, aut influxum gratiæ in ipſum opus. Eodem modo explicanda ſunt, & intelligenda alia duo teſtimonia Apoſtoli in argumento inducta.

IX. Ad quartum argumentum reſpondetur, multa in eo inuolui, quæ non videntur conſona veritati. Non enim eſt admittendum, quòd realis vis quam intentionaliter habet auxilium efficax præuenientis gratiæ, vt eſt inſtrumentum voluntatis diuinæ ad præmouendum liberum arbitrium, vt conuertatur in Deum, vel piè operetur, ſit communis auxilio ſufficienti. Quoniam, vt *d.*71.*&* 72.*de Auxiliis* oſtenſum eſt, auxilium efficax præuenientis gratiæ habet intentionaliter aliquã virtutem, quæ non eſt in auxilio ſufficienti. Item etiam arbitramur iuxta doctrinam S. Auguſt. S. Tho. Deum per auxilium efficax præuenientis gratiæ mouere liberum arbitrium ad piam operationem, nõ ſolùm ſuadendo, alliciendo, inuitãdo, aut aliter etiam interius moraliter attrahendo; ſed etiam verè efficienter, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ faciendo, vt noſtrum arbitrium liberè, & infallibiliter influat, & concurrat ad opus cum gratia cooperando, licet poſſit diſſentire, ſi velit. Neque in hoc læditur vllo modo, aut impeditur eius libertas, ſed potius perficitur, & roboratur, vt *diſp.*18.22.23.*de Auxiliis*,*&* *diſp.*122. *num.*20. oſtenſum eſt, & in hoc eodem opere *lib.*2.*cap.*1. *nu.*15.

Deus qualiter moueat lib. ar. ad piam operationem.

n.15.& 31. Ad illud verò, quod in eodem argumento tertiò loco tangitur, reſpondetur, quòd cùm aſſeritur, auxilium præuenientis gratiæ dici, & eſſe completè efficax per ordinem ad influxum liberi arbitrij, &c. hoc poteſt dupliciter intelligi. Primò ita, vt illa habitudo ad influxũ liberi arbitrii cum gratia ſit habitudo cauſſæ ad effectum infallibiliter futurum, & in hoc ſenſu veriſſimum eſt, auxilium efficax præuenientis gratiæ importare huiuſmodi habitudinẽ; quoniam Deus per idem auxilium efficit, vt arbitrium noſtrũ liberè, & infallibiliter influat in operationem cum gratia. Secundò poteſt intelligi ita, vt auxilium efficax præuenientis gratiæ importet habitudinem ad influxum liberi arbitrij tanquam ad aliquid, à quo dependeat efficacia gratiæ, ſicut videntur intelligere auctores contrariæ ſententiæ, & in hoc ſenſu arbitramur, concedi non poſſe auxilium efficax dicere habitudinem ad influxum liberi arbitrij, quia, vt dictum eſt, efficacia, & efficientia gratiæ actualis, quamuis nunquam ſit abſque libera cooperatione arbitrii, non tamen dependet ab ea propriè loquendo: ſicut in naturalibus, ſol nunquam reperitur ſine radio, non tamen dependet ab eo, ſed è contra radius dependet à ſole. Et ad exemplum inductum de medicamento reſpondetur, quod non videtur ad propoſitum, quia medicamentum non tribuit vires, quibus efficaciter ſanetur infirmus. Item etiã de deficiẽte calore naturali, aut vigore naturæ nõ habet virtutẽ reparandi illũ, ſed potius ſupponit virtutẽ naturæ, quæ principaliter cõcurrit ad

Auxilium efficax qualiter dicat reſpectum ad liberã cooperationem arbitrii.

ad infirmitatem ſanandam. Cæterùm auxilium efficax tribuit vires efficaces voluntati & eã applicat ad piè operandũ,vt *d.23.de Auxi.*oſtẽſum eſt. Idẽ etiã omnẽ aufert cordis duritiã,omneſque difficultates ſuperat,ac demũ,vt ſæpè docet Aug. efficit ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, vnde non eſt ſimile. His ergo ſuppoſitis dicendum eſt ad argumentum,quòd influxus arbitrij, & pia operatio eſt quidem in poteſtate ipſius arbitrij ſuppoſito auxilio præuenientis gratiæ: at influxus auxilij formaliter loquendo non eſt in poteſtate eiuſdem arbitrij,ſed in poteſtate Dei.

X. Ad quintum argumentum reſpondetur, quòd habitus non determinat potentiam ad operandum infallibiliter: contingit enim aliquẽ habere habitũ charitatis,& nihil operari. Quòd autem habitus charitatis reducatur ad actum ſecundum,non prouenit à libero arbitrio cum ſolo habitu,ſed etiam ab auxilio efficaci,quo liberum arbitrium cum habitu applicatur ad piè operandum. Vnde efficacia, ſiue efficientia habitus pendet ab efficacia auxilij actualis præuenientis gratiæ, non autem à libero arbitrio, niſi vt ſubſtat motioni efficaci actualis auxilij.

Ad ſextum reſpondetur,non modicam videri gratiæ iniuriam irrogari, ſi aſſeratur, auxilium actuale præueniens reddi efficax ex libera cooperatione arbitrij. Et ad impugnationem reſpondetur, quòd liberum arbitrium iuxta ſententiam contrariam, id quidem faceret ex viribus ſufficientibus gratiæ, non autem ex efficacibus,quia tunc virtus efficax auxilij non

Digitized by Google

præueniret cooperationem arbitrij; ſed ſolùm virtus gratiæ ſufficientis eam præueniret, atque adeo gratia præueniens, in quantum ſufficiens, eſſet à Deo, ſed in quantum efficax eſſet ex nobis, quod repugnat doctrinæ Sancti Auguſtini *in toto libro de gratia Chriſti, præſertim cap.* 3. 4. 7. 10. *&* 41. Et ad impugnationem reſpondetur, quod, dum quis vtitur habitu charitatis, Deus ſuo auxilio efficaci complet in ſua virtute operatiua liberum arbitrium eleuatum per habitum, & efficit, vt reducatur ad actum ſecundum. Vnde ſi liberum arbitrium redderet efficax auxilium præueniens, quod prout venit à Deo, erat tantùm ſufficiens, compleret illud in ſua virtute operatiua, ac per conſequens tribueret illi vltimum complementum, ſiue vltimam actualitatem, qua actualiter ageret. Hoc autem non poteſt admitti, nam ſequeretur, quòd Deus ſua præueniente gratia ſolùm tribueret libero arbitrio poſſe piè operari, ſi velit: non autem donaret illi ipſum velle; ac per conſequens, quod inualidum eſt, & imperfectum tribueretur Deo: quod autem perfectum eſt, & quo iuſtus diſcernitur à peccatore, ſcilicet cooperari, & influere cum gratia, liberum ſibi vſurparet arbitrium, contra illud Apoſtoli: ***Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*** Quando ergo quis vtitur habitu charitatis, operatur per virtutem acceptam ab habitu, non tamen operatur per illam virtutem; ſed etiam in virtute motionis diuinæ, ſiue auxilii efficacis præuenientis gratiæ: quia (vt 1. 2. *q.* 190. *art.* 1. *in corpore* docet Sanctus

Auguſt.

1. Cor. 4.

ctus Thomas) *Quantumcumque natura aliqua corporalis, vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi virtute motionis diuinæ.* Et *ar.* 9. eiuſdem quæſtionis ait, *quòd nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi moueatur à Deo.* Quod etiam expreſſe docet Ariſtoteles locis adductis *diſp.* 18.

Vtrum donum perſeuerantiæ in ratione doni perſeuerantiæ, & efficacia illius pendeat ex libera cooperatione noſtri arbitrii cum eo.

Capvt VIII.

I. Hanc quæſtionem fuſe tractaui *diſp.* 105. *de Auxiliis*, ſed vt quaſdam obiectiones nouiter excogitatas contra ea, quæ ibi dicta ſunt, diſſoluam, cogor iterum agere de illa. Ad cuius maiorem explicationem ſupponendum eſt, præſentem difficultatem non procedere de dono perſeuerantiæ; ſecundùm quod reperitur in prædeſtinatis paruulis, qui ante vſum rationis decedunt. Neque etiam de adultis, qui poſt receptam gratiam iuſtificantẽ in amentiam perpetuam inciderunt. Nam cùm tam illi, quàm iſti nullum habuerint, vt ſupponitur, poſt acceptam gratiam actualem vſum liberi arbitrii, certum eſt, & eſſe debet in omniũ ſententia, donum perſeuerantiæ illis conceſſum nullo modo pendere ex actuali vſu liberi eorum arbitrii.

Dif-

Digitized by Google

Difficultas ergo tota eſt de dono perſeuerãtiæ, prout reperitur in adultis, qui in accepta gratia perſeuerant vſque ad mortem ſtrenuè cum illa operando, atque plures actus meritorios eliciendo, quibus prædeſtinatam coronam promerentur. In quo dono plura includuntur auxilia, tũ extrinſeca, tũ intrinſeca prę uenientis gratię, quibus præmouētur iuſti, vt abſque labe peccati mortalis perſeuerent in gratia vſque ad finem vitæ. Difficultas ergo eſt, vtrũ hoc donũ in ratione doni perſeuerantiæ, & efficacia illius pendeat, ex libera cooperatione arbitrii cum illo; an verò conueniat eidem dono ſecundùm ſe, prout venit à Deo, & ex intentione illius ſaluandi hominem, ita nimirum, vt talis efficacia ſit ordine rationis, & cauſſalitatis præueniens liberam cooperationem arbitrii cum illa, ſicut de quocumque alio auxilio efficaci dictum eſt cap.præced.

Eſt ergo ſententia quorundam Theologorũ, qui tria, vel quatuor diſtinguenda eſſe in hoc dono affirmant. Primum eſt ſubſtantia, ſeu entitas illius, pro vt in nobis phyſicè fit. Secundum eſt collatio illius, quatenus aliquo morali modo poteſt à nobis pendere. Tertium eſt efficacia illius, quam ſubdiſtinguunt in efficaciam in actu primo, quæ non eſt aliud, niſi virtus actiua ipſius doni, & in efficaciam in actu ſecundo, quę eſt actualis influxus in actum, quo homo perſeueret. Quartum eſt effectus ipſe talis doni, qui eſt actu perſeuerare & propriè dicitur perſeuerantia ipſa actualis. *P.Suarez to.3.lib. 10. de conſeru. gratiæ c.7. nu.7. & ſeq.*

II. Dicunt ergo primo. Perſeuerantiam, quo ad pri-

Primum dictum. primum,certum eſt non pendere phyſicè à noſtra voluntate, vt liberum arbitrium eſt: & de hoc inquiunt, nullam eſſe controuerſiam: & aſſignant rationem; quia hoc donum pertinet ad præuenientia auxilia, quæ Deus facit in nobis liberè cooperantibus.Dixit autem, vt liberum arbitrium eſt, quia ſicut auxilium efficax præueniens & internum non fit in nobis, niſi phyſicè efficientibus, quamuis non liberè: ita hoc donum,cùm non ſit,niſi quædam collectio, ſeu ordinata ſucceſſio talium auxiliorum, licet non pendeat à voluntate, vt liberè operante, pendet nihilominus ab illa, & ab intellectu, vt phyſicè influentibus,vtique reſpectiuè,& cum diſtributione accommodata. Nam hoc donum actus intellectus,& motus voluntatis includit, & ita illi ab intellectu, iſti à voluntate phyſicè pendēt,quia vitales actus ſunt,licet non liberè, ſed modo naturali in eis,& ab eis fiant.

Secundum dictum. Dicunt ſecundò, donum perſeuerantiæ non habere efficaciam in actu primo à libero arbitrio,ſiue à libera eius cooperatione, neque quo ad hoc ab illo pendere.Probant hoc, quia hæc efficacia,ſeu actiuitas, vt cum minori æquiuocatione loquamur, non eſt aliquid diſtinctum à ſubſtantia talis doni,& quamuis à nobis poſſit illa actiuitas cõſiderari,vt proprietas talis entitatis,erit diſtinctio rationis non rei;& ideo nõ aliunde habet tale donum actiuitatem ſuam,quã vnde habet ſubſtãtiam,& entitatem ſuam.Sicut ergo in entitate non pendet à libero arbitrio:ita nec in ipſa actiuitate in actu primo.Habet ergo illam effectiuè à Deo principaliter efficiente,& à po-

Digitized by Google

à potentiis noſtris eo modo, quo ab illis fit; formaliter verò ex ſe, & natura ſua talem habet actiuitatem, quæ etiam ſecundùm rationem conſiderari poteſt à tali entitate intrinſecè reſultans. Et dum explicant, qualiter efficacia huius doni pendeat à ſolo Deo, ſubiungunt: Speciali verò modo dicitur hoc donum, quo ad hæc duo, à ſolo Deo pendere: quia & ipſe ſolus eſt principalis cauſſa eius, vtiturque noſtris potentiis tanquam inſtrumentis ad illud infundendum, ſicut de Auxiliis gratiæ generatim dictum eſt; & pro arbitrio ſolo ipſius Dei infunditur ſine conſenſu libero recipientis, nimirum quo ad ipſam infuſionem talis doni, nam, quo ad vſum eius, id non procedit.

Tertium dictum.

Dicunt tertiò: Si loquamur de efficacia doni perſeuerantiæ in actu ſecundo, id eſt, de actione eius, & influxu in actus liberos voluntatis, propter quos efficiendos datur, certum eſt, donum hoc ad hanc efficientiam ſuam poſtulare liberam cooperationem arbitrij, & ſine illa ſuum influxum præſtare non poſſe.

Quartum dictum.

Vt autem explicent, qualiter propter iſtam concomitantiam cooperationis liberi arbitrij cum dono perſeuerantiæ concedi poſſit, quòd efficacia, vel efficientia in actu ſecundo eiuſdem doni pendeat ex libera cooperatione arbitrij cum illo; Dicunt quartò: Si verbum *deponendi*, habitudinem effectus ad cauſſam ſignificet, vt Philoſophicus rigor interdum exigit, ſic clarum eſt, non dependere tale donum gratiæ à voluntate, quia non eſt effectus eius, vtique in genere cauſſæ efficientis, vt loquimur.

III. *Quintum dictum.* Dicunt quintò: Si verbum *dependendi* accipiatur in communi, & pro vt in proprio ſermone accipi ſolet latius, ita vt ſignificet neceſſitatem alicuius conditionis, vel alterius concauſſæ ad agendum, hoc modo rectè, & ſine vllo inconuenienti dici poteſt, donum perſeuerantiæ in actuali efficientia ſua à libero arbitrio pendere tanquam à concauſſa, ſine cuius cooperatione nihil efficere poteſt, ſed tantùm afficere, & excitare potentiam, non effectiuè, ſed formaliter, ſub quo reſpectu habet rationem præuenientis gratiæ, non adiuuantis propriè, ſeu cooperantis. Quod probant, nam ſic etiam dicitur ignis pendere à conuenienti applicatione in agendo, & ſol in illuminatione orbis dici poteſt dependere à motu ſuo, & viſus pendere in videndo ab ſpecie, & lumine. Ergo ſimiliter, &c.

Sextum dictum. Dicunt ſextò. Donum perſeuerantiæ, quo ad ipſius collationem, ſeu receptionem, non pendet ex aliquo bono vſu liberi arbitrij procedentis ex ſolis viribus naturæ, qui ſit meritorius eiuſdem doni, vel conditio neceſſaria, vel ratio ob quam Deus nobis illud infundat: nam hoc pertinet ad errorem Semipelagianorum.

Septimum dictum. Dicunt ſeptimò. Bonus vſus liberi arbitrij futurus ex dono perſeuerantiæ, & reſpectiuè ex vnoquoque auxilio efficaci in tali dono incluſo, non poteſt eſſe ratio per modum meriti diſpoſitionis; aut impetrationis recipiendi tale auxilium. Nihilominus tamen ille bonus vſus ſub conditione præuiſus eſt neceſſaria conditio, vt tale donum habeat rationem efficacis au- *Eodem cap. 7. num. 20.*

xilij,

xilij, & vt gratuitò poſſit Deus illud eligere, tanquam medium aptum ad ſaluandum infallibiliter prædeſtinatum, quem gratis etiam elegit. Atque hoc tantùm modo dici poteſt, donum perſeuerantiæ pendere à libero arbitrio eiuſque vſu ſub conditione præuiſo, vt à conditione ad hoc neceſſaria, vt per illud detur non tantùm poſſe perſeuerare, ſed etiam velle, & actu perſeuerare. De prima parte non eſt inter nos controuerſia. Secundam verò partem huius dicti, de qua eſt diſſenſio, ſic probat.

Primò, nam auxilia præuenientia, quæ ad hoc donum neceſſaria ſunt, efficacia eſſe oportet, quia dare debent infallibiliter velle, & facere. Sed nō poſſunt eſſe talia, niſi in præſcientia Dei certum ſit, voluntatē liberam in tali vel tali opportunitate, & tali modo excitatā non reſtiturā, licet poſſit reſiſtere. Ergo hic bonus vſus ſub conditione præuiſus eſt aliquid neceſſariò ſupponendum in præſcientia Dei, vt poſſit tale donum, vt efficax in æternitate præparari, & in tempore dari. In hoc ergo vero ſenſu, & non alio rectè dicitur, donum actualis perſeuerantiæ à libero arbitrio aliquo modo pendere, ſeu ab eius vſu futuro, & dicto modo præuiſo, vt à conditione neceſſaria. IV. *Eodem cap. 7. num. 21.*

Secūdò idem probat rationibus factis de auxilio efficaci, quia ſi donū perſeuerantiæ eſt neceſſarium ad ſalutem, & aliàs ſaltem iſto modo non dicit habitudinē ad vſum liberi arbitrij, nec erit in poteſtate hominis nō habētis, ſaluari; quia nullo modo habet in poteſtate ſua tale donum: nec erit aliquod auxilium dans poſſe perſeuera- V.

 re,

re, ſi non dat actu perſeuerare, quia præter quodcunque auxilium dans poſſe, neceſſarium eſt aliud præueniens ad perſeuerandum, quod non eſt in hominis poteſtate.

Tertiò ſic arguit. Nam iuxta oppoſitam ſententiam non intelligitur, quomodo tale donum relinquat integrum liberum vſum voluntatis, ſi non datur cum aliqua habitudine ad illum, nec ſatis etiam percipitur, quomodo relinquat veram poteſtatem reſiſtendi eidem dono, & malè operandi, ſi donum ipſum phyſicè determinat voluntatem.

Quartò id ipſum probant ex ſolutionibus argumentorum noſtræ ſententiæ, quæ an ſatisfaciant, nec ne, ex his, quæ inferius dicenda ſunt, pius lector iudicare poterit.

Vt autem ſenſum noſtrum circa primum dictum explicemus, aduertimus, quòd licet actus pij deliberati pertineant ad gratiam excitantem, nihilominus auxilium gratiæ excitantis, quod eſt primum auxilium ſimpliciter, non poteſt eſſe formaliter actus noſter vitalis, ſed cauſſaliter, & aliquid præueniens omnem actum noſtrum vitalem, vt *diſp.* 74. *de Auxiliis* oſtenſum eſt. Similiter etiam auxilium efficax gratiæ adiuuantis, & efficacis, non eſt formaliter actus noſter vitalis, aut liber, ſed aliquid præueniens ordine duntaxat rationis, & cauſſalitatis liberam cooperationem noſtri arbitrij, vt *diſp.* 32. & 33. *de Auxiliis* oſtenſum eſt. Idem ergo dicendum eſt de tota ſerie auxiliorũ efficacium, quę includuntur in dono perſeuerantiæ. Non ergo poteſt pendere efficacia eiuſdem doni ex libera

coope

cooperatione arbitrij, etiam vt à conditione, ſine qua non; ſed de hoc egimus ex profeſſo *diſp. 73. de Auxiliis*, vbi idem probauimus de quocumque auxilio efficaci præuenientis.

Expenditur ſecundũ dictũ ſententiæ aduerſæ.

Circa ſecundum dictum plura ſunt aduertenda ad tollendas omnes æquiuocationes, quibus veritas occultari poteſt. Primum eſt, illam diſtinctionem de dono perſeuerantiæ in actu primo, & in actu ſecundo non eſſe ad propoſitum, de quo agitur: non enim loquimur de dono perſeuerantiæ in actu primo, quo poteſt quis perſeuerare, ſi velit. Talis enim perſeuerantia conceſſa fuit Adæ in ſtatu innocentiæ, vt docet Auguſtin. *lib. de correptione & gratia cap.* 11. & 12. nec pertinet ad illud donum ſpeciale prædeſtinatorum, de quo Matth. 10. & 24. *Qui autem perſeuerauit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Loquimur ergo ſolùm de illo dono perſeuerantiæ, quo Deus actus efficit, vt quis infallibiliter, & liberè perſeueret vſque in finem. Hoc ergo donum, & eius efficacia, ſeu efficientia, & influxus eſt à ſolo Deo, non tantùm vt à cauſſa principali; ſed etiam à cauſa totali. Iam enim diximus, quòd auxilia efficacia præuenientis gratiæ non ſunt formaliter actus noſtri vitalis; ſed aliquid præueniens ordine dumtaxat rationis, & cauſſalitatis pios actus liberos, quibus prædeſtinatus perſeuerat in accepta gratia, vſque in finem.

Auguſt.

VI.

Expenditur tertium dictum.

Circa tertium dictum aduertimus, quod efficientia, ſiue influxus actualis doni perſeuerantiæ in actus liberos voluntatis, propter quos efficiendos datur, nunquàm eſt abſque libera

cooperatione noſtri arbitrij exiſtente in eodem inſtanti temporis. Et in hoc conuenimus: ſed inter nos, & illos differentia eſt, nam illi non admittunt, quòd auxilium efficax doni perſeuerantiæ, qua ratione eſt efficax, & adiuuans, ſit influxus immediatus in liberum arbitrium, vt in cauſſam, nec præueniẽs ordine rationis, & cauſſalitatis liberam cooperationem noſtri arbitrij cum illo, ita nimirum, vt eadẽ cooperatio liberi arbitrij, ſiue influxus actualis in actum liberum ſit in genere cauſſæ verè efficientis ſit effectus Dei mouentis per idem auxilium, vt liberum arbitrium, infallibiliter piè operetur, & liberè, ſed ſolum ſit influxus ſimultaneus, & coinſtãtaneus cum libero arbitrio in eius operationem. Imo volũt, quòd noſtrum arbitrium determinet auxilium præuenientis gratiæ ad ſecum concurrendum. Nos autem ſemper diximus, & dicimus oppoſitum. Exiſtimamus enim negari non poſſe, quòd influxus auxilij adiuuantis, & efficacis doni perſeuerantiæ ſit influxus immediatus in liberum arbitrium, vt in cauſſam, & cum libero arbitrio in eius effectũ, vt conſtat ex his, quæ dixi *diſp. 18. de Auxiliis*. Ex hoc enim ſequitur, quòd efficacia, ſiue efficientia actualis auxilij efficacis doni perſeuerantiæ non ſolùm non dependeat in genere cauſſæ efficientis ex libera cooperatione creati arbitrij, vt fatetur auctor in quarto dicto, ſed etiam infertur, quòd libera cooperatio arbitrij, vt ab eo emanat, pendeat in genere cauſſæ efficientis à Deo, vt à totali cauſſa efficiente per auxilium efficax, vt voluntas hominis, quam mouet liberè, & infallibiliter piè opere

Differentia inter auctores vtriuſque ſententiæ.

Digitized by Google

operetur, vt *diſput.* 100. *de Auxiliis* probatum reliquimus; quod tamen negant auctores ſententiæ contrariæ. Licet enim non Deus ſolus, ſed etiam liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum ſint cauſſa efficiens piæ operationis liberæ: ſolus tamen Deus eſt tota, & adæquata cauſſa faciens, vt liberum arbitrium concurrat cum Deo, & influat in operationem piam, vt *diſput.* 110. *de Auxiliis* dictum eſt.

In quinto dicto aſſeruntur multa, quæ nobis non probantur. Et in primis dicimus, quòd quando duæ cauſſæ partiales concurrunt ad eundem effectum, ſicut duo trahentes nauim; tunc poteſt eſſe mutua dependentia inter cauſſalitatem vnius, & cauſſalitatem alterius comparatione effectus quem ſimul producunt; eo quòd quælibet cauſſa ex illis duabus eſt imperfecta, & neutra ſeorſum habet ſufficientem virtutem ad talem effectum producendum, & ideo indiget adiutorio, & concurſu alterius cauſſæ. Cæterum Deus operans per gratiam, & liberum arbitrium non ſunt duæ cauſſæ partiales piæ operationis, ſicut duo trahentes nauim, vt probaui *diſp.* 85. *de Auxiliis*, ſed quælibet eſt totalis in ſuo genere, quarum vna ſcilicet liberum arbitrium intrinſecè ſubordinatur non ſolùm in eſſendo, ſed etiam in agendo, videlicet Deo, à quo tanquam à cauſſa efficiente pendet in ſuo eſſe, & actuali cooperatione, & influxu, vt ſæpè dictum eſt. Vnde ipſe Deus, & auxiliũ efficax doni perſeuerantiæ pendere non poteſt in ſua efficientia ex libera cooperatione arbitrij, ſed potius è conuerſo libera cooperatio VII. *Examinatur quintum dictum.*

arbitrij, vt ab eo emanat pendet à Deo præmouente liberum arbitrium, vt à totali cauſſa verè efficiente, vt liberum arbitrium concurrat, & influat cum Deo, & eius gratia in operationem piam, de quo *diſp.* 100. *de Auxiliis* egimus ex profeſſo. Et inferius *lib.*3.*cap.*4.operoſius agendum eſt.

Illud verò, quod in eodem dicto aſſeritur, quod ſcilicet auxilium efficax doni perſeuerantiæ nihil efficere poteſt abſque libero concurſu arbitrij, ſed tantum afficere & excitare potentiã, non effectiuè, ſed formaliter, ſub quo reſpectu habet rationem præuenientis gratiæ, non adiuuantis propriè, ſeu cooperantis, non videtur quantum ad omnia admittendum: quia non ſolùm gratia excitans eſt præueniẽs liberam cooperationem arbitrij, ſed etiam gratia adiuuans, vt ſuperius *c.*1.*num.*37.*& diſp.*82. *de Auxiliis* ex Conc. Trid.*c.*5.*& Can.*4. & ex teſtimoniis Sanctorum Auguſtini, & Thomæ, ac rationibus Theologicis oſtenſum eſt. Et quamuis ipſum auxilium efficax, vt eſt influxus immediatus in voluntatem, ſub hac ratione non operetur in illam effectiuè, ſed ſolùm eam afficiat ad modum cauſſæ formalis, tribuendo illi, vt dicit Auguſtinus, vires efficaciſſimas, quibus actu liberè, & infallibiliter piè operetur, nihilominus Deus ipſe per auxilium efficax eſt vera cauſſa efficiens, quod liberum arbitrium ſecum concurrat ad piam operationem.

Neque exempla adducta probant id, quod auctor intendit. Nam ignis, vt cauſſet ſuũ effectum, pendet quidem, vt à conditione ſine qua non

non à conuenienti applicatione, quia talis applicatio antecedit operationem ignis. Similiter motus Solis eſt aliquid antecedens illuminationem totius orbis, nam eſt quædam applicatio Solis ad Diaphanum, quod debet illuminare. Denique ſpecies, & lumen eſt aliquid prærequiſitum antecedenter, vt potẽtia viſiua videat aliquod obiectum, & ideo viſio poteſt pendere à ſpecie viſibili, & lumine, vt à conditione, ſine qua non. Veruntamen libera cooperatio noſtri arbitrij cum Deo operante per gratiã efficacem non eſt aliquid antecedenter prærequiſitum, vt Deus per donum perſeuerantiæ, & auxilium efficax præuenientis gratiæ operetur, & faciat nos cooperari, ſed potiùs eſt effectus ad operationem Dei conſequutus. Ergo talis cooperatio arbitrij non poteſt eſſe conditio, ſine qua donum perſeuerantiæ non eſſet efficax actualiter. Ergo efficacia, & efficientia eiuſdem auxilij, vel operatio Dei per idem auxilium pendere non poteſt, etiam vt à conditione, ſine qua non, ex cooperatione arbitrij. Et confirmatur. Id quod dependet ab alio, ſub hac ratione eſt eo poſterius: ſed operatio Dei per auxilium efficax non eſt poſterior cooperatione noſtri arbitrij, ſed potiùs eſt prior ordine rationis, & cauſſalitatis, aliàs gratia Dei *ſubiungeretur voluntati humanæ*, & eſſet *pediſſequa* illius, contra definitionem Concilij ſecundi Arauſicani, *can. 6.* & conſequenter iſta cauſſalis eſſet vera, quia homo operatur, Deus cooperatur: hæc autem eſſet falſa, quia Deus operatur, homo cooperatur, quod

tamen non poteſt admitti, vt *diſput. 99. de Auxiliis* viſum eſt. Ergo.

VIII. *Sextum dictum conceditur.* De ſexto dicto nulla eſt, nec eſſe poteſt inter Catholicos diſſenſio, tota difficultas eſt circa ſecundam partem dicti ſeptimi, quæ nunquam nobis placuit, nec placere poteſt. Dicimus enim eſſe impoſſibile, quòd bonus vſus liberi arbitrij ſub conditione præuiſus ſit neceſſaria conditio, vt tale donum habeat rationem efficacis auxilij, neque, vt poſſit Deus illud eligere tanquam medium aptum ad ſaluandum infallibiliter prædeſtinatum. *Impugnat dictũ ſeptimum.* Hæc enim omnia competunt auxilio efficaci ex decreto abſoluto voluntatis diuinæ, cuius virtutem participat auxilium efficax antecedenter ad omnem præſcientiam boni vſus liberi arbitrij futuri, etiam ex hypotheſi, quod in talibus circunſtantiis conſtituatur. Nec poteſt huiuſmodi bonus vſus liberi arbitrij intelligi, aut cognoſci, vt futurus ex hypotheſi, niſi præintelligatur in Deo actuale decretum conditionatum, quo ſtatuerit, vt talis bonus vſus ſit futurus, ſi conditio, ſub qua dicitur futurus, ponatur in eſſe, vt *libro 1. cap. 1. & ſequentibus* oſtenſum eſt. Vnde impoſſibile eſt, quòd efficacia auxilij præuenientis gratiæ adiuuantis pendeat, vt à conditione, ſine qua non ex bono vſu liberi arbitrij futuro ex hypotheſi, & à Deo præcognito per ſcientiam mediam.

IX. Probatur hoc in primis omnibus argumentis, quibus ſupra *lib. 1. ca. 1. 3. & 4. & diſputatione 7.*

ne 7.*&* 13.*de Auxiliis* oſtenſum eſt, ſcientiam illam mediam, ſeu futurorum contingentium conditionatorum, quam in Deo conſtituunt ante omne liberum decretum voluntatis eius, eſſe impoſſibilem.

Prima ratio.

Præterea arguitur contra idem dictum ſeptimum. Nam, ſi eſſet verum, quòd donum perſeuerantiæ pendet ex bono vſu liberi arbitrij ſub conditione præuiſi, vt à conditione neceſſaria, vt per illud donum detur homini non tantùm poſſe perſeuerare; ſed etiam actu perſeuerare, ſicut ait Auctor, ſequeretur, quod ex decreto, & cauſſalitate Dei, & doni perſeuerantia quatenus eſt præueniens, ſolum detur prædeſtinatis per Chriſtum Dominum poſſe perſeuerare, ſi velint, non autem actu perſeuerare. Sequeretur etiam, quòd actu perſeuerare tribuatur homini, & non Deo facienti per donum perſeuerantiæ, vt actu perſeueret: conſequens non poteſt admitti. Ergo. Maior probatur, nam ſi donum perſeuerantiæ non habet, quòd ſit efficax, vt venit à Deo, & ex decreto voluntatis eius prius in ſigno rationis, quàm Deus cognoſcat bonum vſum liberi arbitrij ſub conditione futurum; Ergo idem bonus vſus tribuit auxiliis præuenientis gratiæ rationem formalem doni perſeuerantiæ, quo quis perſeuerat vſque in finem: & conſequenter donum perſeuerantiæ, ſecundùm quod habet rationem formalem doni perſeuerantiæ, eſſet ab homine, & non à Deo faciēte, vt homo perſeueret: quod tamen videtur contra loca Scripturæ, & Sacri Concilij Tridentini, quæ adduximus *diſput.* 55.

de Auxi

Confirmat. de Auxiliis, & duabus ſequentibus. Confirmat. Bonus vſus liberi arbitrij præuiſus à Deo, vt abſolutè futurus, non poteſt eſſe conditio, à qua dependeat donum perſeuerantiæ, quod datur prædeſtinatis per Chriſtum. Ergo ſimiliter pendere non poteſt ab eodem bono vſu præuiſo, vt futuro ſub conditione. Antecedens probatur; nam ille bonus vſus doni perſeuerantiæ abſolutè futurus eſt effectus pendens à dono perſeuerantiæ in genere cauſſæ verè efficientis. Ergo non poteſt eſſe conditio neceſſariò prærequiſita ad illud donum, & ad efficaciam, & efficientiam illius. Effectus enim procedens à cauſſa efficiente non poteſt eſſe conditio prærequiſita ad efficaciam, vel efficientiã ſuæ cauſſæ: nam talis effectus eſt poſterior ſua cauſſa efficiente, conditio autem prærequiſita ad efficientiam cauſſæ, debet (vt diximus *diſp. 90. de Auxiliis*) illam præcedere, vt patet in applicatione ignis. Conſequentia verò probatur; nam ita ſe habet bonus vſus liberi arbitrij futurus ſub conditione, & ſub eadem præuiſus in ordine ad donum perſeuerantiæ ſub conditione donandum, ſicut ſe habet bonus vſus eiuſdem arbitrij abſolutè futurus in ordine ad donum perſeuerantiæ abſolutè donatum. Ergo ſi donum perſeuerantiæ abſolutè donatum non pendet in ſua efficacia, vel efficientia ex bono vſu liberi arbitrij abſolutè futuro, vt à cõditione ſine qua non eſſet efficax, multò minùs donum perſeuerantiæ ſub conditione donandum pendere poterit ex eodem bono vſu ſub conditione futuro, & à Deo præcognito per ſcientiam mediam.

Secundò

Digitized by Google

Secundò impugnatur idem dictum ſeptimũ. X.
Vt auxilia efficacia, quæ in dono perſeuerantiæ *Secũda im-*
adultorum includuntur, ſint medium aptum, *pugnat.*
vt per idem donum faciat Deus, vt prædeſtinati per Chriſtum perſeuerent in gratia vſque in finem, non requiritur, quòd prius in ſigno rationis cognoſcat Deus per ſcientiam mediam, bonum vſum liberi arbitrij futurum ex hypotheſi. Ergo fruſtra ponitur talis bonus vſus præuiſus ſub conditione, vt ſit conditio à qua dependeat efficacia doni perſeuerantiæ. Antecedens probatur; nam eo ipſo, quòd Deus vult abſoluta, & efficaci voluntate, vt homo, cuius cor mouet, liberè, & infallibiliter conuertatur, & perſeueret in gratia vſque in finem, talis gratia præueniens ſit medium aptum, vt huiuſmodi effectus abſolutè intentus à Deo per liberam voluntatem hominis à Deo motam, & excitatam ſubſequatur. Nam ab eodem decreto prouenit in eodem auxilio efficaci intentionaliter virtus voluntatis diuinæ, cuius eſt inſtrumentum ad efficiendum, vt homo liberè, & infallibiliter perſeueret vſque in finem. Vnde Sanctus
Thomas 1.2.*q.*112. *art.* 3. *in corpore* ait: *Si ex in-* *S. Thom.*
tentione Dei mouentis eſt, quòd homo cuius cor mouet, gratiam conſequatur, infallibiliter ipſam conſequitur: ſecundùm illud Ioan. 6. *Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.* Vbi Sanctus Doctor ad intentionem Dei mouẽtis, quæ deficere non poteſt, refert infallibilitatem, qua quis conuertitur, & perſeuerat vſque in finem, non autem ad bonum vſum liberi arbitrij, quouis modo à Deo præcognitum; cùm arbitrium creatum ſit ſecundùm

cundùm ſe defectibile, & variabile à bono in malum, niſi gratia Dei in bono firmetur, vt ex profeſſo probat Sanctus Doctor 3. *contr. gent. ca.*155 Et clarius 2.2. *q.* 24.*art.*11. *in corpore*, ait. *Conſiderare poſſumus charitatem: Uno modo ex parte Spiritus ſancti mouentis animam ad diligendum Deum. Et ex hac parte charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus ſancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit. Vnde impoſſibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus ſanctus velit aliquem mouere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando. Nam donum perſeuerantiæ computatur inter beneficia Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur, vt Auguſtin. dicit in libro de prædeſtin. Sanctorum.* *cap.* 14. Et inferius docet, charitatem in hac via eſſe amiſſibilem per peccatum mortale ex parte ſubiecti, in quo eſt, quia non replet totam eius capacitatem, ſicut replet in patria: in qua fit inamiſſibilis. Quomodo ergo fundari poterit in libero arbitrio mutabili, aut in bono vſu illius quouis modo à Deo præcognito infallibilitas piarum operationum, & gratiæ continuatio vſque in finem? Ergo neceſſariò dicendum eſt, quòd talis infallibilitas proueniat ex efficacia diuinæ voluntatis, & motionis diuinæ, vt eſt inſtrumentum Dei, qui deficere non poteſt, nec per aliam cauſſam impediri, quominus faciat, quod vult, & eo modo quo vult. Sed de hoc plura diximus *diſp.*41. *de Auxiliis* vbi oſtenſum eſt, certitudinem, & infallibilitatē prædeſtinationis diuinæ, quantum ad aſſequutionem effectus, fundari tanquā in prima radice, & cauſſa in

in omnipotentia, & efficacia voluntatis diuinæ, nulla præſuppoſita ſcientia media, atque in ipſis auxiliis gratiæ, quibus, vt ait Auguſtinus, *Certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.*

Tertiò. Impugnatur eadem ſententia, & ſimul noſtra confirmatur argumentis à nobis adductis *diſp. 105. de Auxiliis num. 3. & ſequentibus*, ex quibus aliqua perſtringemus vt magis appareat eorum efficacia ex impugnatione ſolutionum, quæ illis adhibetur. Et in primis id probaui; nam aliàs ſequeretur, donum perſeuerantiæ non eſſe à ſolo Deo, quod videtur contra Concilium Tridentinum *ſeſſione 6. de iuſtificatione cap. 13.* Vbi docet Sancta Synodus, *quòd perſeuerantiæ munus, de quo* Matt. 10. & 24. *aliundè haberi non poteſt, niſi ab eo, qui poteſt eum qui ſtat ſtatuere, vt perſeueranter ſtet.* Sentit ergo efficaciam doni perſeuerantiæ eſſe à ſolo Deo, & non pendere ex libera cooperatione arbitrij à Deo per ſcientiam mediam præuiſa. XI. *Tertia impugnatio.*

Reſpondent. Si ſermo ſit de perſeuerantia ipſa, concedit ſequelã: nam actus, quibus perſeueratur, ſunt à libero arbitrio cooperante diuino auxilio. Si verò ſit ſermo de dono pro auxilio præueniẽte, quod eſt principium perſeuerandi, negat ſequelam, ita vt particula, *ſolo*, nõ excludat phyſicam, & neceſſariam efficientiam, quam voluntas creata habet in illos internos motus illuminationum, & inſpirationum efficacium, in quibus tale donum conſiſtit. Nam illa efficientia voluntatis eſt neceſſaria ad actus vitales, ſed ita, vt particula, *ſolo*, excludat cooperationem liberam voluntatis. Sic ergo negatur ſequela, XII. *Solut. eod. c. 7. nu. 22.*

quia

quia licèt Deus præbeat hoc donum cum habitudine ad futurum vſum liberi arbitrij præuiſum ſub conditione, nihilominus ſolus ipſe facit in nobis ipſum donum, mouendo potentias, vt recipiant, & neceſſariò coëfficiant auxilia illa, in quibus tale donum conſiſtit. Nam vſus ille liber, qui futurus ſupponitur, non pertinet ad productionem ipſius doni præuenientis, ſed potiùs ad effectum eius: & ideò ſolùm ſequitur, quòd effectus doni ſit futurus cum cooperatione liberi arbitrij, non verò, quòd effectio ipſius doni ſit à libero arbitrio. Infuſio ergo ipſius doni eſt à ſolo Deo, ſed cum habitudine ad liberum effectum, & conſequenter cum eadem habitudine ad liberum vſum futurum. Quod confirmat ex Concilio Triden. *c.13. allegato*, vbi de eodem dono perſeuerantiæ ſic ait: *Nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debeant: Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.* In quibus verbis docet Concilium, eſſe in hominis poteſtate, & libertate habere auxilium, quo actu perſeueret, quod re vera ſubſiſtere non poteſt, niſi donum ipſum præueniens, & efficax ad liberum vſum voluntatis prædictam habitudinem includat.

XIII. *Impugnat.* Hæc ſolutio difficultatem argumenti videtur ſubterfugere, & in his immorari, de quibus nō eſt cōtrouerſia. Non enim agitur in præſenti de gratia excitāte, vt includit motus indeliberatos intellectus, & volūtatis. Certiſſimū eſt enim

apud

Digitized by Google

apud omnes, ad huiuſmodi motus vitales concurrere intellectum, & voluntatem phyſica efficientia abſque vſu libertatis, quamuis gratia primò excitans, antequam nullum aliud præceſſit auxilium ſpeciale, non ſit formaliter actus noſter vitalis, ſed ſolùm cauſſaliter, vt *diſp*.74. *de Auxiliis* dictũ eſt. Item etiam eſt certú apud omnes catholicos, quod in eodẽ inſtanti temporis, in quo Deus per donũ perſeuerantiæ mouet efficaciter liberum arbitrium ad piè operãdum, eſt ſimul cooperatio libera eiuſdem arbitrij, atque adeo auxiliũ efficax non excludit cooperationem liberãvolũtatis, quin potiùs ipſum auxiliũ efficax cõfertur à Deo cũ ordine ad eandem cooperationem liberam voluntatis, etiam vt emanat à libero arbitrio ad quã dicit habitudinem ipſum auxilium. Cauſſa enim dicit ordinem, & habitudinem ad effectum, quem cauſſat. Neque ad hæc probandum adduximus auctoritatem Sac. Concil. Trid. ſed vt oſtendamus eandem liberam cooperationem noſtri arbitrij à Deo præcognitam per ſcientiam mediam, vt futuram non præſupponi, neque prærequiri, etiam vt conditio ſine qua non, ad efficaciam doni perſeuerantiæ, & cuiuſcumque alterius efficacis auxilij, ſed potiùs quòd liberum arbitrium cooperetur eſſe effectum Dei mouentis per idem auxilium, per quod Deus verè efficienter, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ facit vt faciamus, & operatur, vt operemur: aliàs liberum arbitrium ſolùm haberet à Deo, quòd poſſet perſeuerare, ſi vellet: non autem haberet à Deo verè efficienter, quòd vellet actualiter per-

ſeuerare. Et ita donum perſeuerantiæ formaliter loquendo in ratione doni perſeuerantiæ haberetur aliunde, quàm ab ipſo Deo, quod eſt contra Concilium. Licet enim actus liberi, per quos iuſtus perſeuerat vſque in finem, pendeant efficienter à libera cooperatione arbitrij: hæc tamen cooperatio non eſt vllo modo cauſſa, nec conditio antecedenter prærequiſita, vt donum illud, de quo loquimur, ſortiatur rationem efficacis auxilij doni perſeuerantiæ, ſed quid conſequens ordine rationis, & cauſſalitatis ad ipſum donum perſeuerantiæ, & ita tota operatio pertinet ad gratiam, vt docet Sanctus Thomas 1.2.q.111. *artic.2. ad 2.* vbi ait, *quòd Deus non ſine nobis nos iuſtificat: quia per motum liberi arbitrij dum iuſtificamur, Dei iuſtitiæ conſentimus. Ille tamen motus non eſt cauſſa gratiæ ſed effectus, vnde tota operatio pertinet ad gratiam.* Ecce apertè docet, quòd ipſa cooperatio liberi arbitrij ſit effectus præuenientis gratiæ. Proportionabiliter nos dicimus in præſenti, quòd Deus per donum perſeuerãtiæ nõ facit nos perſeuerare per actus pios ſine nobis liberè cooperantibus, & conſentientibus per motum liberi arbitrij: ille tamen motus non eſt cauſſa doni perſeuerantiæ, nec conditio antecedenter prærequiſita ex parte noſtra, vt tale donum ſortiatur rationem formalem doni perſeuerantiæ, ſed eſt effectus eiuſdem doni, vel Dei mouentis per idem donum. Vnde tota operatio pertinet ad ipſum donum perſeuerantiæ.

S. Thom.

XIV. Quod etiam confirmare poſſumus ex conceſſis ab auctore in ſolutione data. Ipſe enim fatetur

tetur, quòd bonus vſus liberi arbitrij,qui futurus ſupponitur, pertinet ad effectum doni perſeuerantiæ. Ergo neceſſe eſt fateatur, quòd libera cooperatio arbitrij ſit in genere cauſſæ verè efficientis effectus Dei mouentis per donum perſeuerantiæ. Ergo non poteſt eſſe antecedenter prærequiſita, etiam vt conditio ſine qua non, ad efficaciam ſiue efficientiam eiuſdem doni: Ergo talis efficacia nõ pendet à libera cooperatione arbitrij futura, etiã ex hypotheſi.

Nec locus ex Conc. Tridentino adductus ab auctore in ſuum fauorem aliquid iuuat, ſolùm enim probat, quòd defectus, ſeu carentia doni perſeuerantiæ ſit ex nobis, non autem, quòd collatio doni perſeuerantiæ, vel eius efficacia pendeat ex nobis, etiam vt à conditione, ſine qua non. Sic enim Sanctus Thomas 1.2.*q.*112. *artic.*3. *ad* 2. reſpõdet ad auctoritatem Anſelmi *lib. de caſu diaboli cap.*3. dicens, *quòd iſta eſt cauſſa, quare Deus non concedit diabolo gratiam, quia ipſe non voluit accipere, nec paratus fuit,* ex quo videtur ſequi, quòd, ſi velit accipere gratiam, neceſſe eſt, quòd ei detur: nam remota cauſſa, remouetur effectus. Ad quod tamen reſpondet Sanctus Doctor, *quòd defectus gratiæ prima cauſſa eſt ex nobis: ſed collationis gratiæ prima cauſſa eſt à Deo, ſecundùm illud Oſeæ* 13. *Perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum.* *Ad locum Conc. Trid.*

Quartò idem probatur. Cauſſa efficiens non pendet ab effectu, nec prius à poſteriore: ſed donum perſeuerantiæ eſt cauſſa, quòd homo perſeueret per actus liberos, & pios, & præuenit liberam cooperationem arbitrij creati, XV. *Quarta impugnatio.*

vt perſeueret. Nam hoc donum pertinet ad auxilia præuenientis gratiæ efficacis. Ergo.

Solutio. Eodem c.7. num.22. Reſpondent, argumentum optimè concludere, donum perſeuerantiæ in ſenſu iam declarato, id eſt, pro principio perſeuerandi, non eſſe efficienter à libero arbitrio, neque ab illo in ſuo fieri, ſeu in ſua infuſione pendere: inde autem non ſequitur, quòd non infundatur cum habitudine ad futurum liberum vſum: quia illa habitudo non eſt ad illum vſum, tanquam ad cauſſam, ſed tanquam ad effectum infallibiliter futurum iuxta diuinam præſcientiam, & voluntatem illi accommodatam. Et ad probationem, nam cauſſa non pendet ab effectu, reſpondent, in illo modo loquendi non eſſe ſermonem de propria dependentia, quæ eſt cauſſalitas, vel ex cauſſalitate, ſed lato modo prout ſignificat quamcumque conditionem neceſſariam, vt aliquid fiat: & hoc modo licet effectus exiſtens realiter non poſſit eſſe conditio neceſſaria, vt à cauſſa fiat, nihilominus effectus, vt præuiſus, vt futurus poteſt eſſe talis conditio, vt tale auxilium tanquam efficax liberi effectus, donetur ex intentione efficaci, vt infallibiliter habeat effectum. Quæ neceſſitas prouenit, tum ex parte obiecti, & effectus, vt poſſit infallibilitas cum libertate coniungi: tum ex parte agentis à propoſito, vt poſſit ex intentione efficaci finis medium illud, vt efficax eligere. Et ita hoc nihil derogat gratiæ, vel efficaciæ talis doni, & libertatem arbitrij commendat, optiméque cum gratia conciliat.

XVI. Sed hæc ſolutio non videtur ſatisfacere. Conten

Contendimus enim donum perſeuerantiæ in ſua efficacia, & efficientia non pendere ex libera cooperatione noſtri arbitrij, licèt non ſit abſque illa: ſicut virtus, & efficacia ſolis non eſt abſque illuminatione; non tamen pendet ab illa. Nec prærequiritur ad efficaciam doni perſeuerantiæ, quòd Deus per ſcientiam mediam ante omne liberum decretum ſuæ voluntatis præſciat noſtrum arbitrium eſſe cooperaturum liberè ex hypotheſi, quòd detur ei tale donum. Id enim certò ſcit per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, qua cognoſcendo omnipotentiam ſuæ diuinæ voluntatis certò ſcit, quòd ſi ipſe abſolutè decreuerit, quòd noſtrum arbitrium cooperetur liberè cum dono perſeuerantiæ, ſi ei detur, & perſeueret vſque in finé, ita fiet. Similiter etiam per ſcientiam viſionis, ſeu liberam certò cognoſcit liberam cooperationem arbitrij abſolutè futuram ex dono perſeuerantiæ in libero decreto ſuæ diuinæ voluntatis, quo abſolutè vult, & efficit per idem donum, vt homo infallibiliter velit cooperari liberè, & perſeuerare per actus pios à Deo ſtatutos, & perſeueret vſque in finem. Itaque per ſcientiã omnino liberam, quæ fundatur tanquam in prima radice, & cauſſa in omnipotentia Dei, atque in abſoluto, & efficaci decreto voluntatis eius, quæ deficere nõ poteſt, nec impediri, ne fiant ea, quæ fieri vult, & eo modo quo vult, cognoſcit Deus certò & infallibiliter, quòd Petrus v.g. cui datum eſt donum perſeuerantiæ, piè operabitur cum illo & liberè: non autem fundari poteſt tanquam in prima radice prædicta certitudo & infallibi *Impugnatio.*

infallibilitas in libero arbitrio, neque in eius libera cooperatione futura etiam ex hypotheſi, cùm ſecundùm ſe ſit cauſſa contingens defectibilis,& fallibilis, à qua ſubinde infallibilitas deſumi non poteſt, & conſequenter neque in ſcientia media, cuius obiectum eſt cooperatio liberi arbitrij, quæ ante liberum decretum diuinæ volũtatis dicitur futura ex hypotheſi, cùm tamen ante idem decretum intelligi non poſſit,vt futura etiam ex hypotheſi.Fatemur ergo, donum perſeuerantiæ infundi cum habitudine ad futurum liberum vſum, & cooperationem voluntatis, tanquam ad effectum infallibiliter futurum iuxta abſolutum, & efficax decretum diuinæ voluntatis, & iuxta præſcientiam liberam,quæ idem decretum in ſigno rationis præſupponit,& in eo fundatur, vt ſæpe dictum eſt, quod tamen decretum auctor non vult admittere timens,ne humanam lædat libertatem,cùm tamen ab eodem decreto, tanquam à prima cauſſa pendeat intrinſecè actualis vſus humanæ libertatis, quæ non per eſſentiam, ſed per participationem libera eſt, ſicut etiam, quodlibet ens particulare eſt ens per participationem intrinſecè dependens à prima cauſſa efficiente àb ente per eſſentiam, quod eſt Deus. Et iuxta hunc modum nihil derogatur efficaciæ gratiæ præuenientis, nec libertati arbitrij, ſed potius commendatur,& infra ſuos limites continetur, ne in ſe ipſo, ſed in Domino glorietur: ac demum infallibilitas futuri conſenſus cum efficacia præuenientis gratiæ concordatur, non autem per ſcientiam mediam, vt *diſputation*, 120. *&* 121.

& 121.*de Auxiliis* oſtenſum eſt.

Quintò probatur noſtra ſententia. Nam donum perſeuerentiæ tale eſt, vt contumaci hominis voluntate amitti non poſſit, vt docet Auguſtinus *libro de dono perſeuerantiæ, capit.* 1. *&* 6. *& ſequent. & lib. de correptione, & gratia capit.*12. *& epiſtol.* 107. & Hilarius *epiſtol.ad Aug.* Ergo efficacia talis doni non pendet ex libera cooperatione arbitrij futura ex hypotheſi, etiam vt à prærequiſita conditione, ſine qua non eſſet actualiter efficax. XVII. *Auguſtin.* *Hilarius*

Ad hoc argumentum reſpondet primò idem auctor, quòd donum perſeuerantiæ non eſt integrè donatum, donec per mortem conſumetur, & tunc clarum eſt amitti non poſſe, & in hoc ſenſu loquitur Auguſtinus *lib. de dono perſeuerantiæ cap.*6. *& alibi ſæpe.* *Solutio. Suarez cap. 7. cit. n.* 24.

Quia verò in *eodem capit.* 6. docet Sanctus Auguſtinus hoc donum etiam in hac vita contumaciter amitti non poſſe, quod auctor non negat, ideo reſpondet ſecundò: Illam impotentiam amittendi perſeuerantiam eſſe compoſitam, non diuiſam, quia liberum-arbitrium re vera poteſt tali dono, vt præuenienti reſiſtere, & effectum eius impedire, non tamen faciet, quia Deus præuidit arbitrium non reſtiturum, & impoſſibile eſt, ſcientiam Dei falli, ideo ſuppoſito auxilio efficaci cũ tali præſciẽtia dato, impoſſibile eſt liberũ arbitriũ cõponere contumaciam ſuá cum tali auxilio ſub tali reſpectu, & intẽtione dato. Ita ergo loquitur S. Aug. de efficacia huius doni *in dicto c.* 11. *&* 12. *de correptione, & gratia, & in aliis præſertim in q.*2.*ad Simpl. & de ſpir.*

Digitized by Google

& litter. cap. 33. *&* 34. Vnde in hoc ſenſu diſtinguitur tàm antecedens, quàm illatio, nam antecedens, ſcilicet, hoc donum tale eſſe, vt amitti non poſſit, eſt verum in ſenſu compoſito, & in eodem ſenſu negatur ſequela, cuius probatio procedit de potentia diuiſa, non de compoſita. Idem verò antecedens intellectum etiam in ſenſu diuiſo falſum eſt, vt rectè in probatione illationis oſtenditur.

XVIII. *Impugnatio.* In hac ſolutione aliqua dicuntur, in quibus auctor conuenit nobiſcum, aliqua verò, in quibus differimus. Conuenimus autem in hoc, quòd illa impotentia amittendi donum perſeuerantiæ eſt in ſenſu compoſito, quia nimirum hæc duo ſunt ſimul incōpoſſibilia: hic homo habet donum perſeuerantiæ, & amittit illud. Nam Deus ſua gratia facit, quòd iuſtus non amittat donum perſeuerantiæ ſibi donatum, etiam ſi poſſit per libertatem arbitrij illud amittere, *Auguſt.* iuxta quod Sanctus Auguſtinus ait: *Quomodo poteſt amitti illud, per quod fit, vt non amittatur etiam quod poſſit amitti.* In hoc tamen eſt magna differentia inter nos, & illum. Quia nos cum SS. Auguſtino, & Thoma defendimus impotentiam illam amittendi donum perſeuerantiæ in ſenſu compoſito, ſeu, quod idem eſt, neceſſitatem infallibilitatis, & in ſenſu compoſito bene operandi cum efficacia doni perſeuerantiæ putamus prouenire, tanquam ex prima radice, & cauſſa ex abſoluto, & efficaci decreto voluntatis Dei mouentis efficaciter liberum arbitrium, vt perſeueret cum vera facultate, qua poſſit abſolutè, & in ſenſu diuiſo

Digitized by Google

diuiſo non perſeuerare, ſi velit: Nec vnquam aſſeruimus, nec aſſerimus id, quod auctor *cap.* 7. *allegato* nobis tribuit; quòd ſcilicet in illa ſuppoſitione, cum qua fit ſenſus compoſitus, nullo modo includimus liberum vſum arbitrij, ſed quandam cauſſam *omnino antecedentem, & phyſicè determinantem ad vnum ipſam voluntatem, non admittendo in illa vim reſiſtendi illi dono abſolutè, & ſecundùm ſe ſpectato.* In quibus verbis diminutè nimis, & abſque debitis terminis refertur noſtra ſententia: Nos enim non diximus, nec dicimus, quòd in illa ſuppoſitione non includatur liber vſus noſtri arbitrij, vel habitudo ad illum, ſed aſſerimus, quòd ille bonus vſus non poteſt eſſe, nec præcognoſci ante omne liberum decretum diuinæ voluntatis, vt futurus etiam ex hypotheſi, vt aliis in locis efficaciter probauimus. Vnde in ſuppoſitione illa decreti diuini, & auxilij efficacis præuenientis gratiæ includitur reſpectus ad liberam cooperationem arbitrij, ſicut cauſſæ mouentis ad ſuum effectum. Auctor verò vult, quòd in illa ſuppoſitione ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ ſupponatur bonus vſus liberi arbitrij, futurus ex hypotheſi, & à Deo præcognitus per ſcientiam mediam, & quòd efficacia doni perſeuerantiæ pendeat ab eodem bono vſu ſic præcognito, tanquam à conditione, ſine qua donum illud non eſſet efficax, quod tamen nos negamus: nam perſuaſum habemus per hoc multum derogari omnipotentiæ voluntatis diuinæ, & efficaciæ præuenientis gratiæ. Et illam ſcientiam mediam, ne dum neceſſariam non eſ-

Diſput. 7. de Auxiliis.

Digitized by Google

ſe, ſed neque aptam ad concordandam libertatem arbitrij cum infallibilitate diuinæ præſcientiæ, prouidentiæ, & prædeſtinationis. Nec aſſeruimus vnquam, quòd donum efficax ita prædeterminet voluntatem ad piè operandum, vt non maneat in illa vis, vel facultas reſiſtendi illi dono abſolutè, & ſecundùm ſe ſpectato. Nos enim potius docuimus oppoſitum, quod vt euidenter appareat, legat, qui voluerit *diſp. noſtram* 32. *de Auxiliis nu.*13. vbi habentur hæc verba: *Ad ſextum argumentum reſpondetur, quòd ſi auxilium efficax inhærens creatæ voluntati conſideretur ſecundùm ſuam phyſicam entitatem, præſcindendo, vel abſtrahendo à decreto Dei volentis abſolutè per illud auxilium hominem ad ſe conuertere; liberum arbitrium poteſt eidem auxilio reſiſtere, quia tunc reſiſtentia accipitur cōparatione cauſſæ particularis. Si autem conſideretur, vt eſt inſtrumentum diuinæ voluntatis intendentis hominem ad ſe conuertere, & quatenus intentionaliter in ſe continet virtutem eiuſdem voluntatis diuinæ; ſecūdùm iſtam rationem non poteſt liberum arbitrium eidem auxilio reſiſtere, ſicut non poteſt reſiſtere voluntati Dei efficaci, cuius eſt inſtrumentum.* Idem prorſus iterū dixi *diſp.*93. *de Auxiliis n.*2. & 3. vbi pluries aſſerui, liberum arbitrium poſſe reſiſtere auxilio efficaci, ſecundùm quod eſt entitas, & cauſſa quædam particularis. Item etiam illud aduerbium *omnino* additur noſtræ ſententiæ ab eius impugnatoribus, vt *diſp.*23. *de Auxiliis nu.*1. obſeruaui. Immeritò ergo arguens tribuit nobis oppoſitum, vt aliquo ficto colore poſſit noſtram ſententiam impugnare.

Sextò

Sextò probatur noſtra ſententia alia ratione, quã attigimus in *libro de Auxiliis diſp.* 105. Nam Deus per donum perſeuerantiæ tribuit iuſto fortiſſimam, inuictiſſimam, & liberrimam voluntatem perſeuerandi vſque in finem, vt docet Auguſtinus *lib. de corrept. & grat. c.* 8. & 12. cuius verba adduximus *nu.* 4. *eiuſdem quæſtionis* 105. & inter alia expendenda ſunt, quæ dicit in calce *eiuſdem cap.* 12. vbi ſic ait: *Subuentum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur, & ideo quamuis infirma, non deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur.* Quibus verbis non obſcurè docet, perſeuerantiæ donum eſſe à ſolo Deo, qui potens eſt per illud donum prædeſtinatos ſtatuere, & efficere, vt non deficiant, ſed perſeuerent, vſque in finem. Non ergo pendet efficacia eiuſdem doni ex libera cooperatione arbitrij, quamuis non ſit ſine illa. XIX.

Solutio. Reſpondet auctor, dato antecedenti, negando conſequentiam: quia vt hoc donum det voluntati ſtabilitatem fortiſſimam, ſatis eſt, quòd moueat illam, quando, & quomodo nouit Deus illi congruere; quia eo ipſo quòd tale donũ datur ex tali præſcientia, infallibile eſt, non eſſe talem voluntatem ſuperandam, licèt poſſet. Et ideo ſimul dixit Auguſtinus in verbis ibi citatis dari homini liberrimam, & inuictiſſimam voluntatem. Quomodò enim eſſet liberrima, ſi eſſet prædeterminata ad vnum? Eſt tamen liberrima, quia etiam recepto auxilio, & illo poſito, poſſit illi reſiſtere, & contrarium velle; & nihilominus eſt inuictiſſima: quia ſic mota infallibile

eſt in

Digitized by Google

eſt in præſcientia non eſſe vincendam. Quod etiam confirmat:nam Sanctus Auguſtinus non ait, quod rogante Chriſto non potuit deficere fides Petri, ſed ait, defecturam non fuiſſe. Nec dicit,quaſi aliud Petrus velle potuiſſet,ſed aliud vellet; neque ait quòd voluntas humana mota à dono perſeuerantiæ non poſſit deficere, ſed non deficiet, oſtendens non deeſſe veram, & realem poteſtatem deficiendi,vel volendi aliud, ac per conſequens efficaciam conſiſtere in infallibilitate effectus, qui deeſſe non poteſt, vbi promiſſio, & conſequenter præſcientia Dei, & ſecundùm illam congrua motio antecedit.

XX. *Impugnat.* Sed contra hác ſolutionem ſic arguitur,nam cùm inquit, quòd ex præſcientia Dei eſt infallibile voluntatem non eſſe ſuperandam,licet poſſet, vel id intelligit de ſcientia Dei libera, quæ ſequitur abſolutum,& efficax decretũ voluntatis Dei,quo voluit,& pręuoluit,vt voluntas mota auxilio efficaci non deficiat, conuenimus. Hoc enim eſt,quod intendimus.Si autem id intelligat de ſcientia media, à qua velut à prima radice vult deſumendam eſſe infallibilitatem boni vſus liberi arbitrij, & cooperationis cum eodem dono, ſicut re vera intelligit,id negatur propter rationes ſuperius factas.Et cùm obiicitur, nam voluntas noſtra non eſſet liberrima, ſi eſſet prædeterminata ad vnum, reſpondetur, quòd voluntas nõ eſt prædeterminata ad vnum ſecundùm potentiam, & facultatem intrinſecam, nam ſemper habet ſecundùm potentiam, veram facultatem ad oppoſita,quandiu eſt libera: non tamen repugnat voluntati, vel eius libertati,

Digitized by Google

bertati, quòd prædeterminetur à Deo per motionem efficacem ad vnum actum cum vera facultate, qua poſſit operari oppoſitum ſi velit, vt probaui *diſp.* 116. *de Auxiliis nu.*11. etiam in eodem inſtanti, in quo determinatur à Deo, imò & toto tempore, quo ipſa voluntas ſe determinat, & producit vnum actum, ſemper poteſt abſolutè, & in ſenſu diuiſo facere oppoſitum, ſi velit, quamuis id non poſſit in ſenſu compoſito, quia duo actus contrarij non poſſunt ſimul produci à libero arbitrio, ſed ſolùm ſucceſſiuè.

XXI. Ad illud verò, quod Auctor obſeruat in verbis Auguſtini, quòd ſcilicet non ait, voluntatem, ſeu fidem Petri non potuiſſe deficere ſed non fuiſſe defecturam, & conſequenter non eſſe admittendum, quòd habens donum perſeuerantiæ non poſſit à gratia deficere, ſed ſolùm, quòd actualiter non deficiet, reſpondetur, vtrũque eſſe verum ſi rectè intelligatur. Certiſſimum eſt enim, quòd habens donum perſeuerãtiæ, & actualiter non deficiet à gratia, & quòd non poſſit deficere in ſenſu compoſito. Hæc enim duo ſimul ſunt incompoſſibilia, iſte homo habet donum perſeuerantiæ, & idem homo peccando mortaliter deficit à gratia, quamuis abſolutè, & in ſenſu diuiſo habens donum perſeuerantiæ poſſit peccare mortaliter, & à gratia excidere; Deus enim per donum perſeuerantiæ efficit, quòd cùm poſſit ex mutabilitate arbitrij peccare mortaliter, & à gratia excidere, non peccet mortaliter, ſed perſeueret in gratia vſque in finem. Eſt exemplum manifeſtum

ſtum in prædeſtinatis: hæc enim propoſitio eſt certiſſima, & de fide: prædeſtinatus non morietur in peccato mortali, ſed in gratia. Et ſimiliter iſta eſt certiſſima, ſi intelligatur in ſenſu compoſito, videlicet, prædeſtinatus non poteſt mori in peccato mortali; quia, vt dicit Sanctus Thom. *q. 23. de verit. ar. 5. ad 3. quamuis non eſſe effectus diuinæ voluntatis, non poſſit ſimul ſtare cum diuina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum ſimul ſtat cum diuina voluntate: non enim ſunt iſta incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſaluari, & iſte damnatur.* Et idem docet *qu. 6. de veritate art. 3. ad 7.* Vtraque propoſitio colligitur manifeſtè ex *cap. 12.* Ioannis: vbi ipſa Veritas loquens de prædeſtinatis ait: *Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognoſco eas, & ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Et ſtatim ſubdit: *Et nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Vbi vtrumque enuntiatur de prædeſtinatis, videlicet, & quòd nullus rapiet de manu Chriſti, & quòd nemo poſſit rapere de manu Patris eius, vbi verbum *non poteſt* intelligitur in ſenſu compoſito: vt explicatum eſt.

XXII. Septimò probatur noſtra ſententia. Si efficacia doni perſeuerantiæ penderet ex libera cooperatione noſtræ volūtatis cum illo, ſequeretur, quòd gratia efficax in quantum efficax, eſſet pediſſequa liberæ voluntatis humanæ. Et conſequenter gratia doni perſeuerantiæ ſubiūgeretur voluntati, & obedientiæ humanæ, nec ſubiiceret ſibi voluntatem humanam, nec obſequentem faceret, quod videtur damnatum in Cōcilio ſecundo Arauſicano *Canon. 6.* Reſ

Reſpondet Auctor negando ſequelam. Nam auxilium efficax licèt detur cum habitudine ad futurum vſum liberum præuiſum, non datur ob meritum eius, nec propter illum, vt propter diſpoſitionem, ſed merè gratuitò datur, & vt ſic datum etiam eſt antecedens, & regens, ac ducens voluntatem, imò iſto modo perfectiſſimè ducit, quia congruè illam regit, & iuxta infinitam ſapientiam regentis, vt ille, qui regitur, & rectè, & indeclinabiliter ducatur ad perſeuerandum: & nihilominus etiam ipſe ſe liberè, & cum vera indifferentia moueat, & moueri ſe ſinat.

Hæc ſolutio vim argumenti non euacuat. *Impugnat.* Non enim reſpondet ad difficultatem propoſitam, nec explicat qualiter iuxta ſententiam contrariam donum perſeuerantiæ, in quantum eſt efficax, non ſubiiciatur humilitati, ac obedientiæ humanæ: nec declarat quomodo gratia efficax in quantum efficax, non ſit pediſſequa voluntatis humanæ, ſed præuia. Nec ſatis eſt reſpõdere, quòd donum perſeuerantiæ non datur propter bonum vſum liberi arbitrij præuiſum, ſed gratis omnino, & quod etiam ſic datum eſt antecedens liberam cooperationem voluntatis. Nam licet ſecundùm opinionem auctoris tale donum ſit antecedens, quatenus tribuit libero arbitrio poſſe perſeuerare, ſi velit, non tamen eſt in eius ſententia præueniens, nec antecedens, in quantum eſt actualiter efficax ad faciendum, quod noſtra voluntas liberè cooperetur. Renuit enim concedere, quòd Deus per illud donum verè efficienter, & efficaciter faciat,

ciat, quòd noſtrum arbitrium liberè cooperando cum gratia perſeueret vſque in finem. Vnde iuxta ſententiam, quam impugnamus, donum perſeuerantiæ, in quantum eſt actu efficax ſubſequitur ordine rationis ad liberam determinationem, & cooperationem humanæ voluntatis cum illo, & ſolùm præuenit, ac regit, & ducit creatam voluntatem, quatenus excitat illam, & ſuadet, ac tribuit ei poſſe perſeuerare, ſi velit, vt idem auctor videtur ſe explicare in ſolutione ſequentis argumenti.

XXIII. Octauò, & vltimò probatur noſtra ſententia. Si donum perſeuerantiæ in quantum eſt efficax, penderet ex libera cooperatione noſtri arbitrij cum illo, ſequeretur, quòd Deus, quantum eſt ex parte ſua, non daret per hoc donum prædeſtinatis actu perſeuerare, ſed ſolùm poſſe perſeuerare, ſi velint. Conſequens eſt falſum: nam aliàs donum perſeuerātiæ, quod datur prædeſtinatis per Chriſtum, non eſſet aliud, nec maius donum, aut fortius, quàm perſeuerantia in ſtatu innocentiæ Adæ collata, cuius contrarium docet expreſsè Sanctus Auguſtinus *lib. de correp. & grat. c.* 11. *&* 12.

Solutio. Ad hoc argumentum reſpondet ſimiliter negando ſequelam, & aſſignat rationem, quia dare velle, & perſeuerare nihil aliud eſt, quàm ita dare poſſe, vt infallibiliter velit, & perſeueret, & hoc modo datur hoc donum prædeſtinatis, & nihilominus abſolutè veriſſimum eſt, quòd perſeuerare pendet à libero arbitrio prædeſtinati.

XXIV. In hac ſolutione auctor manifeſtè ſuam videtur

Digitized by Google

detur explicare mentem ,quòd ſcilicet donum perſeuerantiæ,quod eſt proprium prædeſtinatorum,quantum eſt ex parte virtutis intrinſecæ eiuſdem doni,& vt prçuenit ordine rationis liberam cooperationem arbitrij,ſolùm tribuit ei poſſe perſeuerare,ſi velit. Quod autem idem auxilium actu ſortiatur rationem efficacis doni,prouenit ex eo,quòd homo ex ſua innata libertate voluit rectè vti illo auxilio cooperãdo cum illo,ita vt perſeueret vſque in finem:alius verò cum eodem auxilio perſeuerare noluit, & ita in eo donum perſeuerantiæ ſolum tribuit poſſe perſeuerare;non autem perſeuerare actu. Quæ ſententia nullo modo probanda eſt, propter rationes factas *d.*105.*de Aux.*nam aliàs vltima differentia , & diſcretio inter duos , qui præueniuntur à Deo auxilijs gratiæ omnino æqualibus,cum quibus vnus perſeuerat , quia voluit;alter non perſeuerat, quia noluit,tãdem reducenda eſſet ad innatam libertatem vtriuſque , & ad bonum , vel malum vſum illius, & non ad aliquod maius auxilium præueniens collatum prædeſtinatis, quod tamen non eſt datum reprobis.Hoc autem eſt contra illud Apoſt.1.*Cor.*4.*Quis enim te diſcernit? quid autẽ habes,quod non accepiſti? Si autem accepiſti,quid gloriaris quaſi non acceperis?* Dicendum eſt ergo ex innata quidem hominis libertate, & eius culpa prouenire,quod cum auxilijs præueniẽtis gratiæ,cum quibus poteſt perſeuerare,non perſeueret,quia cauſſa defectus gratiæ eſt ex nobis. Quòd autem cum eiſdem auxiliis præuenientis gratiæ, cum quibus poteſt perſeuerare, actu

perſeueret,non prouenit tanquã ex prima radice,& cauſſa,ex innata eius libertate, aut ex bono vſu liberi arbitrii à Deo præcognito per ſcientiam mediam;ſed ex abſoluto, & efficaci decreto voluntatis Dei per donum perſeuerantiæ facientis,vt iuſtus infallibiliter, & liberè perſeueret vſque in finem,ita nimirum, vt illa infallibilitas proueniat,tanquam ex prima radice,& cauſſa,ex gratuita Dei prædeſtinatione,& prædicto eius decreto abſoluto.

XXV. Accedit,quòd donum perſeuerantiæ,de quo loquimur,nõ datur homini,vt perſeuerare poſſit,ſed vt actualiter perſeueret vſque in finem. Etenim etiã illi,qui nõ perſeuerãt vſque in finẽ poſſunt per gratiam iuſtificãtem,& virtutes infuſas,& auxilia ſufficientia perſeuerare,ſi volũt. Vnde S.Aug.*lib.de correp. & gra.c.*11.*&* 12.docet ex profeſſo donum,quo quis actu perſeueret vſque in finẽ,cuiuſmodi eſt donum, quod datur prædeſtinatis per Chriſtum, eſſe realiter diſtinctum à dono,quo poteſt quis perſeuerare, ſi velit, quale fuit donum in ſtatu innocentiæ Adæ collatum, vt ex eius verbis adductis *diſp.* 105. *de Auxiliis* conſtat.Et cũ aſſeritur in eadẽ ſolutione,veriſſimũ eſſe,quòd perſeuerare pendet à libero arbitrio prædeſtinati, hoc poteſt dupliciter intelligi.Primò ita,vt verbũ *perſeuerare* ſignificet actus pios,quibus adultus perſeuerat vſque in finẽ,& ſic certiſſimum eſt,quod tales actus pendent à libero arbitrio excitato, & moto per donum perſeuerantiæ, vt à cauſſa ſecunda,& proxima verè efficiente, & non vt à ſola conditione,ſine qua non. Secundò poteſt accipi pro ipſo dono perſeuerantiæ, quo Deus

efficit,vt homo liberè,& infallibiliter per actus pios perſeueret vſq; in finẽ,& ſic minimè pẽdet à libera cooperatione arbitrij, etiã vt à cõditione ſine qua tale donũ efficax nõ eſſet.Per hæc facilè ſoluũtur argumẽta facta pro dicto ſeptimo.

Ad primum cõceſſa maiori, ad minorem dicitur, Deum certò præſcire voluntatem liberã creatam non reſtituram, ſed liberè cooperaturã cũ tota ſerie auxiliorum efficaciũ,quæ in dono perſeuerantiæ includũtur; id tamen nõ præſcit per ſcientiã mediã, quæ antecedit omne liberũ decretũ volũtatis diuinę,ſed per ſcientiã liberã, qua ſicut dicit Aug.*li.de dono perſ.c.* 18. *id quod prædeſtinauit,impleuit*.Nõ enim quia volũtas humana liberè cooperatura eſt cũ auxiliis efficacibus:ideo id præſcitur à Deo,ſed è cõuerſo,quia Deus ſciẽtia libera præſciuit volũtatem creatã eſſe cooperaturã liberè cũ eiſdem auxiliis;ideo certò,&infallibiliter cooperatura eſt,vt *d.*16.*de Auxi.*oſtẽſũ eſt,&ſupra *l.*1.*c.*6.*n.*20.*&*21.Similiter etiã prius in ſigno rationis quã De' decernat dare alicui donũ perſeuerãtię,de quo loquimur,ſcit per ſciẽtiã ſimplicis intelligentiæ, ſeu naturalẽ,quòd ſi ipſe voluerit per donũ perſeuerãtiæ facere,quòd quis liberè cooperetur,cũ tali dono cooperabitur liberè, & perſeuerabit vſque in finẽ.Nã per eandẽ ſcientiam cognoſcit omnipotẽtiã ſuæ diuinæ volũtatis,qua quidquid voluerit,& eo modo quo voluerit,faciet: ſicut per eandẽ ſciẽtiam cognoſcit quòd ſi voluiſſet creare aliũ mundũ,crearet illũ.Si voluiſſet liberè ad ſe cõuertere Iudam Iſcariotẽ,& facere,vt perſeueraret de facto in gratia vſque in XXVI.

 finem,

Digitized by Google

finem, Iudas de facto fuiſſet conuerſus, & perſeueraſſet. Nam veritas horum conditionatorum nõ fundatur in aliquo libero decreto, etiam conditionato actu exiſtente in Deo, ſed in omnipotentia diuinæ voluntatis, quæ naturaliter competit Deo,

XXVII. Ad ſecundum arg. reſpondetur, quòd auxilium efficax doni perſeuerantiæ dicit quidem habitudinem ad liberam cooperationem arbitrij tanquam ad effectum ſubſequutum, vt ſæpe dictum eſt; non autem tanquam ad aliquid antecedenter prærequiſitum, vel à Deo præcognitum per ſcientiam mediam, vt donum perſeuerantiæ ſit efficax. Et ad primum inconueniens, nam aliàs, qui non habet tale donum, non poſſet ſaluari, reſpõdetur, id non ſequi, nã donũ perſeuerantiæ nõ requiritur, vt poſſit homo ſaluari, ſed vt de facto ſaluetur. Vnde ex eo quòd non habeat donũ perſeuerãtiæ, nõ rectè infertur quod ſaluari nõ poſſit, quãdiu eſt in via: ſed ſolùm quod de facto nõ ſaluabitur, ſicut de quocumque alio auxilio efficaci dictũ eſt *d.*18.*de Auxiliis n.*20.*d.*23.*n.* 32. Licet enim nõ ſit primò in poteſtate hominis habere donum perſeuerantiæ, quando voluerit, ſed in poteſtate Dei donantis illud, ſicut dicitur Ioan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, &c.* Eſt tamen in eius poteſtate ſe ipſum impedire, ne ſibi donetur à Deo, ſicut de præuia motione efficaci dictum eſt *d.* 18. *allegata de Auxiliis.* Nec etiam ſequitur, quòd nullum relinquatur auxilium dans poſſe perſeuerare, ſi non tribuit actu perſeuerare: nam, vt dictum eſt, donum perſeuerantiæ non eſt neceſſarium, vt quis

Digitized by Google

quis poſſit perſeuerare, ſi velit: ſed vt de facto perſeueret. Vnde abſque dono perſeuerãtiæ efficacis datur verũ auxilium ſufficiens, quo poteſt perſeuerare ſi velit, ſicut de quocũque alio auxilio ſufficienti dictum eſt *diſp.79.de Auxiliis n.4.* Nec cõtra hoc adducitur aliqua ratio apparens.

Ad tertium argumentum reſpondetur, quòd cùm Deus per auxilium efficax doni perſeuerantiæ efficiat, quòd iuſtus liberè operetur piè, & perſeueret vſque in finem, facilè intelligitur, qualiter vſus libertatis cũ efficacia decreti diuini, & doni perſeuerãtiæ cõſiſtat, & vera facultas, qua poſſit abſolutè, & in ſenſu diuiſo diſſentire, ſi velit, & reſiſtere motioni efficaci, ſi conſideretur ſecundùm quod eſt quædã particularis entitas phyſica. Si enim cõſideretur, in quantum eſt inſtrumentum volũtatis Dei abſolutè volentis, vt voluntas quam mouet, piè operetur, & liberè, & quatenus intentionaliter continet virtutem eiuſdẽ voluntatis diuinæ, nõ poteſt ei reſiſtere, ſicut reſiſtere nõ poteſt volũtati Dei abſolutæ, & efficaci, iuxta illud Heſter 13. *Domine Deus omnipotẽs, in ditione tua cũcta sũt poſita, nec eſt, qui tuæ poſſit reſiſtere volũtati, ſi decreueris ſaluare Iſrael.* XXVIII.

Ad quartum argumentum iam patet ex dictis, quid ſentiendum ſit de ſolutionibus, quæ adhibentur argumentis factis pro noſtra ſententia. Ex quibus omnibus conſtat, controuerſiam in hac parte non eſſe de ſolo nomine, vt auctor contendit; ſed de re grauiſſima, quæ tangit nonnulla ex potiſſimis fundamentis fidei catholicæ & neceſſaria ſunt ad explicandam efficaciam diuinæ prædeſtinatio-

nis, & gratiæ, ſimulque tuendã libertatem arb. creati quæ ſub dominio Dei abſoluto eſſe debet à quo, vt à cauſſa verè efficienre, accipit non ſolùm eſſe, ſed etiam actualiter influere, & cooperari cum gratia. Vnde vt vnico verbo differentiam, quæ inter nos, & illũ circa donũ perſeuerantiæ verſatur, perſtringamus, ille ait, quòd homini cui Deus vult perſeuerantiã donare, illa præparat efficacia auxilia, quibus præſcit vſque in finem perſeueraturum. Nos autẽ dicimus, cui Deus vult perſeuerantiã donare, illa præparat efficacia auxilia, quibus Deus abſoluta, & efficaci voluntate vult, & efficit, vt actu perſeueret in gratia vſque in finem: ita nimirum, vt præſcientia perſeuerantiæ futuræ ſequatur decretum abſolutum diuinæ voluntatis, & eius cauſſalitatem, & nullo modo præueniat illud.

Differentia inter auctores vtriuſq; ſententiæ circa donum perſeuerãtiæ

Vtrum donum perſeuerantiæ à dono confirmationis in gratia realiter diſtinguatur? an verò ſint eſſentialiter idem donum ſolum accidentaliter diſtinctum.

Capvt IX.

I. IN hac parte ſunt duæ extremæ ſententiæ. Prima eſt Patris Suarez *lib.10. de conſeruatione gratiæ habitualis c.8.n.27.* vbi poſt multa, quę adduxit pro vtraque parte, concludit, quòd poſſet aliquis non improbabiliter dicere non eſſe neceſſarium nos eſſe anxios in conſtituenda differentia inter hæc dona, neque eſſe vllum inconueniens, quòd omnes prædeſtinati pro ali-

quo tempore confirmati ſint in gratia, priuſquam moriantur. Probat hanc ſententiam.

Primò. Nam Scriptura Sacra perſeuerantiam ſolet confirmationem vocare, & in illa perinde eſt à Deo perſeuerantiam, ac confirmationem poſtulare, vt patet ex illo Pauli 2. ad Theſſalonic. 2. *Ipſe autem Dominus Ieſus Chriſtus confirmet corda veſtra in omni opere, & ſermone bono.* Et Pſal. 62. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Et Pſal. 50. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui & ſpiritu principali confirma me.* Vnde Pſal. 4. ait Dauid: *Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti, & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.* Quod ſi fortaſſe Dauid fuit ſingulariter confirmatus, eo ſcilicet modo, qui Apoſtolis, vel aliis inſignioribus Sanctis tribuitur, certè non veretur idem Dauid de omnibus iuſtis abſolutè dicere: *Confirmat autem iuſtos Dominus.* Pſalm. 36. & Paul. 2. ad Theſſalonic. 3. *Fidelis autem Dominus eſt, qui confirmabit vos, & cuſtodiet à malo.* Vnde colligere poſſumus confirmare Deum hominem, illum à malo cuſtodiendo: per donum autem perſeuerantiæ illum à malo cuſtodit: Ergo confirmat illum.

2. Theſ. 2. Pſalm. 62. Pſalm. 50. Pſalm. 4. Pſalm. 36. 2. Theſ. 3.

II. Secundò idem probat. Nam S. Aug. accuratè diſſerens de donis gratiæ, nunquã diſtinxit donũ perſeuerãtiæ à dono confirmationis, ſed ſub perſeuerantia ſemper vtrumque concludit, & ita *li. de corrept. & gratia capite* 11. & 12. ſolùm diſtinguit adiutorium, quod datur homini poſſe perſeuerare, ſi velit, & adiutorium, quo datur vt velit, & perſeueret. Et hoc adiutorium dicit promiſiſſe Chriſtũ Apoſtolis, cùm fructum permanentem

promiſit & generaliter ait, Deum hoc donũ dare eis, quibus dat, vt perſeuerátiſſimè ſtent, quod omnibus prædeſtinatis conuenit, cũ tamen perſeuerátiſſimè ſtare & cõfirmari idẽ eſſe videatur.

Confirmatur, quia nihil plus tribui poteſt dono confirmationis, quàm quod ſit gratia, qua homo indeclinabiliter, & inſuperabiliter agitur in bonum: at hoc tribuit ibi Auguſt. cuicumque dono actualis perſeuerantiæ. Item in omnibus ſatis indifferenter dicit donum perſeuerandi in gratia per congruam vocationem dari, nec aliquam differentiam inter Sanctos confirmatos, & perſeuerantes in gratia in hoc conſtituit.

III. Tertiò argumentatur auctoritate Sancti Tho. Nam in 1. 2. *q.*109.*a.*10. ſub perſeuerantia concludit omne auxilium dirigens & protegens contra tentationẽ impulſus, quod tàm cõfirmationi, quàm perſeuerantiæ conuenit. Et *q.*114.*a.* 9. eodem modo loquitur, & *in ſolut. ad* 2. diſtinguit perſeuerantiam viæ, & patriæ, vnde ſicut in patria non eſt aliud perſeuerare in bono, & confirmari, ita nec in via. Et *quæſt.* 24. *de verit. articulo* 9. quæ dicit de confirmatione viatoris in bono communia ſunt omnibus perſeuerantibus in gratia, vnde ſub eodem titulo videtur vtrumque comprehendere.

Quartò argumentatur, quia idem omnino eſt effectus vtriuſque doni nempe infallibiliter non peccare mortaliter pro tali tempore vſque ad mortem. Ergo ex effectu non poſſumus colligere diſtinctionem inter illa duo dona, quæ ſunt principia talis effectus. Ergo nulla eſt ratio illa diſtinguendi. Antecedens, & prima con-

conſequentia per ſe nota videntur. Secunda conſequentia probatur, quia vtrumque ex illis donis eſt ſufficiẽs,& efficax ratio illius impeccabilitatis, quæ neceſſaria eſt, vel ad cõfirmationem in gratia, vel ad perſeuerantiã. Ergo ſuperfluum eſt fingere aliquid amplius in vno, quã in alio.

Confirmatur. Nam qui eſt confirmatus ín gratia; ſine dubio perſeuerat in illa, hoc enim quis neget? Habet ergo perſeuerantiæ donum, quia hoc donum commune eſt omnibus morientibus in gratia. Rurſus omnis, qui perſeuerat, ex definita Dei voluntate ita conſeruat gratiam pro tempore vſque ad mortem, vt indeclinabiliter bonum eligat,& peccatum caueat. Ergo ex tũc manet cõfirmatus in gratia: ſunt ergo idem: Vnde nec ex fine, vel effectu, nec ex modo, quo talia dona dãtur à Deo, poſſunt illa dona diſtingui, nam vtrumque prouenit ex efficaci decreto Dei dandi gloriam, & perſeuerantiam, ſeu confirmationẽ propter illam. Ergo nõ differunt.

Quintò: Per confirmationem in gratia nulla prorſus confertur perfectio intrinſeca ipſi gratiæ, quæ non reperiatur in gratia perſeuerante vſque in finẽ. Ergo non diſtinguuntur realiter, ſed ſolùm accidẽtaliter penes maiorẽ vel minorẽ intenſionem eiuſdẽ gratiæ. Antecedens probatur. Nam illa perfectio intrinſeca gratiæ confirmantis in bono, vel eſt perfectio habitualis, & permanens per modum actus primi in ipſis habitibus gratiæ, vel eſt perfectio actualis: neutrum dici poteſt. Ergo. Primum patet, quia talis perfectio habituum gratiæ non poteſt eſſe, niſi intenſio illorum. Quid enim aliud in illis cogi- IV.

 tari

Digitized by Google

tari poteſt? Tum etiam quia licet aliquid aliud eſſe fingatur, ſcilicet, vel perfectio indiuidualis eorūdem habituum, vel nouus habitus infuſus diſtinctus ab omnibus, qui non confirmatis tribuuntur, præterquam quod totum hoc impugnatum ſufficienter eſt; illo etiam dato, non poteſt voluntas viatoris per talem perfectionē habitualem, aut neceſſitari, aut ad bonum determinari, vt euidenter probat D. Tho. *q. 24. de verit. art. 9. & 4. cont. gent. c. 70.* Si verò illa perfectio ſit alicuius gratiæ actualis, vel illa eſt aliquis actus ſecundus perpetuò in homine manens, & illum rectificans ad non peccandum; talis autem actus perpetuus, & immutabilis in viatoribus fingi nō poteſt: vel denique illa perfectio actualis gratiæ confirmantis conſiſtit in actuali auxilio Dei congruo, & efficaci, ſalua arbitrii libertate, & hoc etiam dici non poteſt, nam etiam ad perſeuerantiam neceſſarium eſt tale auxilium. Ergo.

Secunda ſententia docet per oppoſitum extremum, quòd confirmati in gratia tali auxilio mouentur efficaciter à Deo, vt abſolutè non poſſit non habere effectum: aliis verò non confirmatis in gratia, habentibus tamē donum perſeuerantiæ talia auxilia conferuntur, quæ infallibiliter habeant effectum; quia Deus certò ſcit, talem effectum futurum, *ſi talibus incitamentis, & tali modo incitentur.* Hanc ſententiam tenet P.

P. Valentia. Valentia *tom. 2. diſp. 8. q. 3. puncto 4. §. 2. ſub titulo de gratia efficaci poſt 4. concluſionem, & to. 1. d. 1. q. 23. in prima illius parte, puncto 4. §. 7.* vbi de confirmatis in gratia docet non ſolùm eſſe præelectos,

ctos, vt ſaluentur, ſed etiam, vt neceſſariò ſaluentur, ac per cōſequēs nō poſſe peccare mortaliter, & neceſſariò perſeuerare in gratia, *ac eatenus non liberè, ſed neceſſariò ſaluari*. Eadem ſententia tribuitur Mag. Ledeſma *lib. de Auxiliis q. vnica principali, ar. 5. ad confirmationem 6. argumenti*, ſed immeritò. Licet enim aſſerat, *quòd donum confirmationis dicit aliquod donum intrinſecum ſcilicet ipſam gratiam cum quadam perfectione participata ad ſimilitudinem gratiæ conſumatæ in patria, quæ perfectio nihil alind eſt, quàm tollere à voluntate potentiam peccandi, ſaltem mortaliter, & tollere verſibilitatem arbitrii ad peccatum mortale*: non tamen dicit, quòd talis gratia abſolutè loquendo non poſſit non habere effectum, aut quòd abſolutè neceſſariò ſaluentur, qui ſunt confirmati in gratia: quin potius in *toto libro de Auxiliis* ſæpiſſime docet, quòd ex auxilio prædeterminantis gratiæ efficacis integra manet omnibus viatoribus libertas arbitrij. Nec etiam excludit à confirmatione in gratia protectionem extrinſecam ex Dei prouidentia, qua præſeruantur à peccato, ſicut nec Sanctus Thomas eam excludit, ſed potius illā præſupponit, vt patebit infra.

Tertia ſententia media eſt Sancti Thomæ *q. 24. de verit. art. 9.* quam etiam confirmaui *d. 104. de Auxiliis*, quòd ſcilicet donum perſeuerantiæ, & confirmationis in gratia ſunt duo dona gratiæ realiter inter ſe diſtincta: donum enim perſeuerātiæ eſt omnibus prædeſtinatis cōmune: Cōfirmatio autē in gratia fuit ſpeciale donū beatiſſimæ Virgini cōceſſum, dū fuit in vtero matris ſanctificata, vt *3. parte q. 27. art. 4.* docet S. Thom. V.

Thom. Et etiam fuit hoc donum conceſſum Apoſtolis in die Pentecoſtes, & aliquibus viris ſanctitatis eximiæ, ita docet expreſſe Sanctus Thomas *quæſt. 24. de veritate art. 9. in corpore*, vbi ſic ait: *Aliquis poteſt confirmari in bono dupliciter. Vno modo ſimpliciter, ita ſcilicet, quòd habeat in ſe ſufficiens ſuæ firmitatis principium, quod omnino peccare non poſſit, & ſic beati ſunt confirmati in bono ratione prius dicta. Alio modo dicuntur aliqui confirmati in bono per hoc, quod eis datur aliquod munus gratiæ, quo ita inclinantur in bonum, quod non de facili poſſunt à bono deflecti: non tamen per hoc ita retrahuntur à malo, quin omnino peccare non poſſint, niſi diuina prouidentia cuſtodiente, ſicut dicitur de immortalitate Adæ, qui ponitur immortalis, non quòd omnino aliquo ſibi intrinſeco protegi poſſet ab omni exteriori mortifero, vtpote ab inciſione gladii, & aliis huiuſmodi: à quibus tamen diuina prouidentia conſeruabatur, & hoc modo aliqui in ſtatu viæ poſſunt confirmari in bono, & non primo.* Hoc autem donum non eſt omnibus prædeſtinatis commune, ſed ſpeciale quorundam Sanctorum, vt dictum eſt. Nec poteſt de mente Sancti Thomæ dubitari, vt conſtat ex illo exemplo, quod adducit immortalitatis Adæ in ſtatu innocentiæ, ad cuius ſimilitudinem explicat donum confirmationis in gratia, quo aliquis in via efficitur, quodammodo impeccabilis. Sicut enim in illo ſtatu Adam erat immortalis partim ab intrinſeco, propter vigorem naturæ, quia vt dicit S. Thom. 1. *p. q.* 97. *art.* 1. *in corpore* ex Auguſtino *lib. de quæſtionibus noui, & veteris teſtamenti q.* 19. *inerat animis Adæ in ſtatu innocentiæ vis quædam ſuper-*

ſupernaturalıter diuinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione perſeuerari, quandiu ipſa Deo ſubiecta manſiſſet. Partim verò ab extrinſeco propter diuinam prouidentiam, quia ab omni exteriori mortifero præſeruabatur, vt ab inciſione gladij, & alijs extrinſecis, quæ poterant eidem mortem inferre; cui etiam per lignum vitæ & eſum illius ſubuentum fuiſſet, ſi in ſtatu illo fœliciſſimo permanſiſſet. Manifeſtum eſt autem non omnes prædeſtinatos fuiſſe, nec eſſe hoc modo ante mortem in gratia confirmatos, ſed paucos, ex quibus beatiſſima Virgo inter puras creaturas primum obtinet locum, cui per donum confirmationis in gratia datum eſt, vt ab omni peccato actuali, etiam veniali eſſet immunis. Deinde Apoſtoli, *qui*, vt Paulus ait: *Primitias Spiritus habuerunt*, & alij pauci viri Sanctiſſimi, quibus ſimile donum datum fuiſſe in hac vita piè credendum eſt.

VI. Locus etiam Sancti Thomæ à me adductus ex 1. *parte. q.* 100. *art.* 2. *ad* 1. euidenter oſtendit mentem eius eſſe, quòd non omnes, qui perſeuerant in gratia, vſque ad finem, ſint in gratia ante mortem confirmati, & loquitur expreſſe de confirmatione, quæ aliquibus datur in via ex priuilegio ſpeciali, quale fuit conceſſum Beatiſſimæ Virgini, vt patet ex corpore articuli. Et cùm obijcitur, nam Sanctus Thomas ait in corpore eiuſdem articuli, ex hoc naturam rationalem in bono confirmari, quòd efficitur beata, loquitur expreſſe de confirmatione ſecundùm legem ordinariam; ſtatim enim ſubdit: *Et hoc dico ſecundùm legem communem.*

Quia

Quia ex aliquo priuilegio ſpeciali ſecus accidere poteſt, ſicut creditur de Virgine Matre Dei. Vnde cùm in ſolutione ad primum docet, *quòd ſi Adam non peccaſſet, & eius filij, gehennæ filij non fierent per peccatum, hoc non eſſet per hoc, quia eſſent in iuſtitia confirmati, ſed propter diuinam prouidentiam, per quam à peccato conſeruarentur immunes:* intendit excludere à prædictis Adæ filiis, non ſolùm confirmationem in gratia, quæ eſt totaliter ab in-
VII. trinſeco, qualis eſt in beatis: ſed etiam illam, quæ partim eſt ab intrinſeco, partim ab extrinſeco, qualis fuit confirmatio in gratia beatiſſimæ virgini collata, & Apoſtolis, dum erant in via: ſentit ergo, quòd in caſu poſito filij Adæ perſeueraſſent vſque in finem abſque vllo prorſus dono confirmationis in gratia.

Vnde reputo magnum inconueniens concedere, quòd omnes prædeſtinati ſint pro aliquo tempore confirmati in gratia, priuſquàm moriantur; hoc enim in nulla probabili ratione fundatur, nec innititur auctoritate alicuius Doctoris ex antiquioribus, nec eſt aſſignabile tempus in quo vnuſquiſque prædeſtinatus confirmetur in gratia priuſquam moriatur, præſertim cùm plurimi ex illis poſt acceptam gratiam iuſtificantem, in qua perſeuerant vſque in finem, paruo tempore conſeruentur in vita Deo ita diſponente, ne malitia mutet intellectum eorum, ſicut contingit illis, qui virtute Sacramenti iuſtificantur ex opere operato, & ex attritis fiunt contriti, & poſt paucos dies decedũt in gratia. Dicere autem, quòd omnes iſti cõfirmentur in gratia prius quàm moriantur, res noua

noua videtur, & improbabilis. Qualiter autem viatores confirmati in gratia, ſint quodammodo impeccabiles, partim ab intrinſeco ex perfectione gratiæ, partim ab extrinſeco ex prouidentia Dei ſpeciali, & eius protectione, & directione, explicatum eſt *diſput.* 104. *de Auxiliis*, & patebit amplius ex ſolutionibus argumentorum: Et hæc de prima ſententia.

Circa ſecundam ſententiam aduertimus, quòd ſi intelligat confirmatos in gratia, non liberè, ſed neceſſariò ſaluari: ita nimirum, vt ex neceſſitate abſoluta abſque vſu libertatis ſeruent diuina mandata, & pias operationes efficiant, hoc nullatenus eſt admittendum: id enim eſſet incidere in opinionem, quam tenet Alexander Alenſis 3. *p. quæſt.* 9. Almainus *in* 3. *diſtin.* 12. *qu.* 2. qui aſſerunt, confirmatos in gratia non habere libertatem ad mandata diuina implenda, quam ſententiam efficaciter impugnat Magiſter Medina 3. *p. qu.* 27. *art.* 4. *circa medium.* Aliàs confirmati in gratia non mererentur implendo præcepta; meritum enim abſque vſu libertatis non poteſt conſiſtere: ac per conſequens ex priuilegio confirmationis magnum detrimentum proueniret homini. Nec poteſt dici, quòd libertas arbitrij ſit neceſſaria ad meritum de lège ordinaria, ſed ex priuilegio confirmationis poteſt eſſe meritum in viatoribus abſque vſu libertatis: hoc enim nullà auctoritate, nullà probabili ratione fundatur. Si verò intelligat, cõfirmatos in gratia eatenus non liberè, ſed neceſſariò ſaluari, quia neceſſitãtur abſolutè VIII.

ad

ad non peccandum manente vſu libertatis circa pias operationes, quas ita eliciunt, vt abſolutè, & in ſenſu diuiſo poſſint eas non elicere, ſi velint; hoc non derogat perfectæ libertati, & multò minùs poteſt merito derogare. Nam poſſe peccare non eſt de intrinſeca ratione libertatis, vel meriti, ſed eius defectus, ſecundùm quod reperitur in natura creata: quæ ideò ex natura ſua defectibilis eſt, & peccabilis, quia ex nihilo facta eſt, vt docet Sanctus Auguſtinus *libro 2. de vitiis, & concupiſcentiis cap.* 28. *& lib.* 2. *de Ciu. Dei cap.* 1. Sanctus Thomas in 2. *diſtinctione* 34. *quæſt.* 1. *articulo* 3. *ad quartum*, & alij plures Sancti Doctores allegati *diſputatione* 11. *de Auxiliis num.* 2. Et præterea probatur. Nam in Deo eſt perfectiſſimè liberum arbitrium, vt 1. *parte, quæſt.* 19. *articulo* 10. docet Sanctus Thomas, cùm tamen Deus peccare non poſſit. Similiter etiam Chriſtus in quantum homo habet liberum arbitrium, & nihilominus, etiam dum erat viator, peccare non poterat: cùm hoc tamen meritum eius fuit perfectiſſimum; Ergo poſſe peccare, non eſt de intrinſeca ratione libertatis, vel meriti. Videantur circa iſtam ſolutionem, quæ *diſp.* 116. *de Auxiliis* præſertim *nu.* 12. notaui. Ibi enim oſtenſum eſt, Chriſtum Dominum meruiſſe per actum formalem obedientiæ, quo præceptum moriendi ſibi impoſitum à Patre adimpleuit, licèt inobedire priuatiuè non potuerit, nam abſolutè loquendo poterat mori, & non mori, ſi voluiſſet. Non enim ex neceſſitate abſoluta, ſed ſua libera voluntate mortuus eſt.

Auguſt.

S. Thom.

Auctor

Digitized by Google

Auctor verò ſecundæ ſententiæ, quantum ex eius verbis colligi poteſt, videtur ſentire, cõfirmatos in gratia ex neceſſitate abſoluta, & abſque vſu libertatis implere præcepta. Nam conſtituit differentiam inter illos, & reliquos prædeſtinatos, quòd illi ita mouentur à Deo tali motione efficaci, vt abſolutè non poſſit non habere effectum: alij verò tali motione efficaci mouentur, quæ infallibiliter habet effectum, quia Deus certò ſcit futurum, vt homines conuertantur liberè, *ſi talibus* incitamentis, & tali modo ad conuerſionem inuitentur. Ex quibus apparet, ipſum in hoc conſtituere differentiam inter confirmatos in gratia: & alios prædeſtinatos habentes donum perſeuerantiæ, quòd confirmati in gratia mouentur à Deo auxilio ex ſe efficaci dependenter à libera cooperatione arbitrii à Deo præcognita; & ideo non liberè moueri: alij verò prædeſtinati mouentur à Deo motione efficaci, quæ infallibiliter habeat effectum, quia Deus certò ſcit liberum arbitrium cooperaturum. Nos autem hanc diſtinctionem auxilij efficacis non admittimus: pluries enim dictum eſt, & oſtenſum, nullum auxilium efficax præuenientis gratiæ pendere in ſua efficacia ex libera cooperatione noſtri arbitrij cum illo à Deo præcognita per ſcientiam mediam, nec talem ſcientiam præſupponere; ſed potius totam efficaciam participare à ſolo Deo, atque ex abſoluto decreto voluntatis eius, quo nulla præſuppoſita ſcientia media voluit, vt noſtrum arbitrium tali auxilio excitatum, & motum liberè, & infallibiliter piè operetur. Qualiter au-

tem cum huiuſmodi decreto Dei abſoluto, & efficacia auxilij præuenientis gratiæ integra maneat, & illæſa creati arbitrij libertas, in *libro de Auxiliis diſp.18.num.23. & diſput.22. num.39. & diſput.25.per totam* oſtenſum eſt, & in *hoc eodem libro cap.1. numero 31.* Quo fit, vt differentia inter gratiam confirmantem, & donum perſeuerantiæ fundati non poſſit in prædicta diſtinctione duplicis vocationis efficacis,ſed neceſſariò deſumenda eſt ex aliis capitibus ſuperius à nobis explicatis.

XI. Ad Primum argumentum ex factis à principio,reſpondetur ex illis locis Scripturæ non colligi perſeuerantiam vſque in finem eſſe idem donum cum dono illo ſpecialiſſimo confirmationis in gratia, quod beatiſſimæ Virgini, & Apoſtolis, atque aliquibus viris ſanctiſſimis conceſſum eſt.Et ad locum Pauli, & *Pſ.62.& 50.* dicitur, orationes illas fieri nomine Eccleſiæ vniuerſalis, in qua piè credendum eſt ſemper fuiſſe,& eſſe ſucceſſiuè aliquos viros ſanctitatis eximiæ,quibus Deus miſericorditer cōcedit donū illud ſpecialiſſimū confirmationis in gratia, & ideo illud petit à Deo. Ex hoc tamen non ſequitur, quòd Deus tale donum concedat omnibus prædeſtinatis antequam moriantur: aliàs enim ſequeretur, quòd donum perſeuerantiæ vſque in finem ſit commune omnibus iuſtis, nam etiam Eccleſia illud petit pro omnibus in oratione Dominica. Vbi etiam multa alia petūtur, quæ non omnes obtinent. Vel poteſt dici, quòd illis in locis accipitur confirmatio largo modo pro quacumque ſtabilitate in fide,vel alio

opere

Digitized by Google

opere bono, ad quam etiam confertur ſacramentum confirmationis, quo baptizati in fide ſolidantur: non autem accipitur pro ſpecialiſſimo dono confirmationis in gratia, de quo loquimur. Locus autem *Pſalm.* 4. intelligitur de Chriſto Domino in cuius perſona loquebatur ibi Pſalmiſta, vt explicant plerique Sancti Patres. Denique ad locum *Pſal.* 36. *&* 2. *ad Theſſalonicenſes* 3. reſpondetur per ea, quæ dicta ſunt ad alia priora teſtimonia Scripturæ.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd ſanctus Auguſtinus multis in locis mentionem facit de ſpecialiſſimo dono confirmationis in gratia Apoſtolis collato in die Pentecoſtes, ſed præſertim *tomo* 8. *ſuper Pſalmum* 74. in illa verba, *Tu confirmaſti columnas eius*; quæ de Apoſtolis dicit eſſe intelligenda. Quia verò inter ipſum, & Pelagianos non fuit orta ſpecialis controuerſia circa donum ſpecialiſſimum confirmationis in gratia, ſed ſolùm circa donum perſeuerantiæ, & circa alia auxilia præuenientis gratiæ, quibus indiget homo ad piè operandum, & perſeuerandum vſque in finem: ideo non mirum, quod in diſputationibus cum Pelagianis, & eorum reliquiis nullam fecerit mentionem ſpecialiſſimi doni confirmationis in gratia, nec illud diſtinxerit à dono perſeuerantiæ omnibus, & ſolis prædeſtinatis communi. Et cùm obiicitur, nam perſeuerantiſſimè ſtare omnibus prædeſtinatis conuenit. Ergo, & confirmari: nam idem ſunt. Reſpondetur, quòd dupliciter poteſt quis perſeuerantiſſimè ſtare, & inuictiſſimè, vel inſuperabiliter. Primo modo, XII.

partim ab intrinſeco ex perfectione gratiæ, partim ab extrinſeco ex diuina prouidentia, & cuſtodia, vt dictum eſt, & hoc non eſt commune omnibus prædeſtinatis, ſed ſingulare priuilegium paucorum. Secundo modo ab extrinſeco propter diuinam cuſtodiam, & prouidentiam conſeruantem prædeſtinatum in bono vſque ad finem vitæ, abſque ſpeciali perfectione intrinſeca ipſius gratiæ, & hoc eſt commune omnibus aliis prædeſtinatis. In quo autem conſiſtat hæc maior perfectio gratiæ confirmantis, dicetur infra: Et per hæc patet ſolutio ad confirmationem. Addo per congruam vocationem non intelligere Sanctum Auguſt. vocationem, quæ ſit congrua, & habitura infallibiliter effectum congruitate pendente à ſcientia media, vt talem ſcientiam præſupponente, aut ex tali diſpoſitione, aut proprietate liberi arbitrij: ſed prouenienꝭte ex abſoluto, & efficaci decreto Dei volentis per talem vocationem, & motionem efficacem efficere, vt liberum arbitrium ſic excitatum, & motum liberè, & infallibiliter piè operetur, vt ſupra oſtenſum eſt.

XIII. Ad tertium argumentum reſpondetur, ſatis conſtare ex locis inductis de mente S. Thomæ, nam clariſſimè conſtituit differentiam inter donum perſeuerantiæ, quod eſt commune omnibus prædeſtinatis, & donum confirmationis in gratia, quod eſt ſingulare priuilegium paucorum; neque in locis inductis dicit, ſed neque inſinuat contrarium: Etenim 1.2.q.109. docet quidem auxilium diuinum dirigens, & protegens contra tentationum impulſus, eſſe neceſſarium

ceſſarium ad piè operandum,& perſeuerandum in gratia, vſque in finem, vt patet *art.9. & 10. eiuſdem quaſtionis*;ſed gratia confirmans eſt alterius rationis ab ea, quæ ſolùm tribuit perſeuerare vſque in finem, vt in aliis locis ſupra inductis docet expreſsè Sanctus Doctor. In *quaſtione autem* 114. *artic.* 9. accipit perſeuerantiam patriæ pro confirmatione in gratia conſumata, nam illa perſeuerantia eſt totaliter ab intrinſeco ex perfectione gratiæ conſumatæ, & viſionis beatificæ, per quam expletur tota capacitas voluntatis creatæ,& ideo in patria non eſt aſſignabile donum perſeuerantiæ à perfecta confirmatione in gratia diſtinctum, ſed gratia confirmans altiori, & eminentiori modo perſeuerantiam includit. Cæterùm in via, confirmatio in gratia, partim eſt ab intrinſeco propter perfectionem gratiæ confirmantis in bono, partim ab extrinſeco, vt dictum eſt: Et ideo eſt ſpeciale donum à dono perſeuerantiæ diſtinctum, quod ab extrinſeco ſtare facit prædeſtinatum in bono vſque ad finem abſque eo, quod ponat aliquam ſpecialem perfectionem intrinſecam in ipſa gratia. In *quaſtione autem* 24. *de veritate articul.*9. expreſsè docet noſtram ſententiam, vt patet ex verbis illius ſupra inductis. Vnde contra eius mentem expreſſam allegatur pro contraria ſententia.

Ad quartum argumentum negatur antecedens: iam enim oſtenſum eſt, qualiter impeccabilitas ſecundùm quid proueniens ex dono confirmationis in gratia ſit diſtincta, & multo altior ab ea, quæ ſolùm prouenit à dono perſe- XIV.

uerantiæ omnibus prædeſtinatis communi.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd donum confirmationis in gratia includit eminentiori modo perſeuerantiam vſque in finem. Sicut anima rationalis continet eminentiori modo animam ſenſitiuam, & vegetatiuam, & tamen realiter diſtinguitur ab anima, quæ ſolum tribuit ſenſitiuum eſſe, aut vegetatiuum: Proportionabiliter dicimus de dono confirmationis in gratia, quod eminentiori modo continet perſeuerantiam vſque in finem, & nihilominus eſt donum realiter diſtinctum ab eo, quod ſolum tribuit perſeuerare in bono vſque in finem abſque eo, quod tribuat illi confirmationem in gratia. Et quamuis vtrumque donum proueniat ex efficaci decreto Dei dandi gloriam: media tamen, per quæ confirmati in gratia ad illam gloriam perueniunt, habent aliquam perfectionem diuerſæ rationis, quam non habent media, quæ conceduntur aliis prædeſtinatis.

XV. Ad quintum argumentum negatur antecedens. Ad probationem dicitur quòd perfectio intrinſeca gratiæ confirmantis attenditur ſecundùm quandam participationem gratiæ conſumatæ, & charitatis patriæ. Vnde partim procedit ex perfectione ipſius gratiæ habitualis, & virtutum infuſarum, partim ex aſſidua contemplatione, & feruore charitatis: quæ, licet in hac vita non poſſit eſſe continua, & ſemper in actu ſecundo; aſſiduè tamen in Deum fertur, quantum patitur neceſſitas corporis. Ita docet expreſsè Sanctus Thom. *qu. 24. de veritat. art. 9. in*

cor

Digitized by Google

corpore. vbi ſic ait; *Per gratiã viæ ita poteſt homo bono aſtringi, quod non niſi valde de difficili peccare poſſit per hoc, quod ex virtutibus infuſis inferiores vires refrenantur, & voluntas in Deum fortiùs inclinatur, & ratio perficitur in contemplatione veritatis diuinæ, cuius continuatio ex feruore amoris proueniens hominem retrahit à peccato: ſed totum, quod deficit ad confirmationem, completur per cuſtodiam diuinæ prouidentiæ in illis, qui confirmati dicuntur, vt ſcilicet quandocunque occaſio peccati ſe ingerit, eorum mens diuinitus excitetur ad reſiſtendum.* Et quamuis voluntas viatoris non poſſit per ſolum habitum efficaciter ad bonum determinari, per auxilia tamen efficacia præuenientis gratiæ, quæ Deus ſtatuit confirmatis in gratia conferre, ne peccent ſaltem mortaliter; determinatur ad bonum, nec permittuntur mortaliter peccare. Inſuper & per habitus infuſos ita firmantur in bono, vt non, niſi cum magna difficultate poſſint peccare. Quod enim eſt valdè difficile, dicitur quodam modo impoſſibile. Poteſt hæc ſolutio illuſtrari exemplo deſumpto ab illis, qui in peccato ſunt indurati. Licet enim quandiu ſunt in via, abſolutè, & ſimpliciter poſſint per veram pœnitentiam ad Deum conuerti, & reſipiſcere: hoc tamen eſt adeò difficile, vt reputetur impoſſibile, iuxta illud Apoſtoli Hebr. 6. *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtauerunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutéſque ſaculi venturi, & prolapſi ſunt rurſus renouari ad pœnitentiam rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes.* Et hic modus

loquendi eſt ſatis frequens in ſcriptura, ſicut Geneſis 37. *Oderant eum*, ſcilicet Ioſeph, fratres eius, *nec poterant ei quidquam pacificè loqui*. Et Iere-miæ 6. *Et ecce incircumciſæ aures eorum, & audire non poſſunt*: Et Ioannis 12. *Non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, excæcatum cor populi huius*. Vbi verbũ *non poterant* vel impoſſibile accipitur pro eo, quod eſt *valde difficile*, vel *non poterant*; idem ſignificat, quod *non volebant*, vt explicat Sanctus Chryſoſtomus *homilia* 67. *ſuper Geneſim*. Si ergo longa conſuetudine peccandi ad tantam obſtinationem perueniunt peccatores, vt ſit eis impoſſibile, hoc eſt, valdè difficile, à peccato deſiſtere & ad viam ſalutis redire; cur non poterunt aliqui prælecti longa exercitatione virtutum ex Dei ſpecialiſſimo dono, & priuilegio ita confirmari in gratia, & in vita ſpirituali perfici; ac tot Dei præſidiis protegi, ac muniri; vt ſit eis impoſſibile, hoc eſt, valde difficile, viam ſalutis per mortale peccatum deſerere? Hæc autem omnia non competunt omnibus habentibus donum perſeuerantiæ, vt ex prædictis conſtat. Relinquitur ergo donum confirmationis in gratia non eſſe commune omnibus, qui perſeuerant in bono vſque in finem.

Gen. 37.

Chryſ.

* * *

Quid

Quid per inſpirationem, infuſionem, & operationem intelligant Concilia, & Patres, cùm docent, pias operationes fieri in nobis per inſpirationem, infuſionem, vel operationem ſpiritus ſancti.

CAPVT X.

VLTIMO loco explicandi ſunt pro compleméto huius libri quidam modi loquendi, qui paſſim reperiuntur in Sacris Conciliis, & Patribus, præſertim Auguſtino, & Thoma, imò & in ſacris locis inferius allegandis. I.

Quidam Auctor affirmat, clarum eſſe per *inſpirationem*, Auguſtinum nihil aliud intelligere, quàm id, quod *libr. de Eccleſiaſticis dogmatibus* vocauerat *admonitionem*, & *inuitationem*, quæ non ſolùm continet cognitionem: ſed etiam affectionem voluntatis. Addit, quod ab Auguſtino non requiritur aliud, quàm admonitio, & inuitatio, vt in noſtra ſit poteſtate conſentire, nec aliud agnoſcitur initium ſalutis, aut gratia operans, quàm vocatio, qua inuitamur ad ſalutem. Eodem modo, ait Concilium Tridentin. & alia Concilia, quæ vtuntur nomine inſpirationis, infuſionis, vel operationis præuenientis eſſe intelligenda. Probat ſuam ſententiam.

Leſſius ll. de grat. efficaci c. 8. n. 13. & c. 19. nu. 14.

Primò ex verbis illis Aug. *cap. 21. citato de dogmatibus*

matibus Eccleſiaſticis: Manet itaque ad quærendum ſalutem arbitrij libertas, id eſt, rationalis voluntas; ſed admonente prius Deo, & inuitante ad ſalutem, vt vel intelligat, vel ſequatur, vel agat occaſione ſalutis, hoc eſt, inſpiratione Dei. Ecce ex parte gratiæ præuenientis, quæ eſt initium ſalutis, ſolùm requirit Auguſt. admonitionem, & inuitationem, qua inuitamur ad ſalutem, & hanc dicit eſſe Dei inſpirationem.

II. *Proſper. Leſſius vbi ſupra n. 15.* Secundò id probat ex Proſpero *lib. 2. de vocatione gentium cap. 26.* dicente: *Gratia quidem Dei in omnibus iuſtificationibus principaliter præeminet ſuadendo exhortationibus, mouendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, córque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo; ſed etiam voluntas hominis ſubiungitur ei, atque coniungitur, qua ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, vt diuino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium. De ſua habens mutabilitate, ſi deficit: de gratiæ opitulatione, ſi proficit.* Vbi à S. Proſpero gratia præparans voluntatem, & perducẽs ad iuſtificationem conſtituitur in ſuaſionibus, illuminationibus, incitationibus, inſpirationibus, & affectionibus fidei, & Iuſtitiæ voluntati immiſſis, quæ nihil aliud ſunt, quàm vocatio; quam ſubſequitur noſtra voluntas, id eſt, noſtræ voluntatis conatus, vt eis cooperetur, ſicut terra cooperatur ſemine ſuſcepto. Ergo inſpiratio idem ſignificat, quod admonitio, incitatio, ſeu ſuaſio.

III. Tertiò idem probat; nam imaginari Inſpirationem eſſe quandam peculiarem actionẽ, qua

Deus creet,& infundat nobis conſenſum, ſicut per inſpirationem creauit, & infudit ſpiritum vitæ Adam (vt volunt Auctores contrariæ ſententiæ) videtur fictitium, & abſque vlla ratione, vel auctoritate aſſertum: non enim tunc eſſet noſtræ poteſtatis inſpirationi acquieſcere,vel refragari, cuius contrarium eum docet Auguſtinus, & Conc.Tridentinum.

Quartò. Si volitio, qua volumus purgari, infunditur à Deo, ſequitur non eſſe vllo modo in noſtra poteſtate, vt illa volitio ſit in nobis, vel non ſit: quidquid enim à Deo infunditur ante noſtrum conſenſum nullo modo eſt in noſtra poteſtate.

Cõfirmatur. Operatio Dei præuenit noſtram libertatem, neque pendet ab ea, vt ſit, vel non ſit: Ergo etiam id quod infunditur actione,ſcilicet terminus intrinſecus,& eſſentialis eiuſdem operationis, hoc eſt, noſtrum velle non erit in noſtra poteſtate.

Confirmatur ſecundò. Si Deus infundit volitionem prius natura, quàm voluntas conſentiat. Ergo voluntas pro eo inſtanti ſe habet merè paſſiuè; conſequens eſt contra Concilium Tridentinum: Ergo nomine *inſpirationis* non poteſt intelligi Dei operatio præueniens, qua infundit nobis ipſum velle, ſed ſola admonitio, & inuitatio.

Pro explicatione huius difficultatis notandum, quòd ſicut auxilium præuenientis gratiæ diſtinguitur in auxilium ſufficiens, quo homo poteſt piè operari ſi velit, & auxilium efficax, quo Deus efficit, vt velit, ſicut ex dictis *diſp.*71. *Nota.*

86.*de*

Inſpiratio Spiritus Sācti duplex. 86. *de Auxiliis* conſtat: Ita etiam inſpiratio Spiritus ſancti, & vocatio diſtinguenda eſt in vocationem, ſeu inſpirationem ſufficientem, quam Auguſtinus appellat vocationem non ſecundùm propoſitum, & in vocationem ſeu inſpirationem efficacem, quam idem Aug. appellat ſecundùm propoſitum, non hominis, ſed Dei; Quam diſtinctionem expreſsè conſtituit *lib. de prædeſtinatione ſanctorum cap.* 16. cùm ait: *Vocat enim Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, vt eos faciat membra prædeſtinati vnici filij ſui, non ea vocatione qua vocati ſunt, qui noluerunt venire ad nuptias;* *Luc. 14.* *illa quippe vocatione, & Iudæi vocati ſunt, quibus Chriſtus crucifixus ſtultitia eſt; ſed ea vocatione prædeſtinatos vocat, quam diſtinxit Apoſtolus dicens, ipſis vocatis Iudæis, & Græcis prædicare ſe Chriſtum* *Rom. 8.* *Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Sic enim ait: Ipſis autem vocatis Iudæis, & Græcis prædicare ſe Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam, vt illos oſtenderet non vocatos, ſciens eſſe quandam certam vocationem eorum, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui.* *Rom. 9.* *Quam vocationem ſignificans ait: Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei; quia maior ſeruiet minori. Nunquid dixit, non ex operibus, ſed ex credente? Prorſus etiam hoc abſtulit homini, vt totum daret Deo. Dixit ergo, ſed ex vocante non quacumque vocatione, ſed qua vocatione fit credens.*

IV. *Infunditur tripliciter aliquid nobis à Deo.* Secundò notandum, quòd tripliciter poteſt dici, infundi nobis aliquid à Deo. Primò ſine nobis aliquo modo concurrentibus efficienter, vel diſpoſitiuè, vt nobis infundatur. Sic infunditur

ditur paruulis à ſolo Deo in baptiſmo habitus gratiæ, & charitatis, ad quem paruulus non concurrit etiam diſpoſitiuè per actum liberi arbitrij, quia nullum habet vſum libertatis. Secundò, quando id, quod infunditur, fit in nobis efficienter à ſolo Deo, non tamen ſine nobis cum auxilio diuinæ gratiæ per actum liberi arbitrij nos diſponentibus, vt infundatur nobis. Hoc modo infunditur adultis habitus gratiæ, & charitatis: quia licet ſit efficienter à ſolo Deo, ſecundùm illud Pſal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus:* tamen homo per actum pœnitentiæ, & charitatis concurrit diſpoſitiuè, vt gratia, & charitas illi infundatur, de qua dicit Apoſtolus: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Tertiò poteſt dici aliquid infundi à Deo in nobis, quia fit in nobis; non tamen ſine nobis efficienter concurrentibus, & cooperantibus ad id, quod infunditur, vel per actum indeliberatum, ſicut contingit in illuſtratione intellectus, & affectione repentina voluntatis in motibus primò primis gratiæ excitantis, & in hoc ſenſu verè affirmari poteſt actum pœnitentiæ, & charitatis infundi nobis à Deo, & fieri in nobis per infuſionem, & operationem ſpiritus ſancti: non tamen ſine nobis liberè conſentientibus, & cooperantibus.

Pſal. 83.

Rom. 5.

Probatur hoc ex Concilio Arauſicano *Canon. 6.* vbi dicitur: *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, & pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri, non autem diuinitus, vt credamus, velimus, vel hac omnia, ſicut oportet, agere valeamus*

Actus pij qualiter infunduntur nobis à Spiritu ſancto Conc. Arau.

valeamus per infuſionem & inſpirationem ſancti ſpiritus in nobis fieri confitetur, aut humilitatis, aut obedientiæ humanæ ſubiungit gratiæ adiutorium, nec vt obedientes, & humiles ſimus ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes, quod non accepiſti? & gratia Dei ſum, id quod ſum. Idem definit *Canon.* 4. cuius verba ſunt: *Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem, vt etiam purgari velimus per ſancti ſpiritus infuſionem, & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit ipſi ſpiritui ſancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino, & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: Deus eſt, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.*

Reſpondent quidam, quòd non dicit Concilium volitionem, qua volumus purgari, infundi à Deo (& ſi diceret opus eſſet benigna interpretatione, quia impiè diceretur) neque id verba præ ſe ferũt. Sed dicit, per infuſionem, & operationẽ Spiritus ſancti fieri, vt velimus, id eſt, per donum & auxilium præueniens, quod Spiritus ſanctus infundit nobis, fit, vt velimus. Per hoc enim donum operatur in nobis velle, quatenus per hoc donum, ita voluntatem allicit, vt conſentiat.

V. Hæc tamen ſolutio non videtur ſatisfacere verbis Concilij. Primò, nam illa differentia, quæ aſſignatur inter hoc, quod eſt volitionem, qua volumus purgari, infundi nobis à Spiritu ſancto, & fieri per Spiritus ſancti infuſionem, eſt omnino voluntaria; hæc enim duo idem in re ſignificant, & ex vno infertur aliud. Sicut enim idem

idem eſt dicere animam fieri per creationem à Deo, & dicere animam creari à Deo, quia non poteſt eſſe, vt anima fiat per creationem, & tamen non creetur à Deo: Ita idem prorſus ſignificatur in re, ſiue dicamus volitionem fieri in nobis per infuſionem Spiritus ſancti, ſiue aſſeramus eãdem volitionem infundi nobis à Deo. Et confirmatur hoc; nam Sanctus Thomas, qui inter omnes Doctores magna verborum proprietate in explicandis rebus Theologicis vſus eſt, expreſsè fatetur, actum dilectionis infundi nobis à Deo, vt patet *1.p.qu.21.art.4. ad 1.* vbi ſic ait: *In iuſtificatione impij apparet iuſtitia, dum culpas relaxat propter dilectionem, quam tamen ipſe miſericorditer infundit, ſicut de Magdalena legitur Lucæ capit. 7. dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Vbi apertè loquitur de actu charitatis, & ait, infundi miſericorditer à Deo, quamuis non infundatur nobis; ſine nobis liberè cooperantibus. *S.Thom.* *Luc.7.*

VI. Eadem phraſi loquendi vtitur Sanctus Doctor pluribus in locis: ſed præſertim in *2.ſententiarum diſtinctione 37.quæſtion.2.art.2.* vbi ait, *quòd Deus influit agenti eſſe, poſſe, & agere, & quicquid perfectionis eſt in agente.* Et in ſolutione ad 3. ſubdit, *quòd Deus dicitur cauſſa bonarũ operationum, non ſolùm quantum ad eſſentiam actus, ſed etiam quantum ad perfectionem, ſecundùm quam bonæ dicuntur: vtrumque enim agenti influit, & vt agat, & vt bene agat.* Eodem modo loquendi vtitur P.Suarez *tom.3.de grat.lib.8.c.13.num.4.* vbi ſæpiùs repetit, *quòd ipſi etiam actus ſupernaturales; quicumque illi ſint, dicuntur nobis infundi à Spiritu ſancto, & ita* *Suarez.*

& ita etiam loquitur non ſolùm Auguſtin. in epiſtola 105. Sed etiam Eccleſia cùm in quadam collecta orat. Infunde nobis Domine tua charitatis affectum. Et in eodem ſenſu non ſolùm de habitu, ſed etiam de actu dilectionis verum eſt, eſſe donum Spiritus ſancti, qui charitatem infundit in cordibus noſtris: nam etiam primum actum dilectionis infundit, etiamſi per habitum non fiat, ſed per auxilium.

VII. *Obiectio. Leſſ. cap. 15. nu. 14.* Sed obiiciunt; Operatio Dei præuenit noſtram libertatem; nec ab ea pendet, vt ſit, vel non ſit, ergo ſi actus dilectionis, aut alia volitio infunditur nobis à Deo, ſequitur non eſſe vllo modo in poteſtate noſtra, vt illa volitio ſit in nobis, vel non ſit. Quod enim à Deo infunditur ante noſtrum conſenſum, nullo modo eſt in noſtra poteſtate; ſi enim ipſa infuſio, & cooperatio Dei non eſt in noſtra poteſtate, neque etiam id, quod infunditur, quod eſt terminus intrinſecus, & eſſentialis illius operationis. Rurſus ſi Deus infundit volitionem, prius natura, quàm voluntas conſentiat: Ergo voluntas pro eo inſtanti ſe habet merè paſſiuè.

Deus operatur dupliciter ad noſtram volitionem. Reſpondeo, quod vt *cap. 1. huius lib. nu. 63.* dictum eſt, Deus dupliciter operatur ad noſtram volitionem. Primò actione præuia cooperationi noſtræ voluntatis, qua facit nos facere, & velle hoc, vel illud, & hæc non eſt in noſtra poteſtate; ſed ſolùm in poteſtate Dei; quia licet nos velimus, ſolus tamen Deus eſt, qui per motionem efficacem facit nos velle, & liberè velle hoc vel illud. Terminus autem immediatus huius motionis eſt voluntatem eſſe motam, & conſtitutam in vltimo complemento actus primi.

Secundò

Digitized by Google

Secundò actione ſimultanea, qua non ſine nobis, ſed nobiſcum producit immediatè ipſum velle. Hæc autem operatio, vt procedit à Deo, id eſt, vt habet rationem influxus Dei in ipſam operationem, licet non ſit in poteſtate noſtra, nec ſub hac ratione pendeat efficienter à nobis, tamen influxus noſtri liberi arbitrij in operationem piam & ipſa volitio libera pendet ex noſtro libero arbitrio, tanquam à cauſſa proxima verè efficiente, quia vt dictum eſt, Deus non producit, neque infundit illam nobis ſine nobis liberè cooperantibus ipſam volitionem. Vnde non ſequitur, quòd illa volitio non ſit in poteſtate noſtra, aut quòd voluntas noſtra merè paſſiuè ſe habeat comparatione eiuſdem volitionis. Sed vt plurimum ſolum ſequitur, quòd voluntas noſtra non habeat dominium primum ſimpliciter, & abſolutum piæ operationis, ſed ſubiectum ſupremo, & abſoluto dominio voluntatis Dei, qui vt dicit Aug. *lib. de correptione & grat. c.* 14. *magis habet in ſua poteſtate hominum voluntates, quàm ipſi ſuas.*

VIII. *Infuſionis, & inſpirationis nomine quid intelligant Concilia & Patres.*

His ergo ſuppoſitis dicendum eſt, Concilia, & Patres cùm dicunt opera pietatis fieri in nobis per infuſionem, aut inſpirationem Spiritus ſancti, nomine *infuſionis*, & *inſpirationis*, vel *operationis* non debet, nec poteſt intelligi, ſola admonitio, aut inuitatio, quaſi hæc ſola præueniant liberum hominis conſenſum, & cooperationem; ſed neceſſariò intelligenda eſt peculiaris actio, qua Deus verè efficienter; ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ facit nos liberè conſentire, & liberè cooperari cum ipſa gratia, vt

Digitized by Google

diſp. 82. & 86. *de Auxiliis* oſtenſum eſt. Et hac ratione dicitur Deus creare, vel infundere nobis conſenſum, vel piam operationem; non quia illam producat in nobis ſine nobis liberè conſentientibus, & cooperantibus; ſed quia nos præuenit adiutorio gratiæ efficacis, quo facit vt faciamus, & operatur, vt operemur id quod efficit, non ſolū admonēdo, alliciēdo, inuitando, aut aliter etiam interius moraliter attrahendo; ſed etiam præmouendo, & applicando liberum arbitrium ad piam operationem, vt *diſp.* 23. & 91. *de Auxiliis* dictum eſt. Hoc deſignant verba

Epheſ. 2. illa Apoſtoli ad Epheſios 2. *Ipſius enim ſumus factura creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præ-*

Philipp. 2. *parauit Deus, vt in illis ambulemus.* Et ad Philippenſes 2. *Deus eſt enim qui operatur in nobis, &*

Iſaiæ 26. *velle, & perficere.* Et Iſaiæ 26. *Omnia opera noſtra*

Iob 32. *operatus eſt in nobis.* Et Iob 32. *Et inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam.* Probatur hæc ſententia,

Conc. Arau. ex Concilio Arauſicano *Cano.* 4. *citato*, vbi per infuſionem, & operationem ſpiritus ſancti, qua facit, vt purgari velimus, non poteſt intelligi ſola admonitio, inuitatio, qua voluntas allicitur, & excitatur, vt purgari velit à peccato. Nam contingit multoties, quod Deus admoneat, & excitet hominem vt purgari velit à peccato, & tamen ipſe nolit purgari à peccato, ſed in eo perſiſtere. Pręterea, nam illud verbum *per operationem*, non ſignificat ſolùm admonitionem, aut excitationem. Hęc enim eſt metaphoricè opera-

S. Thom. tio, vt *q.* 3. *de malo art.* 3. *in corpore* docet S. Thomas; ſed ſignificat veram efficientiam realem ſeu phyſicam, qua Deus efficit, vt purgari velimus.

Digitized by Google

limus. Id quod non obſcurè colligitur ex auctoritate Apoſtoli inducta à Concilio: *Deus eſt enim qui operatur in nobis, & velle & perficere.* Philip. 2.
Quem locum de vera, & propria operatione ſemper intellexerunt ſancti Doctores præſertim Sanctus Thomas ſuper *eandem Epiſtolam*, & *libro 3. contra gentes cap.* 89. Hæc autem operatio eſt illa de qua idem Concilium *Cano.* 9. inquit: *Diuini eſt muneris cum rectè cogitamus & pedes noſtros à falſitate, & iniuſtitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur.* Id ipſum apertè colligitur ex *Canone* 5. eiuſdem Concilij vbi definitur: *Sicut augmentum: ita etiam initium fidei ipſum credulitatis affectum, quo in Deum credimus, qui iuſtificat impium, per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem ſpiritus ſancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem: ab impietate ad pietatem nobis ineſſe.* Certè inſpiratio ſpiritus ſancti corrigens voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, & ab impietate ad pietatem non importat ſolam admonitionem, inuitationem, vel incitationem etiam internam. Ergo importat quoque donum præuenientis gratiæ efficacis, quo Deus efficit, vt voluntas ab infidelitate ad fidem ſe transferat, aſſentiendo myſteriis reuelatis, & ab impietate ad pietatem; opera meritoria exercendo. S. Thom.

IX. Idem probari poteſt ex verbis *Can.* 6. eiuſdem Concilij ſupra inductis, videlicet per infuſionem, & inſpirationem ſpiritus ſancti. Significant enim actum pium, quo credimus, & volumus, infundi nobis in ſua cauſſa, quia videlicet donum præuenientis gratiæ efficacis, quo

Digitized by Google

Deus facit nos credere, & velle infunditur nobis à Spiritu ſancto; quamuis non infundat nobis ſine nobis liberè cooperantibus.

Confirmari poteſt hoc, & explicari exemplo gratiæ habitualis, quæ quidem effectiuè infunditur nobis à ſolo Deo, iuxta illud Apoſtoli: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*, non tamen fit in nobis ſine nobis per actum liberi arbitrij à Deo excitati, & moti ad ſuſceptionem eiuſdem gratiæ nos præparantibus & diſponentibus ſecundũ illud, quod ait Sanctus Auguſtinus: *Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te.* Proportionabiliter dicendum eſt de auxilio efficaci præuenientis gratiæ. Hoc enim auxilium infunditur nobis effectiuè à ſolo Deo, ſecundùm illud Pſalmi 120. *Pſal. 120.* *Auxilium meum à Domino*, non tamen infunditur ſine nobis ſimul tempore conſentientibus, & cooperantibus piam actionem liberam, ad quam Deus mouet: & ad hoc ſignificandum dixit Concilium per infuſionem, & inſpirationem ſancti ſpiritus in nobis fieri, vt credamus, & velimus, quia licèt noſtrum liberum arbitrium credat, & velit; non tamen facit ſe credere, aut velle; ſed id ſolus Deus efficit, per auxilium efficax præuenientis gratiæ, ſicut per Sanctum Ezechielem ait: *Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini.* De quo videantur, quæ in *diſputatione* 86. *&* 100. *de Auxiliis* dicta ſunt. Eodem modo ſunt proportionabiliter intelligenda loca Scripturæ, & ſanctorum Patrum in quibus aſſeritur. Deum facere, vt faciamus, & operari

operari,vt operemur,vel operari in nobis velle, ſicut ad Phil.2. *Deus eſt enim, qui operatur in vobis, & velle, & perficere.* Et Iſaiæ 30. *Omnia opera noſtra operatus eſt in nobis.* Ex quibus teſtimoniis frequenter Sanctus Auguſtinus colligit, noſtrum velle,& perficere peculiari quadam ratione eſſe tribuendum Deo: *Qui voluntatem noſtram præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Non enim poteſt dici,quòd Deus operetur in nobis velle, & perficere per ſolam inuitationem, ſeu excitationem, & concurſum ſimultaneum, quo producit nobiſcum piam operationem, ſi nos volumus, ſed neceſſariò addendum eſt, Deum verè efficienter per motionem efficacem facere, nos velle, & cooperari Deo mouenti, & hac ratione dicitur operari in nobis velle, & facere, vt faciamus, vt *diſput.* 86.*de Auxiliis* pluribus teſtimoniis Conciliorum, & Sanctorum Patrum,præſertim Auguſt. & rationibus Theologicis oſtenſum eſt.Eſt ad idem confirmandum quidam inſignis locus S. Thomæ, qui habetur *quæſt. 6. de veritate artic.*6. vbi ſic ait: *In quolibet ordine cauſſarum attendendus eſt, non ſolùm ordo primæ cauſſæ ad effectum, ſed etiam ordo ſecundæ cauſæ ad effectum, & ordo etiam cauſſæ primæ ad ſecundam,quia cauſa ſecunda non ordinatur ad effectum, niſi ex ordinatione cauſſæ primæ. Cauſſa autem prima dat ſecundæ,quod influat ſuper cauſſatū ſuum, vt patet in lib.de Cauſſis,Propoſ.*1.*tom.*3.inter opera Ariſt. Quæ omnia confirmari poſſunt ex his quæ in *libro noſtro de Auxiliis diſput.* 18. & 86. dicta ſunt. ***Auguſt.***

Ex his manet excluſa eiuſdem auctoris ex- **X.**

Digitized by Google

Leſs. c. 11. *num.*4. plicatio aſſerentis, quòd peculiari modo hæc tribuuntur Deo; tum quia Deus hominem ad hæc excitat, & ſollicitat, antequam ipſe de illis cogitet: tum quia ad hæc vires præbet ſine quibus homo non poteſt ad hæc quidquam, is autem, qui vires ad aliquid præbet, quibus id conficiatur, peculiari modo tanquam auctor principalis dicitur eſſe cauſſa rei, eamque operari, & perficere: Sicut Regem dicimus expugnaſſe Vrbem, conſecutum victoriam, ſubiugaſſe noua regna: quia milites, & ſumptus ſuis Ducibus ſuppeditauit. Sic Matt. 10. dicitur: *Non enim eſtis vos, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Nempe quia, non ſapientia, & induſtria humana loquebantur; ſed dono Spiritus ſancti, qui omnia opportuna ſuggerebat. Hæc enim explicatio ex eo eſt deficiens, quia omittit potiſſimũ, ratione cuius noſtrum velle, & perficere tribuitur Deo, ſcilicet, quia verè efficienter, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ facit nos cooperari, & influere cum gratia in quamlibet piam operationẽ. Si enim Deus in eo dumtaxat genere cauſſæ facit nos velle, & operari bonum opus in quo Rex dicitur expugnaſſe vrbem, conſecutum victoriam, ſubiugaſſe noua regna, quia milites, & ſumptus ſuis ducibus ſuppeditauit, ſequitur quòd Deus ſolũ metaphoricè facit nos velle, & operari in nobis velle, & perficere. Etenim rex in caſu poſito ſolùm eſt cauſſa victoriæ moralis metaphorica faciens, quòd milites, & Dux expugnent Vrbem, conſequantur eandem victoriam, &c. vt ex S. Thom. ſuperius dictum eſt.

Nec

Digitized by Google

Nec ſatis eſt reſpondere eſſe differentiam; nam rex non operatur efficienter cum militibus victoriam: Deus autem, ſi nos volumus, verè efficienter cooperatur nobiſcum bonum velle, ac per conſequens propriè, & non metaphoricè dicitur operari noſtram volitionem. Contra hoc enim eſt: nam Deus per concurſum illius ſimultaneum non facit nos influere, & cooperari ipſam volitionem; ſed ſolùm eam producit nobiſcum, ſi nos volumus concurrere, immo in ſigno rationis præſupponit noſtram volitionem: Ergo non propriè; ſed ſolùm metaphoricè facit nos velle, & operari. Aliter S. Auguſtinus locum illum Matth. 10. inductum interpretatur, & alia conſimilia: ſicut eſt illud ad Roman. 8. *Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Et ad Galat. 4. *Miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda noſtra clamantem, Abba Pater.* Docet enim Spiritum ſanctum interpellare pro nobis, quia interpellare nos facit, & ſimiliter dicitur loqui, & operari in nobis, aut clamare, quia per adiutorium gratiæ verè efficienter facit, vt loquamur, piè operemur, & clamemus. Verba Auguſtini ſunt. *Quid eſt autem interpellare nos facit? indigentis enim certiſſimum indicium eſt interpellare gemitibus: nullius autem rei eſſe indigentem fas eſt credere ſpiritum ſanctum; ſed ita dictum eſt interpellat, quia interpellare nos facit, nobiſcum interpellandi & gemendi inſpirat affectum; ſicut eſt illud in Euangelio: Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Neque enim, & hoc ita ſit de nobis tanquam nihil facientibus nobis. Adiutorium igitur Spiritus ſancti ſic*

Solutio.

Impugnatio.

Aug. epiſt. 105. ad Sixtum.

expreſſum eſt, vt ipſe facere diceretur, quod vt faciamus facit. Nam non eſſe intelligendum ſpiritum noſtrum de quo dictum eſt, interpellat gemitibus inenarrabilibus; ſed Spiritum ſanctum; quo noſtra infirmitas adiuuatur, ſatis ipſe demonſtrat Apoſtolus. Inde enim cœpit ſpiritus in quo adiuuat infirmitatem noſtram. Deinde ita ſubiunxit. Quid enim oremus: ſicut oportet neſcimus, &c. De hoc quippe ſpiritu apertius alibi dicit: Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba Pater: alio tamen loco ait: Quoniam filij Dei eſtis, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem, Abba Pater. Non hic ait in quo amamus, ſed ipſum ſpiritum ſanctum clamantem dicere maluit, quo efficitur, vt clamemus ſicut ſunt illa: Ipſe ſpiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus: Et Spiritus Patris veſtri eſt, qui loquitur in vobis, expendatur illud verbum, *quo efficitur, vt clamemus*. Significat enim, Deum non ſolùm producere nobiſcum clamorem, aut piam operationem, ſi nos volumus operari, ſed etiam ſua gratia adiuuante verè efficienter facere, vt clamemus, & piè operemur.

XI. Ad primum, & ſecundum argumentum reſpondetur, quòd tam Sanctus Auguſtinus, quàm Sanctus Proſper, vtramque gratiam præuenientem docent eſſe neceſſariam, vt quis ad Deum conuertatur & piè operetur, nempe illam; qua Deus excitat, & inuitat voluntatem, vt operetur bonum, ſi velit, & illam, qua etiam efficit, vt velit. Et in quibuſdam locis probant gratiam inuitantem, & excitantem eſſe neceſ-

ſariam

ſatiam, nec tamen per hoc negant, eſſe neceſſariam præuenientem gratiam efficacem, nam alibi ſæpius colligunt ex ſacris literis præter gratiam excitantem eſſe neceſſariam præuenientem gratiam adiuuantem, qua Deus efficit nos velle, & operari bonum, *vt diſput.* 82.86. *&* 88. *de Auxiliis, & in hoc eodem lib.cap.*1.*numer.* 37.oſtenſum eſt. Sed præſertim *lib. de prædeſtinatione ſanctorum cap.*11.*& lib.de gratia, & libero arbitrio cap.* 16. videatur Sanctus Proſper Epiſtola ad Ruffinum, vbi ait: *Gratia ipſa eſt bonorum creatrix.* Et paulo inferius: *Quis, inquit, ambigat, tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cùm in illis gratia Dei effectum credendi, obediendique generauerit. Alioquin ſufficeret moneri hominem, non etiam in ipſo nouam fieri voluntatem ſicut ſcriptum eſt: præparatur voluntas à Domino, & ſicut ait Apoſtolus, Deus eſt enim, qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate: Pro qua bona voluntate, niſi quam in ipſis operatus eſt Deus, vt quod donauerat velle, donaret & facere.* Quibus verbis apertiſſimè docet, quòd vt conuertatur quis ad fidem, non ſufficit moneri hominem, niſi etiam in ipſo Deus operetur bonam voluntatem per gratiam præuenientem efficiendo, vt liberè conſentiat. Sentit ergo, quòd id non faciat ſola admonitio, aliàs ſufficeret, quantum eſt ex parte gratiæ, *moneri hominem*, nec eſſet neceſſarium: vt Deus in illo operetur bonum velle.

S.Proſper.

Philipp. 2.

XII. Ad tertium argumentum reſpondetur, inſpirationem efficacem eſſe quandam peculiarem actionem Dei, qua creat in nobis, non tamen ſi-

ne nobis liberè conſentientibus, & cooperantibus bona opera, ſecundùm illud Apoſtoli: *Ipſius enim factura ſumus creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Vbi vtrumque coniunxit, nempe, & creationem bonorum operum, quæ quidem ex eo dicuntur creari in nobis, quia fiūt à Deo per eius gratiam nullis noſtris præcedentibus meritis, ſicut creatio fit ex nihilo; & liberam cooperationem arbitrij, ſine qua non fiunt illa bona opera, quam quidem cooperationem deſignant illa verba, *vt in illis ambulemus.* Hanc doctrinam perſiſtendo in eadem ſimilitudine explicat, & confirmat S. Anſelmus ſuper eandem epiſtolam: *Et verè,* inquit, *gratia ſaluati eſtis non ex operibus veſtris, quæ ex vobis ipſis habetis, ſed tantùm his operibus, in quibus vos Deus fecit, id eſt, formauit, & creauit: & hoc eſt, ipſius enim ſumus factura, & nos, & vos creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, non illa creatione qua homines facti ſumus, ſed ea de qua ille dicebat, qui vtique iam homo erat. Cor mundũ crea in me Deus, & Apoſtolus ipſe nouam creaturam alibi laudat. Facti ergo ſumus; & creati in operibus bonis, quia reſtitutione liberi arbitrij data eſt nobis libertas benè operandi, id eſt, facti ſumus habiles ad bene operandum, & hoc factum eſt in Chriſto Ieſu, id eſt, in gratia eius non in merito noſtro, quæ opera bona Deus prædeſtinando præparauit, præueniens arbitriũ noſtrũ. Omne namque bonum à gratia Dei ſumit originem, & ita præparauit, vt in illis ambulemus, id eſt, promoueamur, & proficiamus de bono ad melius: Et quia his modis nos ſaluauit, manifeſtum eſt nos gratia eius eſſe ſaluatos.* Hactenus Anſelm. Illa ergo ſimilitudo infuſio

Epheſ. 2.

Creari quare dicantur in nobis opera pietatis.

S. Anſelm.

Gen. 1.

Pſalm. 50.

Gal. 5.

Digitized by Google

infuſionis ſpiritus in carnem Adæ tacta in argumento, qua explicatur actio Dei operantis in nobis velle,& perficere, non tenet in omnibus: ſed in hoc; quod ſicut ſpiritus vitæ Adæ proceſſit ex flatu & inſpiratione diuina, vt à cauſſa efficiente, nulla præſuppoſita diſpoſitione; ita & auxilium efficax præuenientis gratiæ,quo Deus facit,vt faciamus,& operatur,vt operemur;procedit effectiuè à ſolo Deo nullis noſtris præcedentibus meritis. Non tamen licet ex hac ſimilitudine inferre, quòd pia operatio infundatur, aut fiat in nobis à ſolo Deo, abſque libera cooperatione arbitrij, nam quantum ad hoc deficit illa ſimilitudo. Non enim oportet quòd ſimilitudo teneat in omnibus, aliàs non eſſet ſimilitudo, ſed identitas. Sic ergo Deus per gratiam præuenientem, facit in nobis, atque nobiſcum bona opera,vt tamen in facultate noſtra ſit motioni diuinæ obtemperare, vel refragari; vt ſuperius *cap.* 1 *.huius libri* explicatum eſt.

XIII. Ad quartum argumentum reſpondetur ex dictis *nu.*7.Volitionem, qua volumus purgari, infundi nobis à Deo cauſſaliter, id eſt, in cauſſa cum qua eſt influxus liberi arbitrij infallibiliter coniunctus, nam gratia efficax; qua Deus facit, vt faciamus, infunditur à ſolo Deo. Ipſa tamen volitio in ſe ipſa nō infunditur, nec producitur à ſolo Deo,antecedenter ad liberam cooperationem noſtri arbitrij, quam tamen etiam cauſſat per gratiam ſuam ipſe Deus,nam per illam facit nos cooperari,vt dictum eſt.Vnde non ſequitur noſtrum conſenſum non eſſe in noſtra poteſtate,ſed ſolū infertur,quòd nō ſit in noſtra poteſtate

Digitized by Google

poteſtatè tanquam in cauſſa prima efficiente, ſed ſolùm, vt in cauſſa proxima ſicut *diſp.* 117. *de Auxiliis* explicatum eſt.

Ad primam confirmationem reſpondetur, quòd operatio Dei, ſecundùm quod per illam facit, vt faciamus, præuenit ordine dumtaxat rationis & cauſſalitatis cooperationem noſtri arbitrij, vt dictum eſt. Quatenus verò producit noſtrum velle in ſe ipſo, non præuenit influxum noſtri arbitrij, ſed ſimul cum illo producit noſtrum velle, ſeu piam operationem. Vnde non ſequitur, quòd noſtrum velle non ſit in noſtra poteſtate.

S. Thom.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quod vt docet Sanctus Thom. in 2. *ſententiarum diſt.* 37. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 2. *&* 3. *argumentum*: Deus influit agenti, & vt agat, & vt bene agat, non tamen infundit volitionem in ſe ipſa prius natura; quàm voluntas ad eam concurrat: quia Deus non producit volitionem niſi per voluntatem; quam ad volendum bonum applicat, & prædeterminat. Vnde voluntas noſtra non ſe habet merè paſſiuè recipiendo volitionem à ſolo Deo productam. Licet enim paſſiuè ſe habeat in ordine ad auxilium efficax præuenientis gratiæ; quo Deus facit, vt velimus, comparatione tamen piæ operationis, ad quam Deus mouet, ſe habet actiuè, & liberè, vt *diſputatione* 116. *de Auxiliis num.* 10. dictum eſt.

Influit Deus agenti, & vt agat, & vt bene agat.

RESPON

RESPONSIONVM AD OBIECTIONES ADVERSVS CONCORdiam liberi arbitrij cum diuina præſcientia, prouidentia,& prædeſtinatione:

Atque cum efficacia prauenientis gratiæ,prout à S.THOMA,*& Thomiſtis defenditur, & explicatur,*

Liber Tertius.

In quo agitur de cauſſalitate, qua liberum arbitrium cum gratia præueniente actus ſupernaturales producit.

HIs ergo conſideratis, quæ ad prædefinitiones diuinas,& earum cauſſalitatem pertinere videbantur,reliquum eſt,vt ad explicandam cauſſalitatem liberi arbitrij comparatione actuum ſupernaturalium, accedamus, vt manifeſtum fiat, qualiter gratia cum libero arbitrio, & liberum arbitrium cum gratia ad actus pietatis concurrant,circa quod octo ſunt conſideranda.

Primò.

Primò. Vtrum ſuppoſitum, vel eius potentia eleuata per habitus infuſos ſit principalis cauſſa proxima actus ſupernaturalis, an merum inſtrumentum.

Secundò. Vtrum vitalis actus ſupernaturalis procedat efficienter, vt quo, ab habitu, vel auxilio ſupernaturali; an verò à ſola potentia, ſecundùm ſuam innatam & naturalem virtutem.

Tertiò. Vtrum liberum arbitrium creatum ſit directè, & propriè cauſſa, quòd influxus gratiæ hic, & nunc, & cum tali intentione exiſtat.

Quartò. Vtrum auxilium actuale præuenientis gratiæ excitantis phyſicè concurrat cum libero arbitrio ad productionem conſenſus, an ſolùm moraliter.

Quintò. Vtrum in eo, qui non habet auxilium efficax prædeterminans ad conſenſum, ſaluetur vera ratio auxilij ſufficientis.

Sextò. Vtrum efficacia auxilij præuenientis gratiæ pendeat ex aliqua diſpoſitione negatiua, vel non reſiſtentia liberi arbitrij creati.

Septimò. Vtrum in poteſtate hominis ſint auxilia præuenientis gratiæ ita, vt poſſit habere illa, vel obtinere à Deo, aut de facto obtineat, quoties ſibi placuerit.

Octauò. Vtrum gratia nobis collata ex meritis Chriſti, de qua Scriptura Sacra, Concilia, & Patres contra errorem Pelagianorum loquuntur, diſtinguenda ſit in gratiam ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalem, & gratiam naturalem ſecundùm ſubſtantiam à dono creationis diſtinctam: an verò omnis gratia Redemptoris ſit ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis ordinis.

Vtrum

Vtrum ſuppoſitum, vel eius potentia eleuata per habitus infuſos ſit principalis cauſſa proxima actus ſupernaturalis, an merum inſtrumentum.

CAPVT I.

QVIDAM ex recentioribus Theologis affirmat: Potentias noſtras concurrere ad efficiendos actus ſupernaturales, vt inſtrumenta diuinę gratiæ, ſiue quando illos efficiunt, prius quàm habitibus informentur, motæ tantùm diuino auxilio, ſiue quando iam informatæ per habitus, actus eliciunt: & allegat pro ſua ſententia Paludanum *in 4. d. 49. q. 1. nu. 41. & 42.* Vaſquez 1. *p. diſp.* 46. Medina 1. 2. *quæſt. 3. artic. 2. dub. 1. ad 7.* quam probat ſequentibus argumentis. I. *P. Suarez l. 6. de eſſentia gratiæ c. 6. & 7.*

Primò, nam hæc ſententia eſt conſentanea modo loquẽdi Pauli dicentis, 1. ad Cor. 15. *Plus omnibus laboraui, non ego, ſed gratia Dei mecum*, per quæ verba principalem efficientiam gratiæ tribuit: ſe verò tantùm agnoſcit tanquam gratiæ inſtrumentum. Item eſt conformis hic loquendi modus illi ſententiæ Pauli ad Rom. 8. *Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei.* Nam, licet ſit certiſſimum iuſtos non ita agi à Spiritu ſancto, quin etiam ipſi agant, & ſe moueant, nihilominus ita agunt, vt non niſi per ſpecialem eleuationem, & actionem Spiritus ſancti, & tanquam eius inſtrumenta ſe moueant, & agant.

Secundò

Digitized by Google

Secundò ſic arguit. Nam hic eſt vſitatus modus loquendi Patrum, qui totum negotium ſalutis noſtræ tribuunt Deo, & gratiæ eius, tanquam principali agenti: nobis verò tanquam inſtrumentis eius, quæ loquutiones in ſenſu proprio debent intelligi, cùm id magis commendet gratiam Dei, libertatíque nihil derogct. Ergo.

II. Tertiò idem probat ſpecialiter de potentia operante ſine habitu per ſolum auxilium, auctoritate Sancti Thomæ 2.2. *quæſt.* 173. *art.* 4. vbi de Prophetica cognitione ſic inquit: *Mouetur mens propheta à Spiritu ſancto, ſicut inſtrumentum deficiens reſpectu principalis agentis.* Et ſubdit: *Mouetur autem mens prophetia non ſolùm ad aliquid apprehendendum, ſed etiam ad aliquid loquendum, vel aliquid faciendum.* Et infra iterum ſubiungit: *Sciendum eſt tamen, quòd quia mens propheta eſt inſtrumentum deficiens, vt dictum eſt, etiam veri propheta non omnia cognoſcunt, quæ in eorum viſis, verbis, aut factis Spiritus ſanctus intendit.* Et quamuis loquatur Sanctus Thomas de prophetia in particulari, tamen ex illa ſumitur euidens argumentum ad cæteros actus ſupernaturales, quæ ſine habitu fiunt.

Quartò ſic arguit. Potentia per ſe ſumpta, non eſt virtus principalis ſufficiens ad eliciendum actum infuſum, ſed quando illum producit nondum habitu informata, non recipit virtutem intrinſecam eiuſdem ordinis cum actu, per quem illum efficiat; ergo non facit illum, vt principium principale; ergo vt inſtrumentale, per diuinum auxilium, tanquam per motionem Spiritus ſancti eleuatum.

Quintò

Quintò ſic argumentatur. Quidquid ſit de facto, nihilominus de potentia abſoluta poteſt Deus eleuare potentiam ad eliciendum actum ſupernaturalem ſine præuia infuſione habitus, vel impreſſione alicuius actus primi ſupplentis vicem habitus, quia totus influxus habitus in actum eſt merè effectiuus, & ab illo, vt ſic, non pendet vitalitas actus, ſed à ſola potentia, & anima; ergo poteſt Deus per ſe ſupplere totam efficientiam habitus, nulla interpoſita qualitate; quia ſiſtendo in pura efficientia, verum eſt illud principium communiter receptum, poſſe Deum ſe ſolo facere, quidquid poteſt per cauſſam ſecundam facere. Hoc ergo poſito tunc potentia non efficeret actum per virtutem intrinſecam actiuam proportionatam effectui; ergo non ageret, vt principalis cauſſa proxima, ergo, vt inſtrumentum. Et nihilominus actus eius eſſet vitalis, & liber; Ergo ſaltem hoc argumento concluditur cauſſalitatem inſtrumentalem potentiæ non repugnare actioni vitali, & liberæ.

Sextò idē probat de potentia eleuata per habitum ſupernaturalē. Influxus, quē potentia ex parte ſua præbet in actū ſupernaturalē eiuſdem rationis eſt, ſiue potentiæ ſit informata habitu, ſiue non ſit: Sed quando non informatur habitu, influit in actū, vt inſtrumentū, & non vt cauſſa principalis proxima, vt patet ex rationibus ſuperius factis: Ergo. Maior probatur. Habitus additur potentiæ, licet addat illi nouā virtutē actiuam ſuperioris ordinis, non tamē immutat natiuam vim potentiæ, quæ realiter idem eſt cum

illo: Ergo nec poteſt habitus efficere, vt influxus ille, quatenus immediatè oritur à potentia, ſit alterius rationis ab illo influxu, quem præſtare poſſet eadem potentia immediatè adiuta à ſolo Deo: quia quòd illud principium adiuuans potentiā ſit inhærens, vel non inhærens, parum refert ad variandum illum influxum, quia forma inhærens, ſolum addit actiuitatem inhærentem, non tamen facit, vt actiuitas, quæ eſt ex parte potentiæ, ſit maior, minor, vel alterius rationis.

Confirmatur, ac declaratur. Nam quatenus potentia informata habitu per ſe, & immediatè influit in actum, per aliquam poteſtatem ſibi innatam, & identificatam agit, quam non habet ab habitu. Ergo, vt ſic, agit per potentiam obedientialem, & non per naturalem; ergo non aliter influit, quàm ſi abſque habitu alio modo eleuaretur. Antecedens videtur clarum, tum quia illa vis natiua non diſtinguitur ab entitate potentiæ, habitus autem non præbet potentiæ, aliquid indiſtinctum ab illa: tum etiam quia ex illo influxu potentiæ habet actus, quòd ſit vitalis, potentia autem non habet ab habitu vim vitaliter operandi. Ergo.

Confirmatur ſecundò, & explicatur magis vis præcedentis argumenti. Potentia animæ quamuis ſit innata, & materialiter naturalis comparatione actus ſupernaturalis; in agendo tamen non efficit, vt potentia naturalis, ſed vt potentia obedientialis; vnde cùm ille influxus ſit ab eadem potentia obedientiali, profectò eſt eiuſdem rationis etiam ſub habitu, ac proinde eſt à potentia, vt ab inſtrumento, quia eſt ab illa

illa, vt eleuata ad agendum per obedientialem potentiam, & vltra ſphæram, ac menſuram naturalis actiuitatis: Ergo operatur eundem actum, vt inſtrumentum, & non vt cauſſa principalis: Probatur conſequentia. Nam quidquid operatur creatura per potentiam obedientialem, eſt cauſſa illius, vt inſtrumentum Dei, à quo eleuatur ad producendum illum effectum, non autem, vt cauſſa principalis proxima.

His tamen non obſtantibus cenſeo non eſſe recedendum à ſententia, quam *diſputatione* 68. *de Auxiliis* præmiſi. Iuxta quam dicendum eſt, quòd ſuppoſitum viuens operans per ſuas potentias eleuatas per habitus ſupernaturales eſt verè, & propriè cauſſa ſecunda proxima, & principalis actuum ſupernaturalium, & non merum inſtrumentum, & oppoſitam ſententiam reputo falſam, & improbabilem, ſaltem quoad potentias, quæ operantur per habitus infuſos. Hanc ſententiam probaui ex profeſſo *diſputatione* 68. *allegata*, & auctoritatibus Sancti Thomæ, & pluribus rationibus Theologicis, ex quibus aliquæ ſunt in præſenti attingendæ, vt ex ſolutione, quæ illis adhibetur, magis appareat earum efficacia. Ad cuius euidentiam ſupponendum eſt ex doctrina Sancti Thomæ, quòd ad eſſentiam inſtrumenti, vt diſtinguitur contra cauſſam principalem, quatuor ſunt neceſſariò requiſita. Primò requiritur, vt virtute propriæ formæ habeat aliquam actionem præuiam, per quam diſpoſitiuè operetur ad effectum principalis agen- IV.

Ad Inſtrumenti rationem quatuor requiruntur conditiones.

Prima conditio inſtrumenti.

tis:Ita docet expreſſe S.D.1.*parte q.* 45.*art.* 5.*in corpore*,vbi probat,quòd nulla creatura poſſit aſſumi à Deo, vt inſtrumentum ad creandum, quia non poteſt aliquid operari diſpoſitiuè,& inſtrumentaliter ad hunc effectum,& ponit exemplum in ſecuri,quæ ſcindendo lignum,quod habet ex proprietate ſuæ formæ, producit ſcãni formam, quæ eſt effectus proprius principalis agentis. Idem docent communiter omnes Thomiſtæ; ſed præſertim M. Bagnes *eodem art.* 5.*concluſ.*4.Ferrarienſis *lib.* 2. *cont. gent. c.* 21. & alii,quos ibi allegat M.Bagnes.Hoc fundamentum non admittit vniuerſaliter auctor ſententiæ contrariæ. Sic enim ait: *In tertio loco ſcilicet prima parte fateor eſſe doctrinam Sancti Thomæ, de ratione inſtrumenti eſſe,vt habeat propriam actionem præuiam ad effectum principalis agentis: exiſtimo verò id ad ſummũ habere locum in inſtrumentis naturalibus,non tamen exiſtimo eſſe neceſſarium in ſupernaturalibus,quæ diuina virtute ad agendum eleuantur.* Secundò dicit, etiam ſecundum Caietanum,& Thomiſtas non eſſe neceſſarium, actionem inſtrumenti propriam eſſe realiter diſtinctam ab actione principalis agentis, ſed poſſe eſſe vnam,& eandem, quæ ſecundùm aliquam rationem ſit propria, ſeu accommodata inſtrumento.Quæ doctrina ſano modo intellecta hîc accommodari poteſt.Nam idem actus v.g.amoris infuſi eſt à Deo principaliter infundente, & à voluntate inſtrumentaliter cooperante liberè,& vitaliter;ad quod ſatis eſt, vt ſecundùm generalem rationem amoris ſit tanquam actio propria voluntatis,id eſt,habens ſimilitudinem,

P.Suarez ca.7.citato nu.12.

&

Digitized by Google

conuenientiam cum actu, quem voluntas propria virtute poteſt efficere.

V. Sed tamen illa limitatio propoſitionis aſſumptæ à Sancto Thoma eſt apertè contra mentem ipſius, imo & contra expreſſa verba eius, tum in eodem contextu 1. *partis*. nam ibi loquitur de inſtrumento ſupernaturali; quod diuina virtute eleuatur ad effectum excedentem totum ordinem naturæ, qualis eſt creatio, quæ eſt productio entis ex nihilo, tum etiam 3. *parte quæſt. 62. art. 3. & 4.* Vbi etiam in Sacramentis nouæ legis exigit aliquam actionem virtute propriæ naturæ corporalis, quæ præſupponitur, vt eleuetur diuina virtute ad cauſſandam gratiam in anima, quod etiam probat ex S. Auguſtino dicente: *Vnde tanta vis aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat*, & ex Beda in *quadam homilia in octaua Epiphaniæ*, vbi ait, quòd Dominus tactu ſuæ mundiſſimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis. Et expreſſius in *eadem 3. p. q. 62. arti. 1. ad 2.* ait, *quòd inſtrumentum habet duas actiones: Vnam inſtrumentalem, ſecundùm quam operatur non in virtute propria, ſed in virtute principalis agentis. Aliam autem habet actionem propriam, quæ competit ſibi ſecundùm propriam formam: ſicut ſecuri competit ſcindere ratione ſuæ acuitatis, facere autem lectum, in quantum eſt inſtrumentum artis. Non autem perficit inſtrumentalem actionem niſi exercendo actionem propriam: ſcindendo enim facit lectum. Et ſimiliter ſacramenta corporalia per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem inſtrumentalem ex virtute diuina circa animam ſicut*

Aug. tracta. 80. in Ioan. poſt med. to. 9.

aqua baptiſmi abluendo corpus ſecundùm propriam virtutem: abluit animum, in quantum eſt inſtrumentum virtutis diuinæ: nam ex anima, & corpore vnum fit. Et hoc eſt, quod Auguſtinus dicit, quod corpus tangit, & cor abluit. Et ratio clara eſt, quia, vt 1. *parte citata*, dicit S. Thomas, niſi in inſtrumento ſupponatur virtute propriæ formæ aliqua actio propria, quæ eleuetur, *Fruſtra adhiberetur ad agendum, nec oporteret eſſe determinata inſtrumenta determinatarum actionum.*

Aug.

VI. *Secunda ſolutio impugnatur.*

Secunda etiam ſolutio, ſiue explicatio nihil iuuat. Nam licèt actio propria inſtrumenti non ſit realiter diſtincta ab actione, qua virtute principalis agentis attingit effectum, ſemper tamen eſt neceſſarium, quòd actio inſtrumenti procedens ab eo virtute propriæ formæ ſupponatur ad eleuationem principalis agentis; nec ſufficit, quòd illa actio inſtrumenti ſit ei propria ſecundùm generalem, & communem rationem actionis, ſed neceſſariò requiritur, quòd ſit ei propria ſecundùm rationem ſpecificam, & particularem, nam actio in communi non poteſt aſſumi, vt inſtrumentum ad particularem effectum; ſed oportet, vt actio illa ſit particularis. Vnde & cùm auctor ait, quòd idem actus, verbi gratia, amoris infuſi eſt à Deo principaliter infundente, & à voluntate inſtrumentaliter cooperante liberè, & vitaliter, in hac propoſitione, poteſt eſſe magna æquiuocatio. Nam vel intelligit, quòd actus amoris ſit à Deo, tanquam à prima, & vniuerſali cauſſa efficiente ordinis ſupernaturalis, & hoc

Digitized by Google

hoc veriſſimum eſt: ſi verò intelligat, vt intelligere videtur, quòd ille actus ſit à Deo, vt à cauſſa principali proxima eiuſdem actus, hoc falſum eſt: Nam cùm actus amoris ſit actio creata, & finita immanens in agente, impoſſibile eſt, quòd procedat immediatè à Deo tanquam à cauſſa principali proxima. Vnde oportet, quòd aſſignetur alia cauſſa principalis proxima, videlicet liberum hominis arbitrium, ſiue eius voluntas eleuata per habitum ſupernaturalem.

Secundò eſt neceſſarium ad rationem inſtrumenti, quòd operetur effectum principalis agentis eleuatum per ſolam motionem tranſeuntem eiuſdem agentis principalis: non autem per aliquam formam permanentem, ratione cuius habeat proportionem, & connaturalitatem cum eodem effectu, ſiue forma illa ſit naturalis, ſiue ſupernaturalis ordinis. Hæc conditio etiam requiritur à Sancto Thoma in inſtrumentis, pluribus in locis, ſed præſertim 3. *parte quæſtione 62. articulo 3. in corpore.* vbi docet, *quòd Sacramentum nouæ legis eſt inſtrumentalis gratiæ cauſſa, ſecundùm quandam inſtrumentalem virtutem, quæ eſt fluens, & incompleta in eſſe natura, vt infra dicetur.* Et remittit ſe *ad articulum 4. in corpore*, vbi ſic ait: *Inſtrumentum enim* (vt dictum eſt) *non operatur, niſi in quantum eſt motum à principali agente, quod per ſe operatur. Et ideo virtus principalis agentis habet permanens, & completum eſſe in natura: virtus autem inſtrumentalis habet eſſe tranſiens ex vno in aliud, & incompletum: ſicut & motus*

VII. *Inſtrumenti ſecunda conditio.*

eſt actus imperfectus, ab agente in patiens. Et idem docet *quæſtione* 3. *de potentia, articulo* 7. *ad ſeptimum.* vbi loquens de virtute artis, quæ eſt in inſtrumento artificis, ait: *Securi per artem dari potuit acumen, vt eſſet forma in ea permanens: non autem dari ei potuit, quòd vis artis eſſet in ea quaſi quædam forma permanens, niſi h..beret intellectum.* Quibus verbis apertè docet, quòd virtus artis per modum permanentis, ſolùm eſt in artifice, qui eſt cauſſa principalis proxima rei artificiatæ. In inſtrumento autem vis artis eſſe non poſſet per modum permanentis, & ſecundùm eſſe completum, ſed ſolùm ſecundùm quoddam eſſe incompletum, & tranſiens, eo modo quo ſunt colores intentionaliter in aëre.

Inſtrumenti conditio tertia.

Tertia conditio neceſſaria ad inſtrumentum, quæ ſequitur ex præcedentibus, eſt, quòd operetur ſolùm vt motum, ſiue in quantum mouetur à principali agente: non autem, vt ſe mouens à principio intrinſeco: Hic enim modus operandi eſt proprius cauſſæ principalis. Hæc conditio aſſignatur etiam à S. Thoma in illis verbis inductis ex 3. *parte. q.* 62. *articulo* 4. *Inſtrumentum non operatur, niſi in quantum eſt motum à principali agente, quod per ſe operatur.* Vbi illa particula, *niſi*, excludit omnem alium modum operandi præterquam ex motione principalis agentis, ac per conſequens excludit modum operandi, ſe mouendo, & ſe determinando à principio intrinſeco actiuo. Et clarius *in eadem quæſtione articulo* 1. *in corpore* explicans qualiter ſacramenta nouæ legis cauſſant gratiam, ſic ait: *Duplex eſt cauſſa agens, principalis, & inſtrumentalis.*

Digitized by Google

talis. Principalis quidem operatur per virtutem ſuæ formæ, cui aſſimilatur effectus: ſicut ignis ſuo calore calefacit. Et hoc modo nihil poteſt cauſſare gratiam niſi Deus, quia gratia nihil eſt aliud, quàm quædam participata ſimilitudo diuinæ naturæ, ſecundùm illud 2. Pet. 1. Magna nobis, & pretioſa promiſſa donauit, vt diuinæ ſimus conſortes naturæ. Cauſſa verò inſtrumentalis non agit per virtutem ſuæ formæ, ſed ſolùm per motum, quo mouetur à principali agente. Vnde effectus non aſſimilatur inſtrumento, ſed principali agenti ſicut lectus non aſſimilatur ſecuri, ſed arti, quæ eſt in mente artificis. Et hoc modo Sacramenta nouæ legis gratiam cauſſant. 2. Pet. 1.

VIII. *Inſtrumenti conditio quarta.*

Quarta conditio cauſſæ inſtrumentalis eſt quod eius operatio ſit tranſiens in exteriorem materiam, vel aliud ſubiectum, cuius ratio eſt, nam, vt ex præmiſſis conſtat, Inſtrumentum operatur ſolùm vt motum à principali agente; non autem, vt ſe mouens à principio intrinſeco actiuo, & multo minus operatur, vt ſe determinans ad effectum principalis agentis, ſed ſolùm ſecundum quod determinatur per motionem eiuſdem agentis principalis. Ergo actio inſtrumentalis in quantum huiuſmodi non poteſt eſſe immanens, ſed neceſſariò debet eſſe tranſiens, nam actio immanens procedit, vt à cauſſa principali & principio intrinſeco à potentia, in qua ſubiectatur.

Ex his manifeſtè concluditur, potentiam eleuatam per habitum infuſum non eſſe cauſſam merè inſtrumentalem, ſed principalem proximam operationis ſupernaturalis, nam deficiunt ei prædictæ conditiones, vt ſit cauſſa

merè inſtrumentalis. Præterea: nam cauſſa merè inſtrumentalis non ſe mouet, nec ſe determinat à principio intrinſeco actiuo ad effectum, quem producit: hoc enim eſt proprium cauſſæ principalis proximæ, vt ex ſupra dictis conſtat. Ergo.

IX. *Solutio. Cap. 7. cita. num. 8.* Ad hoc argumentum, & ad alia quæ pro hac ſententia adduximus *diſputatione 68. de Auxiliis allegata*, Reſpondet auctor: Habitum ſupernaturalem eſſe cauſſam proximam principalem ſupernaturalis actus: potentiam verò, quæ eleuatur per habitum eſſe cauſſam illius inſtrumentalem. Nec reputat inconueniens, quod adæquatum principium proximum ex inſtrumento, & aliqua virtute principali coaleſcat, quando talis eſt perfectio, vt per ſe, & proximè ab vtroque pendeat, propter varias, quas habet, conditiones, maximè quia & vitalis, & ſupernaturalis eſt. Vnde concludit, quòd illud principium poteſt dici mixtum ex vtroque, ſcilicet ex cauſa principali, & inſtrumētali.

X. *Impugnatio.* Sed hæc ſolutio non ſatis facit: arguitur enim contra illam. Primò, nam influxus, quo potentia eleuata per habitum infuſum influit in actum ſupernaturalem, non eſt duplex, ſed vnicus, & ſimplex, ſicut etiam actus eſt vnicus. Nec enim habitus habet alium influxum diſtinctum ab influxu potentiæ eleuatæ per habitum. Ergo principium effectiuum eiuſdem influxus non poteſt eſſe mixtum ex principali, & inſtrumentali. Secundò, nam habitus infuſus fidei, verbi gratia, non eſt qui credit, ſed ſuppoſitum

poſitum viuens, operans per intellectum eleuatum habitu fidei. Nam actiones non ſunt formarum, ſed ſuppoſitorum: habitus autem fidei ſolùm eſt principium formale proximum quo ſuppoſitum viuens, & eius intellectus credit. Ergo totũ ſuppoſitum & eius intellctus ſic eleuatus eſt cauſſa principalis proxima actus credendi. Tertiò, nam de ratione cauſſæ inſtrumentalis eſt, quòd operetur per ſolam motionem tranſeuntem principalis agentis, & non per formam permanentem proportionatam cum effectu, & eiuſdem ordinis cum illo, vt ſupra oſtenſum eſt. Ergo implicat, quòd homo, vel eius intellectus eliciat actum fidei per habitum infuſum permanentem, & producat illum, vt merum inſtrumentum, & non vt cauſſa ſecunda proxima, & principalis. Quartò, nam, vt ſupra oſtenſum eſt, de ratione cauſſæ inſtrumentalis eſt, quòd ſolùm operetur, vt mota à principali agente, non autem, vt ſe mouens, & ſe determinans à principio intrinſeco actiuo: ſed ſuppoſitum viuens & eius intellectus eleuatus habitu fidei operatur actum ſupernaturalem, non ſolùm, vt motum, ſed etiã, vt ſe mouens, & ſe determinans à principio intrinſeco actiuo: & idem eſt de actu charitatis. Nam licet habitus tribuens voluntati totam virtutem proximam actiuam ſupernaturalis actus non ſit de intrinſeca ratione potentiæ naturalis ſecundùm ſe conſideratæ: eſt tamen eidem connaturalis, ſecundùm quod per gratiam inſtificantem, vel per aliam formam ſibi inhærentem eleuatur totum ſuppoſitum ad ordi-

ordinẽ gratiæ: quoniã huiuſmodi habitus infuſi naturaliter conſequuntur ad gratiam iuſtificantem, ſicut potentiæ naturales, & vitales profluunt ab eſſentia animæ: Ergo neceſſe eſt dicere, quòd potentiæ naturales, ſecundùm quod eleuantur per habitus infuſos ſint cauſſæ principales proximæ, ſupernaturalium operationum, & non merum inſtrumentum. Aliàs enim ſequeretur, quod non operarentur eoſdem actus vt cauſæ vitales,& liberæ.

XI. Quod dictum eſt de potentiis eleuatis per habitum infuſum, dicendum eſt etiam de potentiis eleuatis per ſolum auxilium actuale præuenientis gratiæ, vel aliam formam ſupernaturalem tranſeuntem. Nam rationes factæ procedunt etiam de his actibus; illæ præſertim, quæ fundantur in ratione actus vitalis, & liberi ſupernaturalis ordinis, cui eſſentialiter competit, quòd procedat à principio intrinſeco actiuo ſe mouente, & liberè determinante virtute motionis ſupernaturalis, vt cauſſa proxima,& principalis eiuſdem actus. Nam cùm talis motio, ſiue auxilium præuenientis gratiæ ſit aliquid inhærens eiſdem potentiis, & antecedat eoſdem actus, tanquam principium formale, quo ipſæ potentiæ eoſdem actus eliciunt,ſupplet vicem habitus per ſe infuſi,ac per conſequẽs potentiæ eodem modo operantur virtute eiuſdem auxilij & ſpeciali motionis diuinæ, ac ſi operarentur eleuatæ per ſupernaturales habitus.

XII. Accedunt ad hoc aliæ duæ rationes ſpeciales.Nam etiam per auxilium præuenientis gratiæ abſque habitu eleuantur potentiæ vitales,& liberæ,

Digitized by Google

liberæ, & conſtituuntur in ratione potentiæ proximæ actiuæ actuum ſupernaturalium,& efficiuntur eiuſdem ordinis cum illis. Ergo tales actus procedunt efficienter à ſuppoſito viuente, & eius potentiis ſic eleuatis, tanquam à principio proximo actiuo ſe mouente, & liberè determinante virtute eiuſdē auxilij ſpecialis.Ergo ſunt cauſſa ſecunda eorū proxima,& principalis. Secunda ratio eſt. Nam etiam per huiuſmodi auxilium ſpeciale, & motionem tranſeuntem eleuantur potentiæ,& earum vires internæ ad actus quorum obiectum continetur intra totam latitudinem obiecti adæquati earundem potentiarum abſtrahendo ab obiecto proportionato, & improportionato:Etenim verum ſupernaturale,ſeu veritas prima, quæ eſt obiectum actus fidei, continetur ſub vero in communi, quod eſt obiectum vniuerſale,& adæquatum intellectus: Et quamuis intellectus noſter ſecundùm ſuam naturalem virtutem præcisè non habeat proportionem cum tali obiecto, cùm excedat totum ordinem naturæ:per auxilium tamē ſpeciale ſupernaturalis ordinis fit potentia proxima, & proportionata cum eodem obiecto; & idem eſt de voluntate comparatione boni diuini, quod eſt obiectum charitatis. Sed quotieſcumque aliqua potentia per formam,etiam tranſeuntem eleuatur ad aliquem actum, cuius obiectum continetur intra latitudinē vniuerſalis & adæquati obiecti eiuſdē potentiæ,producit eundem actū,vt ſecunda cauſſa proxima, & principalis illius, & non vt merū inſtrumētū.Ergo,&c.

Ad Primum argumentum ex factis à princi-

pio

XIII. cipio negatur antecedens: Ad probationem dicitur, ex verbis illis Apoſtoli non colligi, quòd ipſe non fuerit cauſſa ſecunda proxima, & principalis, ſed merum inſtrumentum actuum, quos operabatur virtute gratiæ. Potius enim colligitur oppoſitum, cùm ait, *Plus omnibus laboraui*, vtique, vt cauſſa proxima principalis, & libera earundem actionum virtute gratiæ, iuxta quod
1. Tim. 4. idem Apoſtolus ſcribens ad Timotheum ait: *Curſum conſumaui, fidem ſeruaui.* Cùm autem ſubdit: *Non ego, ſed gratia Dei mecum*, non ſignificat, quòd ipſe fuerit merum inſtrumentum earundem operationum, ſed quòd virtute gratiæ illa opera exequebatur, & non ex ſolis viribus naturæ, iuxta quod paulo ante præmiſerat: *Gratia Dei ſum id, quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed ſemper in me manet.* Quibus verbis,
S. Tho. ſup. c. 15. 1. ad Cor. lect. 1. in fin. ſicut explicat Sanctus Thom. ſignificat, *quia hoc non à ſe ſolo, ſed ex inſtinctu, & adiutorio Spiritus ſancti: & ideo dicit; Non autem ego ſolus operor, ſed gratia Dei mecum, qua mouet voluntatem ad hoc. Iſa.*
Iſai. 26. Philip. 2. *26. Omnia opera noſtra, &c. Philip. 2. Qui operatur in nobis velle, &c. Deus enim non ſolùm infundit gratiam qua noſtra opera grata fiunt, & meritoria, ſed etiam mouet ad bene vtendum gratia infuſa, & hæc vocatur gratia cooperans.* Hactenus Sanctus Thom.

Ad alium locum ex *cap. 8. ad Roman.* reſpondetur ſimiliter, quòd filii Dei aguntur à Spiritu ſancto, & agunt ſe mouentes à principio intrinſeco actiuo, vt dictum eſt. Nam
Aug. ſicut dicit Auguſtinus *lib. de correptione & gratia cap. 2. Aguntur, vt agant, non vt ipſi nihil agant.*

Digitized by Google

ligant. Et ideo ex illo teſtimonio potius colligitur, quòd voluntas mota à Spiritu ſancto,& eleuata per habitum charitatis, vel auxilium ſpeciale ſit cauſſa proxima principalis actus charitatis, & non merum inſtrumentum. Et idem dicendum de aliis actibus ſupernaturalibus.

XIV. Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd Sancti Patres, qui totum negotium ſalutis noſtræ tribuunt Deo, & gratiæ eius, ſic ſunt intelligendi, vt Deo tribuatur, vt cauſſæ primæ,& principali noſtræ ſalutis, & primo efficienti, atque vniuerſali omnium noſtrarum actionum,quæ ad ſalutem ordinantur:Ipſe enim eſt,*qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate,* vt dicit Apoſtolus. Cui conſonat illa definitio Concilij Arauſicani 2. *Can*.9. *Quoties bona agimus,Deus in nobis,atque nobiſcum, vt operemur operatur*. Non autem dicunt Patres, quòd Deus ſit cauſſa principalis, & proxima noſtrarum actionum ſupernaturalium, & potentiæ noſtræ eleuatæ per formam ſupernaturalem merum inſtrumentum, ſed potius ſentiunt oppoſitum,vt patet ex Sancto Auguſtino dicente: *Certum eſt nos velle cùm volumus,ſed ille facit, vt velimus bonum,*quē locum cū aliis cōſimilibus expendimus *diſputatione* 82. *de Auxiliis numer*. 3. Quod etiam confirmat ex illo, quod Dominus per Ezechielem ait: *Et dabo vobis cor nouum,& ſpiritum nouum ponam in medio veſtri:& auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.Et ſpiritum meum ponā in medio veſtri:& faciā,vt in præceptis meis ambuletis,*

Aug.li.de gratia & liber.arbit. c.16.

letis, & indicia mea cuſtodiatis, & operemini. Ex quibus verbis non obſcurè colligitur, internas vires noſtras, & potentias vitales Spiritus ſancti gratia renouatas, & tranſlatas ad ſupernaturalem ordinem eſſe cauſſas ſecundas proximas, & principales ſupernaturalium actionum, & non merum inſtrumentum, quamuis generali quadam ratione omnis cauſſa ſecunda etiam naturalis poſſit aliquo modo dici inſtrumentum Dei, vt ſupra explicatum eſt.

XV. Ad tertium argumentum reſpondetur, quòd Sanctus Thomas expreſsè docet noſtram ſententiam, vt conſtat ex locis ſuperius allegatis, neque alicubi dicit oppoſitum. Et ad locum inductum ex 2. 2. reſpondetur, quòd actus vitalis Prophetæ quo cognoſcit, vel prædicit aliqua futura poteſt conſiderari dupliciter. Primo modo, vt procedit efficiēter à principio intrinſeco eleuato per lumen Propheticum, & ſub hac ratione procedit à Propheta, vt à cauſſa ſecūda proxima principali, ſecundū illud 1. Cor. 14. *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiecti ſunt.* Secundo conſideratur, quatenus pertalē actum intendit Deus ſignificare aliquid aliud à ſenſibus, & communi cognitione hominum occultum, & aliquando ipſis etiam proferentibus incognitum, ſicut in eodem articulo dicit Sanctus Thomas, & ſub hac conſideratione induit rationem inſtrumenti. Poteſt hoc explicari alio exemplo ſatis noto: Etenim Sacerdos proferens verba conſecrationis panis eſt cauſſa ſecunda principalis proxima eorundem verborum ſecundùm eſſe phyſicum intra ordinem naturæ; ſi autem conſi

Prophetia conſideratur dupliciter.

conſiderantur eadem verba, quatenus concurrunt ad conuertendum ſubſtantiam panis in corpus Chriſti tribuuntur Sacerdoti, ſolùm vt cauſſæ inſtrumentali. Nam cauſſa principalis eiuſdem conuerſionis eſt ſolus Deus, cuius virtute fit tranſubſtantiatio: & idem dicendum proportionabiliter de ſacerdote proferente verba abſolutionis, per quam cauſſatur gratia.

Secundò reſpondetur, quòd Sanctus Thom. loco inducto intelligendus eſt de inſtrumento communiter dicto, ſecundùm quod omnes cauſſæ ſecundæ, etiã principales induunt quandam rationem inſtrumẽti in ordine ad primam, & vniuerſaliſſimam cauſſam, vt ſæpè docet S.D.

Tertiò reſpondetur, eſſe multo magis certum, quòd potentiæ eleuatæ per habitum, vel aliam formam permanentem ſint cauſſæ ſecũdæ proximæ, & principales actuum ſupernaturalium, quàm dum eleuãtur ſolùm per motionem tranſeuntem, ſicut eleuantur Prophetæ. Vnde etiam dato, & non conceſſo, quòd Propheta eſſet cauſſa inſtrumentalis Prophetiæ, non ſequitur, quòd habens habitum charitatis, ſit cauſſa merè inſtrumentalis actus charitatis.

Ad quartum argumentum reſpõdetur, quòd licet potentia naturalis præcisè ſumpta non habeat virtutem ſufficientem ad eliciendum actum infuſum, eam tamen habet, quatenus eleuatur per habitum ſupernaturalem, vel aliam formam eiuſdem ordinis cum actu. Nam licet huiuſmodi habitus non ſit intrinſecus potentiæ ſecundùm ſuum eſſe naturale, quia non fluit ex eius principiis naturalibus, eſt tamen intrinſecè XVI.

fluens à gratia iuſtificante, per quam eleuatur homo ad eſſe ſupernaturale, vt ſupra dictū eſt. Sicut enim gratia iuſtificans datur ad eſſe ſupernaturale, quod conſiſtit in quadam participatione diuinæ naturæ, vt dicitur 2.*Petri* 1. ita habitus infuſi fluentes à gratia dantur ad operationem proportionatam cum tali eſſe ſupernaturali. Et ideo potentiæ naturales eleuatæ per huiuſmodi habitus ſunt cauſſæ ſecundæ principales actuum ſupernaturalium modo connaturali ſuppoſito, vt eleuato ad eſſe ſupernaturale. Et mirum eſt, quòd arguens affirmet aquam, vt eleuatam per calorem receptum ab extrinſeco agente, eſſe cauſſam principalem calefactionis, quod tamen nos non concedimus; & velit, quòd intellectus, & voluntas eleuata per habitus infuſos ſint cauſſæ merè inſtrumentales actuum ſupernaturalium.

XVII. Ad quintum argumẽtum reſpondetur, quòd etiam de potentia Dei abſoluta eleuari non poteſt potentia naturalis, vt eliciat actum ſupernaturalem, niſi eleuetur per habitum infuſum, vel motionem naturalem ſibi inhærẽtem, quæ ſupplet vicem habitus, vt *diſp.* 67. *de Auxiliis* probaui ex profeſſo. Vbi etiam argumentis, quæ in contrarium obiiciuntur, reſpondi. Et cùm inſtatur, nam totus influxus habitus in actum eſt merè effectiuus, reſpondetur, quòd habitus infuſus non eſt per ſe principium quod efficiens actus, ſed principium proximum, quo potentia naturalis eleuatur, vt informata eodem habitu alliciat actum vitalem. Vnde talis actus, & eius vitalitas dependet ab habitu ſupernaturali non

Obiectio.

ſolùm

Digitized by Google

ſolùm in genere cauſſæ efficientis, ſed etiam in genere cauſſæ formalis quam Deus per ſe ipſum immediatè ſupplere non poteſt.

Ad ſextum argumentum negatur maior. Ad probationem dicitur, quòd habitus infuſus potentiæ non immutat natiuam vim potentiæ, quantum ad modum operãdi vitaliter, & liberè: transfert nihilominus potentiam naturalẽ ad ſupernaturalẽ ordinẽ, & tribuit illi, vt quo; totam virtutem proximam actiuam, vt dictũ eſt. Vnde efficere poteſt, vt influxus ille, quatenus immediatè oritur à potentia eleuata per eundem habitum inhærentem ſit ſupernaturalis, & ſuperioris ordinis ab influxu, quem eliceret ſine tali forma ſupernaturali. Etenim, vt *d. 67. de Auxiliis* oſtendimus, impoſſibile eſt, quòd Deus immediatè per ſe ipſum, & aſſiſtentiam extrinſecam eleuet potentiam, vt eliciat actum ſupernaturalem, niſi tribuat aliquod principium ſupernaturale eidem inhærens, quo eundẽ actũ efficiat.

Ad primam confirmationẽ reſpõdetur, quòd potentia informata habitu infuſo influit in actũ per poteſtatem actiuam ſibi cõnaturalem, & innatam, quatenus per habitum infuſum fit proximè potens efficere actum ſupernaturalem, tanquam principium effectiuum proportionatum cum eodem actu; non autem influit etiam vt cauſſa partialis immediatè per ſuam naturalem, & innatam virtutẽ. Vnde vt ſic eleuata agit per potentiam ſibi connaturalem, & proportionatã cum actu, & non per ſolã potentiã obedientialẽ. Ad cuius maiorem explicationẽ aduerte, quòd potẽtia naturalis conſideratur dupliciter. Primò XVIII. *Not.*

in ordine ad habitũ infuſũ, quẽ in ſe recipit,& per quem cõſtituitur proximè in actu primo in ordine ad actũ ſupernaturalem; & hæc potentia ſub hac ratione eſt potentia obedientialis paſſiua,quia ſub hac ratione non ordinatur immediatè ad agendum,ſed ad recipiendum habitum à ſolo Deo productum. Omne enim recipiens aliquam formam,in quantum huiuſmodi, habet ſe paſſiuè, & materialiter in ordine ad illam formam. Secundò poteſt conſiderari, quatenus eleuatur per habitum infuſum, & conſtituitur in ratione potentiæ proximæ actiuæ, & ſub hac ratione operatur actum ſupernaturalem per potentiam proximam actiuam proportionatam, & connaturalem cum illo. Et ideo eſt cauſſa principalis eius,& non merum inſtrumentum. Et per hæc reſpondetur ad ſecundam confirmationem, quod potentia naturalis, vt eleuata per habitum, ſit potentia connaturalis cum actu ſupernaturali, & eiuſdẽ ordinis cum illo, & vt ſic eſt potentia principalis actiua eiuſdem actus,& operatur illum,vt cauſſa proxima principalis actiua, & non per ſolam potentiam obedientialem. Quid autem ſit potentia obedientialis,& an ſit naturalis, vel ſupernaturalis, tangitur à S.Thoma *3. part.q.11.art.1.in corpore, & de veritate,q.8.art.4.ad 13.* Breuiter dicimus, quòd potentia obedientalis, quam habet homo in ordine ad gratiam iuſtificantem, & ad alios ſupernaturales habitus,eſt quidem naturalis entitatiuè, quia ſecundùm entitatem non diſtinguitur ab eius natura; naturaliter enim eſt Deo ſubiecta, vt in ea,& de illa fiat quidquid Deus voluerit.

Ad 2. Conf.

voluerit. Vnde S. Auguſt. ait: *Poſſe habere fidem, ſicut & poſſe habere charitatem, natura eſt hominum:* formaliter autem eſt potentiæ ſupernaturalis, quia dicit ordinem ad formam, & agens ſupernaturale, vt in præallegatis locis docet Sanctus Thomas. *Auguſt.*

Vtrum vitalitas actus ſupernaturalis procedat efficienter, vt quo, ab habitu, vel auxilio ſupernaturali, an verò à ſola potentia ſecundùm ſuam innatam, & naturalem virtutem.

CAPVT II.

QVIDAM Doctor Theologus, qui poſt librum noſtrum *de Auxiliis*, de gratia ſcripſit, vehementer impugnat ea, quæ dixi in *eodem lib. diſp.* 64. Et vt ſuam proferat ſententiam, inquit: *Habitus infuſos non poni, vt ſint totalia principia proxima ſupernaturalium actuum, ſed vt iuuent potentias ad eliciendum tales actus, immediatè etiam, & per ſe ipſas in illos influendo.* In quibus verbis poteſt eſſe magna æquiuocatio: quæ vt appareat clarè, & in quo diſſenſio conſiſtat, aperienda eſt. Dupliciter enim poteſt intelligi, quòd habitus iuuent potentias ad eliciendum actus. Primò ita, vt potentia ipſa naturalis ſecundùm principia ſibi intrinſeca habeat aliquam virtutem proximam actiuam, qua, vt cauſſa partialis attingat cum Deo cooperante

I. *P. Suarez l. 6. de eſsētia gratiæ c. 5. tom. 3.*

Habitus tripliciter poſſunt iuuare potentias.

per gratiam actum ipſum ſupernaturalem. Secundo modo poteſt intelligi, habitum ſupernaturalem iuuare potentiam naturalem, ſupponendo ex parte ipſius proximam virtutem actiuam, qua etiam ſine habitu poſſit producere actum ſecundùm ſubſtantiam, quamuis non ſecundùm facilitatis, vel cuiuſlibet alterius perfectionis. Et ſic habitus acquiſiti iuuant potentias, vt facilius, & perfectius valeant ſuos actus producere, quos tamen ſecundùm ſubſtantiam poſſunt etiam abſque habitu elicere, quamuis non ita facilè, ita promptè, & delectabiliter. Tertiò, poteſt habitus, vel auxilium aliquod iuuare potentiam, eleuando illam vltra totam ſphæram ſuæ actiuitatis naturalis, & conſtituendo illam formaliter in ratione actiuæ potentiæ proximæ comparatione actuum ſupernaturalium, ita nimirum, vt eoſdem actus elicere non valeat, etiam ſecundùm ſubſtantiam, & vitalitatem proximam, quam habent, niſi vt eleuatur per formale principium ſupernaturale. Et hoc tertio modo nos diximus in *illa diſp.* 64. & modò iterum dicimus, habitus ſupernaturales iuuare potentias naturales: non autem primo, vel ſecundo modo. Auctor verò ſententiæ contrariæ videtur ſentire, habitus ſupernaturales iuuare potentias naturales primo, vel ſecundo modo: non autem hoc tertio, vt eius argumenta ſignificant.

Arguit ergo primò pro ſua ſententia. Nam Concilium Tridentinum *ſeſſ.6. Can.4.* damnat dicentes, liberum arbitrium in his actibus nihil omnino agere. Ex qua definitione apertè colligitur

gitur

gitur, voluntatem cùm amat ſupernaturaliter, vel ſperat, verè, & propriè efficere illos actus, vnde fit idem cum proportione eſſe dicendum de intellectu reſpectu actus fidei.

II. Dicetur fortaſſe voluntatem efficere amorẽ, quia habet in ſe habitum charitatis, qui eſt principiũ formale illius amoris, quamuis ipſa voluntas per ſe non habeat propriũ influxum in illum actũ; ſicut aqua calida calefacit, & verè agit, licèt tota ratio calefaciẽdi ſit calor: Hoc enim exemplo vti ſolent auctores contrariæ ſententiæ.

Contra hanc ſolutionem ſic argumentatur, nam hoc, nec verbis, nec menti Concilij ſatisfacit, nec ſecundùm veram rationem Philoſophicam poteſt ſubſiſtere. Etenim ille modus agendi per formam extrinſecus receptam non tranſcendit modum agendi inanimatorum, vt ex eodem exemplo adducto manifeſtum eſt. Et ratione probatur, quia recipere formam extrinſecus immiſſam, non eſt actus vitæ, quia non conſiſtit in agendo, ſed in recipiendo, actus autem vitæ intrinſecè includit efficientiam, vt ex philoſophia conſtat, & ex Ariſtotel. 2. *de anima c.1.& 2.* Vbi vitam accidentalem in operatione conſtituit, & 1. *Politic. c.3.* Igitur receptio formæ extrinſecæ non eſt actus vitæ. Ergo quãdo effectus ab illa forma manat tanquam à totali principio agendi, ſubiecto per ſuas facultates proprias nihil actiuè influente in talem effectum, ille modus agendi non tranſcendit gradũ inanimatorũ, quia illa actio tota eſt à principio extrinſecus adueniente: & ideo reperiri poteſt in aqua calefaciente, & Luna agente per lumen *Ariſtotel.*

Digitized by Google

receptum à Sole,& in aliis inanimatis. At Concilium Tridentinum, dicit liberum arbitrium in his actibus agere non vt inanime. Ergo non agit per ſolam formam extrinſecus acceptam, qualis eſt habitus charitatis, ſed etiam influendo per ſuas internas, & vitales facultates: nam hoc eſt propriè agere vitaliter, & non vt inanime. Imo ſi quis rectè conſideret, quando vna ſubſtantia dicitur agere per formam extrinſecus illi inditam, ſolũ denominatione dicitur agere; imo & per accidens,ſi ſermo ſit de ſubſtantia abſolutè,& non vt eſt ſub forma extrinſecus recepta; vt in exẽplo poſito aqua dicitur calefacere per accidens iuxta doctrinam Ariſt.2.*Phyſicor.c.* 3.*text.*25.*&* 5.*Metaph. c.*2.quia eſt ſubiectũ,cui accidit forma, quæ eſt principium calefaciendi. Calidum autem,ſeu aqua, vt calida,eſt cauſſa per ſe, non inſtrumentalis, vt quidam malè loquũtur,ſed principalis proxima,quia calor eſt propria,& ſufficiens virtus calefaciendi,ergo ſimiliter in præſenti, ſi habitus infuſus eſſet tota ratio agendi, cùm ille accidat voluntati, verbi gratia, voluntas erit tantùm cauſſa per accidens talis actus. Voluntas autem, vt informata habitu, poterit quidem dici cauſſa per ſe, modo tamen communi inanimatis, non tamen proprio viuentium, qui eſt ab intrinſeco, & per ſe per internam facultatem operari. Declarat tandem exemplo, nam ſi potentia viſiua informata ſpecie intentionali non ipſa per ſe influeret in viſionem,ſed per ſolam ſpeciem,tanquam per rationem integram agendi viſionem efficeret, non operaretur proprio modo viuentium, id

Trident.

Ariſtot.

id eſt, vitaliter. Et hac ratione præcipuè impugnat Philoſophos dicentes, viſionem eſſe à ſola ſpecie, quia tunc non eſſet actus vitæ. Ergo ſimiliter in propoſito, ſi noſtræ potentiæ non per ſe influunt in actus infuſos, ſed tota ratio producendi illos ſunt habitus, tales nec vitali modo, & proprio viuentium fiunt, neque actus vitales dici, aut exiſtimari poſſunt.

Secundò argumẽtatur contra diſtinctionem illam duplicis vitalitatis, videlicet vitalitatis remotæ, ſeu fundamentalis, quæ prouenit ab anima, vt à principio vitæ naturalis: & vitalitatis proximæ, quæ prouenit ab habitu ſupernaturali, vel ſpeciali auxilio ſupplente vicem habitus. Etenim in actu ſupernaturali reperiri non poteſt hæc duplex vitalitas, ſi loquamur de vitalitate actuali, quæ denominat actum vitalem. Ergo per diſtinctionem illam non ſufficienter intelligitur, nec explicatur, qualiter noſtrum liberum arbitrium aliquid ex ſe ipſo operetur, hoc eſt, à principio intrinſeco actiuo, dum conſentit Deo excitanti, & vocanti, ſi vitalitas proxima actus ſupernaturalis tota procedit à formali principio ſupernaturali: Ergo. Antecedens probatur, nam hæc vitalitas actualis ſupernaturalis actionis non poteſt eſſe aliud, niſi ipſamet actio, quatenus eſt dependens à principio vitæ: tum quia ibi non eſt alius modus, vel aliquid aliud, à quo poſſit actus denominari vitalis: tum etiam, quia poſita tali dependentia, neceſſariò actus eſt vitalis, & illa ablata deſinit eſſe vitalis: ſed eſt vnica dumtaxat dependentia ſimplex eiuſdem actus à ſuo adæquato principio.

Nam licèt illud principium poſſit eſſe proximũ, & remotum,& ipſum proximum poſſit ex multis quaſi partialibus conſtare, vt principiũ proximum videndi ex viſu,& ſpecie; nihilominus dependentia actus vnica eſt,& ſimplex;quia tota eſt à toto principio.& tota à ſingulis partibus eius; quia terminus illius actionis non pendet ſecundùm vnam partem ab vno principio, & ſecundùm aliam ab alio:ſed totus pẽdet, & manat à ſingulis, & ideo dici ſolent illa principia partialia partialitate cauſſæ, non effectus, quia actio tota, & dependentia eſt à ſingulis. Eſt ergo vnica, & ſimpliciſſima: Ergo etiam vitalitas eſt vnica: fruſtra ergo in proximam, & remotam diſtinguitur.

Confirmatur. Actio quælibet ſupernaturalis eſt vnica,& ſimpliciſſima actio.Ergo vitalitas illius, cùm identificetur cum eodem actu, erit etiam vnica, & ſimpliciſſima. Non ergo diſtinguenda eſt in eodem actu duplex vitalitas,quarum altera procedat ab anima, vt à principio fundamentali, & remoto; alia verò,quæ procedat ab habitu ſupernaturali, vt à principio proximo: Aliàs actus ille eſſet compoſitus ex duplici vitalitate,& entitate, altera naturali, altera ſupernaturali, quod eſt contra auctorem oppoſitæ ſententiæ.

Tertiò argumentatur. In actu ſimplici ſupernaturali, quo ad ſubſtantiam nihil eſt,quod ſupernaturale non ſit, ſicut dictus auctor de vitalitate proxima argumentabatur. Omnia enim, quę affert ad probandum,vitalitatem proximam in actu ſupernaturali eſſe ſupernaturalem, probant

bant etiam vitalitatem remotam eſſe ſupernaturalem, ſuppoſito, quòd ſit aliquid intrinſecum actui. Quòd ſi talis vitalitas ſupernaturalis eſt, quomodo dicitur prouenire ab anima ſecundùm ſuam naturalem virtutem? Profectò hoc non videtur conſtanter, & conſequenter dici: nam argumenta, quæ obiiciuntur ad probandũ, vitalitatem proximam non poſſe procedere à potentia naturali, etiam idem probant de vitalitate remota, ſi vtraque ſupernaturalis eſt. Ergo vel neutra vitalitas conuenit actui ſupernaturali in ordine ad principium naturale, vel quod eſt verum, vtraque poteſt eſſe à principio naturali adiuto à ſupernaturali.

Quartò ſic argumentatur, Si actus infuſus habet vitalitatem remotam reſpectu animæ, vt eſt principium ſubſtantialis vitæ, ergo neceſſe eſt, vt habeat vitalitatem proximam per emanationem à potẽtia naturali, quæ fluit ab illo principio ſubſtantialis vitæ. Probatur conſequentia, quia vitalitas non eſt, niſi emanatio actus à principio vitæ: hæc autem emanatio non poteſt eſſe remotè à principio ſubſtantiali vitæ, niſi ſit proximè à principio accidentali fluente à principio ſubſtantiali: quia fructus non poteſt remotè tribui radici, niſi procedat à ramo radici coniuncto, neque nepos poſſet remotè procedere ab auo, niſi immediatè fuiſſet genitus à patre generato ab auo.

Quintò probat, actum non poſſe habere vitalitatem proximam à forma extrinſecus indita, tanquã à totali principio proximo actus, quia illa forma non procedit ex principio vitali intrin-

ſeco:

ſeco: ergo actus ex vi ſolius emanationis ab illa forma nullo modo eſt à principio ſubſtantiali vitæ, nec proximè, vt ſupponitur, nec remotè, quia illud principium proximum non eſt deriuatum à principio ſubſtantiali vitæ.

Confirmatur. Nam propter hanc rationem viſio beata non poteſt eſſe vitalis ex eo præcisè, quòd procedat ab eſſentia diuina, vt vnita per modum ſpeciei, & ſimiliter viſio corporea non habet, quòd ſit vitalis ex eo, quòd procedat ab ſpecie, neque etiam ex eo, quòd procedat à lumine, ſi fortaſſe lumen etiam requiritur ex parte potentiæ: quia tam ſpecies, quàm lumen non ſunt facultates prouenientes à vita ſubſtantiali, ſed extrinſecus adueniunt. Et ideo actio, vt eſt præcisè ab illis, nõ manat vllo modo ex principio ſubſtãtiali vitæ, neq; proximè, neque remotè. Ergo vt ſit vitalis remotè reſpectu talis principij, neceſſe eſt, vt ſit vitalis proximè à facultate radicata, & fluente à principio remoto. Ergo ſimili modo, vt actus infuſus ſit vitalis, nõ ſatis eſt, quòd procedat ab habitu infuſo, qui ab extrinſeco prouenit, ſed oportet, vt proximè etiam manet ab ipſa potentia vitali. Ergo ſolus habitus non poteſt eſſe integrum principium formale, & proximum eliciendi illum actum, ſed potentia cum habitu.

V. Sextò. Si lumen gloriæ, verbi gratia, eſt totum principium proximum vitale ſine vllo influxu intellectus, ſequitur quòd ſit propria potentia actiua, quia eſt tota facultas operandi. Ergo nulla ratio eſt, cur conſtituatur in intellectu potiùs, quàm in ſubſtantia animæ,

quia

quia per ſe eſt ſufficiens principium actiuum intelligendi.

Septimò. Actus charitatis viæ non habet, quòd ſit liber per habitudinem ad habitũ charitatis, ſed per habitudinem ad voluntatem. Nam habitus non eſt formaliter liber, ſed ſolùm quatenus eſt in potentia libera, quæ poteſt vti, & non vti habitu, prout vult. Illud enim generale pronuntiatum: *Habitibus vtimur, cùm volumus*, etiam in habitibus infuſis locum habet. Ergo ipſamet actio habitus charitatis libera eſt per habitudinem ad voluntatem: ergo illa habitudo eſt ad voluntatem, vt ad principiũ proximum actiuum eiuſdem actus, quia hoc poſtulat ratio libertatis: ergo non eſt habitus charitatis totale principium actiuum proximum illius actus. Et eadem ratio eſt de omnibus aliis habitibus infuſis: ergo ſimiliter idem actus amoris non habet, quòd ſit vitalis per habitudinem ad habitum charitatis: ſed per habitudinem ad voluntatem. VI.

Confirmat hoc primò: quia de ratione amoris eſt, vt ſit intrinſecè voluntarius; quòd non minus conuenit amori infuſo, quàm naturali. Non poteſt autem eſſe voluntarius, niſi ſit ab ipſa voluntate factus. Ergo non poteſt habitus charitatis eſſe integrum principium amoris, ſine cooperatione voluntatis. Maior eſt D. Thomæ, 2. 2. *qu.* 25 *art.* 2. Minor probatur ex ratione voluntarij, quæ eſt, vt procedat à principio intrinſeco, ſuppoſita cognitione, vt tradit D. Tho. 1. 2. *quæſt.* 6. *art.* 1. *&* 2. ex Ariſt. Damaſc. & Nemeſio; explicátque principium illud debere

eſſe

Ariſtot. eſſe actiuum. Sic enim dixit expreſsè Ariſtot. 3. *Ethic. cap.* 1. *Id ſponte fieri, cuius principium eſt in agente.*

Confirmat ſecundò. Nam hac eadem ratione vtitur D. Thomas 2.2.*quæſt.*23.*art.* 2. vt probet, amorem charitatis non poſſe eſſe in nobis à ſolo Spiritu ſancto; ita vt humana mens ſit mota tantùm à Spiritu ſancto, & nullo modo ſit principium huius motus. *Hoc enim eſt* (inquit) *contra rationem voluntarij, cuius oportet principium in ipſo eſſe. Vnde ſequeretur, quòd diligere non eſſet voluntarium, quod implicat contradictionem, cùm amor de ſui ratione importet, quòd ſit actus voluntarius.* Quo diſcurſu probat quidem D. Thom. motum amoris non poſſe immediatè eſſe à ſolo Spiritu ſancto, veruntamen æquè efficaciter concludit, non poſſe eſſe à ſolo Spiritu ſancto medio habitu charitatis tanquam totali principio proximo: nam ſic etiam amor eſſet in voluntate, & non ab illa, & in rigore eſſet à ſolo Spiritu ſancto mouente, ſaltem mediatè, quia ſolus Spiritus ſanctus infundit habitum, & habitus ſolus facit actum, tanquam principium per ſe illius, ſicut calefactio, quæ eſt ab aqua calida, vltimatè reducitur in ſolum ignem, qui calefacit aquam, quia calor ei immiſſus eſt totale principium alterius calefactionis: ergo dicendum eſt, habitus infuſos non poni, vt ſint totalia principia actuum, ſed vt intrinſecè adiuuent potentias, eáſque eleuent ad altioré modum agendi, ita tamen, vt actio etiam ab ipſis potentiis immediatè, & tanquam à principio per ſe prodeat.

Hæc

Digitized by Google

Hæc tamen argumenta partim laborant in æquiuoco, quia non diſtinguunt inter principiū, quo, ſupernaturalis actus, & principium quod principale proximum eiuſdem actus: & videntur ſupponere in noſtra ſententia, vt impugnét id, quod nos non aſſerimus: Partim verò probare contēdunt id, quod obiicienti nō negatur, ac demum inter ſe pugnantia cōtinent. Et dum arguens noſtram ſententiam impugnare contendit, in eam tandem relabitur. Quod vt euidenter appareat, ſupponendum eſt primò ex dictis *diſputatione 64. de Auxiliis*, quòd quamuis voluntas, v. g. eleuata per habitum charitatis ſit vnicum principium effectiuum ſupernaturalis actus, & cauſſa principalis proxima illius, ſiue homo ipſe per voluntatem ſic eleuatam operans; nihilominus ibi diſtinguere oportet principium, quod proximum, & principale, quod eſt totum ſuppoſitum, ſeu liberum eius arbitrium eleuatum per formam ſupernaturalem, & principium formale, quo voluntas operatur. Vnde ipſa operatio ſupernaturalis ſecundùm omnem entitatem, & rationem formalem, aut perfectionem, quam habet, producitur efficienter ab homine, ſeu ab eius voluntate, & tota etiam producitur efficienter ab habitu, vel alio principio ſupernaturaliter tamen, & aliter. Etenim à ſuppoſito operante per voluntatem ſic eleuatam producitur, vt à principio quod, & vt à cauſſa principali proxima: nam, vt dicit Ariſtoteles, actiones ſunt ſuppoſitorum, non autem formarum. Cæterùm ab habitu ſupernaturali producitur efficienter actus VII. *Nota. 1.*

ſuper

ſupernaturalis, vt à principio formali quo tribuente homini, & eius voluntati totam virtutem proximam actiuam comparatione eiuſdem actus ſupernaturalis: quia voluntas ex ſolis ſuis principiis naturalibus nullam prorſus habet virtutem proximam actiuam ſupernaturalis actus. Nec poteſt arguens hoc fundamentum negare, cùm expreſsè illud admittat *lib.3. de Auxiliis diuinæ gratiæ c.15.nu.*20. vbi ſic ait; *Cùm actus virtutis per ſe infuſæ* (de hac enim loquitur:) *ſit ſupernaturalis, quoad ſubſtantiam, & totam entitatem ſuam, non poteſt voluntas, quæ eſt potentia inferioris ordinis, habere virtutem aliquam connaturalem, quæ natura ſua ſit effectrix talis actus, nec vt cauſſa totalis, neque vt partialis. Tum etiam, quia ſi voluntas ex ſe haberet talem actiuitatem naturalem, haberet etiam connexionem cum ordine gratiæ quodammodo connaturalem, vel ratione ſuæ naturæ ſibi debitam: quia omnis virtus naturalis actiua, etiamſi inchoata ſit, poſtulat ab auctore naturæ concurſum, & complementum proportionatum, vt operari poſſit. Atque ita fit, vt gratia non omnino ſit gratia, ſi eſt aliquo modo debita. Denique voluntas in his actibus non operatur, niſi vt eleuata ad ſuperiorem ordinem operationum, & effectuum, qui nullo modo ei debentur ex natura ſua: neque etiam concurſus ad tales actiones præſtandas. Quotieſcumque autem creatura ſic operatur, agit vt inſtrumentum Dei, & quamuis per ſuam entitatem agat, non tamen ex vi naturali, ſed ex obedientiali, ſicut eleuatur intellectus creatus ad videndum Deum. Neque hic modus agendi repugnat reſpectu actus vitalis, quia vnamquamque facultatem Deus eleuare poteſt modo illi accommodato.* Hæc ille. Et idem dicit

Digitized by Google

dicit de actu libero. Et *lib.6.de eſſentia gratiæ c.5. nu.15.* ingenuè fatetur, *Potentiam non agere* actus ſupernaturales, niſi eleuatam per habitum, vel aliud principium æquiualens.

VIII. Quo fit, vt potentia ipſa naturalis eleuata per habitum, ſiue homo operans per potentiam ſic eleuatam verè dicatur, & ſit cauſſa principalis proxima, quæ operatur actum ſupernaturalem, etiam in quantum eſt vitalis, & liber: habitus autem, ſolùm ſit principium formale proximum, quo eleuatur, & operatur talem actum, non ſolùm quantum ad ſubſtantiam, ſed etiam quantum ad vitalitatem, & libertatem, quam habet. Nam habitus non eſt ſuppoſitum operans actum ſupernaturalem, ſed forma, ſeu principium proximum, quo agens operatur.

Nota. 2. Secundò ſupponendum eſt, quòd vt aliqua potentia poſſit eleuari ad ſupernaturales actus vitales, & liberos, ſupponi debet ex ipſis principiis intrinſecis naturæ, quæ eleuatur, vt habeat vitam ſubſtantialem, & potentiam vitalem, & liberam: quia ſolùm huiuſmodi potentiæ ſunt capaces, vt perficiantur, & eleuentur ad ſupernaturalem ordinem per tales habitus infuſos, ſicut dicit Auguſtinus: *Poſſe habere fidem, naturæ eſt hominum: habere autem, eſt gratia fidelium.* Ideò enim lapis eleuari non poteſt, vt videat Deum, vel actus ſupernaturalis charitatis, & aliarum virtutum efficiat, quia natura ſua nullam habet vitam ſubſtantialem vel potentiam vitalem, quæ ſit capax recipiendi huiuſmodi habitus, vel eliciendi per illos vitales actus ſupernaturales, & liberos. Et hæc vita ſubſtantialis, ſeu vitali-

Nota. *Auguſt.*

tas eſt fundamentalis, & remota, quia ſupponitur à natura, vt potentiæ rationales vitales eleuentur per ſupernaturales habitus, vel aliam formam æquiualentem ad ſupernaturales actus producendos.

IX. Dicendum eſt ergo, ſicut *diſput.* 64. diximus, quòd vita ſubſtantialis, & vitalitas remota, quæ ſupponitur in natura, vt eius potentiæ eleuentur per habitus ſupernaturales ad actus vitales, pendet ab anima, quæ formaliter tribuit eſſe viuentis vitæ rationali, & à qua potentiæ profluunt, quæ eleuantur per ſupernaturales habitus. Cæterùm vitalitas proxima, quæ formaliter reperitur in actibus per ſe infuſis, tota procedit, vt quo ab habitu, vel alia forma ſupernaturali, quamuis, vt quod, procedat efficienter à toto ſuppoſito, ſiue à potentia rationali eleuata per ſupernaturalem formam. Oportet ergo diſtinguere inter principium, quòd ſupernaturalis actus, & principium, quo formale. Et dicendum, quòd vitalitas ſupernaturalis actus tota procedit à ſuppoſito operante per potentiam eleuatam per habitum ſupernaturalem, tanquam à principio quod, & à cauſſa proxima efficiente, ſicut etiam totus actus procedit ab eo: nec de hoc poteſt eſſe differentia inter Catholicos. Tota difficultas eſt, an vitalitas proxima, & formalis, quæ reperitur in actu ſupernaturalis charitatis tota procedat, vt quo, ab habitu charitatis, vel alia forma ſupernaturali: ita nimirum, vt voluntas ex ſola ſua naturali virtute nullũ habeat influxum etiam, vt cauſſa partialis in actum charita-

Nota.

tis,

tis, vt eſt vitalitas tali vitalitate, ſeu vita ſupernaturali, ſed tota virtus proxima attingendi eundem actum ſub eadem ratione communicetur illi ab habitu, vel alio principio ſupernaturali.

Nos ergo partem defendimus affirmatiuam, quam etiam docuimus *diſput. 64. de Auxiliis allegata*, & eam ibi probauimus pluribus rationibus, quas breuiter attingere in præſenti decreuimus, vt ex ſolutione, quæ illis adhibetur, earum efficacia magis appareat. X.

Prima ratio eſt: Vitalitas proxima, & formalis viſionis beatificæ, vel actus charitatis tota eſt ſupernaturalis, ſicut & ipſe actus. Ergo tota procedit, vt quo ab habitu ſupernaturali. Ergo potentia naturalis non habet proximam virtutem actiuam illius actus, niſi vt eleuatur per habitum, vel formam ſupernaturalem. XI. *Prima rat.*

Reſpondet Auctor ſententiæ cōtrariæ. Dato antecedente, negatur conſequentia; quia hæc vitalitas nihil eſt, niſi actio, vel depēdentia, quæ licèt in ſe ſupernaturalis ſit, poteſt immediatè fluere à potētia eleuata modo ſuperius allegato. *Cap. 5. allegat. nu. 19.*

Sed hæc ſolutio vim argumenti nō euacuat. Nā tam actio ipſa, quā eius vitalitas tota eſt ſupernaturalis. Ergo pendere non poteſt à potentia naturali, niſi quatenus eleuatur per formam, vel habitum ſupernaturalem, ac per conſequens talis habitus ſupernaturalis eſt totale principium quo proximum eiuſdem vitalitatis, & dependentiæ, quam habet à potentia naturali. *Solutio.* *Impugnatio.*

Confirmatur argumēto ad hominē. Nā auctor huius ſolutionis faetur, potentiam naturalem ſecundùm ſe nullā habere virtutem proximam,

Digitized by Google

etiam partialem, vel actiuitatem comparatione actus ſupernaturalis, vt ſupra oſtenſum eſt. Ergò tota virtus proxima, & actiuitas comparatione eiuſdem actus communicatur illi à principio formali ordinis ſupernaturalis. Ergo quamuis actus ſupernaturalis immediatè fluat à potentia naturali eleuata per habitum, vel formam ſupernaturalem (quod non negatur) nihilominus tota virtus & actiuitas proxima, qua potentia naturalem producit actum, etiam in quantum eſt vitalis vitalitate ſupernaturali communicatur illi, vt quo ab habitu, vel forma ſupernaturali.

Confirmatur ſecundò: Nam ſequeretur ex oppoſita ſententia actum illum viſionis beatificæ, vel charitatis ſupernaturalis non eſſe vitalem, vt eſt ab habitu, ſed tantùm vt procedit à potentia naturali, & ab anima, à qua tantùm pendet vita ſubſtantialis.

XII. Hoc argumento, quod efficaciſſimum eſt, conuictus auctor aduerſæ concordiæ, tandem relabitur in noſtram ſententiam, dum illi ſatisfacere conatur: Reſpondet enim, *aliud eſſe loqui de re ipſa, aliud de denominatione, vel reſpectu, à quo illa ſumitur. Loquendo de re* (inquit ille) *nihil eſt in actu vitali, vel vitalitate ipſa, quod non fiat ab habitu, & hoc probat argumentum, & ſatis eſt in ſuperioribus declaratum: loquendo verò de reſpectu, & denominatione, verum eſt, viſionem, v.g. denominari actum vitalem, quatenus dicit reſpectũ emanationis à principio vitæ, vel proximo, vel principali, non verò quatenus eſt ab obiecto, vel ab ſpecie, vel ab habitu extrinſecus infuſo, vel ab auxilio, vel à*

Deo

Deo ipſo, ſicut etiam denominatur actus immanens per reſpectum ad potentiam, & non ad alia principia. Et hoc modo repugnat, imo neceſſarium eſt, actionem ſupernaturalem dicere aliquem reſpectum ad principium naturale, & inde ſumere aliquam denominationem, quam non ſumit à principio ſupernaturali.

Ex hac ſolutione conuincitur noſtra ſententia: Nos enim de re ipſa agimus, dum aſſerimus, vitalitatem proximam, & formalem cuiuſlibet actus ſupernaturalis totam prouenire, vt quo, ab habitu, vel alio principio ſupernaturali, vt ex dictis in *illa diſputatione* 64. conſtat. Accedit, quòd etiam denominatio, qua actus ſupernaturalis denominatur vitalis, non ſumitur per habitudinem ad ſolam animam, vel potentiam naturalem, cùm ſecundùm ſibi naturalia nullam habeant virtutem proximam actiuam, etiam partialem comparatione actus ſupernaturalis, vt auctor cum quo diſputamus, fatetur. Sed neceſſariò ſumenda eſt, quatenus eiuſmodi actus vitalis dicit reſpectum emanationis à principio vitæ, & eius potentia eleuata per formam ſupernaturalem. Etenim anima, quæ eſt principium vitæ ſubſtantialis, eleuatur ad eſſe ſupernaturale per gratiam habitualem, quæ ſubiectatur immediatè in eius eſſentia, *vt* 1.2. *quæſt.* 110. *art.*4. docet Sanctus Thomas. Et ſimiliter potentiæ fluentes ab anima eleuantur per habitus ſupernaturales, vel alia principia æquiualentia, vt operentur actus ſupernaturales, etiam in quantum vitalis. Ergo actus eiuſmodi vitalis non ſolùm ſecundùm XIII.

perfectius videre Deum, quia vis actiua intellectus, ſiue dicatur naturalis, ſiue obedientialis reſpectu viſionis, eſt incompleta, & quaſi inchoata tantum ex parte potentia, completur autem per habitum infuſum, vel aliud principium ſupernaturale æquiualens: ideóque non poteſt conari vltra complementum quod per lumen recipit. Vnde fit, vt habentes inæquales intellectus, ſi habeant æquale lumen, habere etiam æqualem vim integram ad videndum Deum: nam illa maior perfectio, quam habet alter intellectus, nihil tunc confert ad volitionem, quia non iuuatur, neque eleuatur. Ideoque ſemper luminis perfectio eſt mēſura perfectioris viſionis: idemque eſt de amore, & de quocumque alio habitu infuſo quotieſcumque connaturaliter fit. Quod addit, quia ſi Deus velit eleuare potentiam ad agendum vltra latitudinem habitus, poterit quidem id facere, non tamen per ſolam naturalem perfectionem potentiæ, ſed per aliquod maius auxilium ſupernaturale. Hæc ille.

In hac ſolutione multa inuoluũtur, quæ non modicam difficultatem habent, & in ea ſibi ipſi videtur auctor contradicere, dum ait, in intellectu eſſe aliquam vim actiuam actus infuſi; affirmans, veriùs eſſe habere illam diſtinctam à virtute luminis gloriæ, vel habitus fidei. Nam ſi id intelligat de virtute formali proxima actiua, de qua in præſenti loquimur, ſibi ipſi repugnat: oppoſitum enim aſſeruit locis ſuperius allegatis: Si autem id intelligat de virtute actiua fundamentali, & remota, quæ materialiter ſe habet in ordine ad formam ſupernaturalem, vel habitum, quem recipit, & per quem eleuatur ad ordinem ſupernaturalem, vt poſſit XVI. *Impugnatio.*

 actus

actus eiuſdem ordinis elicere, ſolutio non videtur ad propoſitum argumenti noſtri, quod tantùm procedit de virtute proxima actiua. Sed auctor ſubticuit hoc verbum, *proximam*, *& formalem*, vt fugeret difficultatem argumenti. Accedit, quòd loquendo de virtute actiua fundamentali, & remota, quæ ſupponitur ex parte naturæ, vt eleuari poſſit per habitus ſupernaturales, vt actus eiuſdem ordinis elicere valeat, nō ſolùm eſt verius, intellectum habere illam virtutem diſtinctam à virtute luminis gloriæ, vel habitus fidei, ſed etiam abſolutè, & ſimpliciter eſt certum: nec oppoſitum poteſt tanquam probabile defendi. Nam virtus naturalis intellectus, cuius obiectum adæquatum eſt verum in vniuerſali abſtrahendo à proportionato, & improportionato, iuxta omnium Theologorum ſententiam, realiter diſtinguitur à virtute actiua, & proxima, quæ illi communicatur ab habitu, & dono ſupernaturali, cùm huiuſmodi virtutes ſint diuerſi ordinis.

XVII. Illud verò, quod in eadem ſolutione dicitur circa maiorem intenſionem viſionis beatificæ, propoſitam difficultatem non ſoluit: nam virtus illa, quæ ponitur in natura intellectus, vel eſt virtus actiua naturalis, vel ſolùm eſt obedientialis. Si detur primum, ſequitur, quòd viſio beatifica eo ſit perfectior, & intenſior cæteris paribus ex parte luminis gloriæ, quo intellectus ex ſua naturali virtute magis conatur, & maiori impetu influit in viſionē beatificā, quod eſt contra ſolutionem datam. Nec obſtat, quòd virtus illa ſit incōpleta, & quaſi inchoata, nam ſi

verè

verè eſt proximè actiua comparatione viſionis beatificæ, aliquid conferet, cæteris paribus, vt viſio beatifica ſit perfectior, & intenſior. Si verò detur ſecundum, quòd, ſcilicet potentia illa, & virtus naturalis intellectus ſolùm ſit obedientialis comparatione viſionis beatificæ, habemus intentum, quòd ſcilicet ſupernaturalis habitus luminis gloriæ ſit tota virtus proxima, & totale principium proximum, & formale, quo intellectus elicit viſionem beatificam, etiam in quantum eſt actus vitalis tali vita ſupernaturali; & idem dicendum de aliis omnibus habitibus ſupernaturalibus.

Alia argumenta videnda ſunt *diſp. 64. allegata*: non enim procedunt contra auctorem præallegatum: ipſe enim fatetur, vitalitatem, quæ reperitur in actu viſionis beatificæ eſſe ſupernaturalem, ſicut eſt ipſe actus totus, ac per conſequens talem actum non eſſe compoſitum ex duplici entitate, & ratione formali, altera naturali, quæ procedat à ſola potentia naturali, altera ſupernaturali, quæ pendeat efficienter ab habitu infuſo.

Quæ dicta ſunt de vitalitate viſionis beatificæ, dicenda ſunt proportionabiliter de libertate aliorum actuum ſupernaturalium, qui efficiuntur à potentiis eleuatis per habitus infuſos, vel auxilium ſpeciale: Huiuſmodi enim actus, etiam in quantum ſunt liberi tali libertate filiorum Dei, procedunt efficienter à potentiis eleuatis per habitum, vel auxilium ſupernaturale, tanquam à principiis, quod: forma verò ſupernaturalis eſt totale principium proximum, quo XVIII.

potentia naturalis attingit illos actus, etiam in quantum ſunt liberi tali libertate ſupernaturali. Probatur eiſdem rationibus. Præterea probatur: Deus per gratiam præuenientem efficit, vt noſtra voluntas liberè operetur actum ſupernaturalem, nam Deus facit, vt cauſſæ ſecundæ operentur congruenter ad propriam naturam, & ideo mouet cauſſas naturales, vt operentur naturaliter: & liberas, vt operentur liberè. Ergo tales actus ſupernaturales, etiam vt liberi procedunt, vt quod, à potentia eleuata per formam ſupernaturalem, & vt quo, pendent à ſupernaturali principio, quo eleuantur potentiæ, vt tales actus efficiant. Hæc autem omnia patebunt ampliùs ex ſolutione argumentorum, quæ propoſita ſunt à principio.

XIX. Ad primum argumentum ex factis à principio, reſpondetur, Concilium Tridentinum nobis apertè fauere. Non enim definit, quòd liberum hominis arbitrium per naturæ vigorem, vel ex ſolis viribus propriis operetur aliquid, cùm diſponitur ad iuſtificationem, ſed virtute præuenientis gratiæ, vt nos aſſerimus: ait enim: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatũ nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, &c. anathema ſit.* Quibus verbis non obſcurè docet, motionem, & excitationem præuenientis gratiæ tribuere totam virtutem proximam libero arbitrio, vt cooperetur Deo excitanti, atque vocanti, & ſe diſponat ad obtinendam iuſtificationis gratiam, quod etiam clarius conſtat ex *Canone 3. præcedenti,* vbi contra Pelagianos definitur: *Si quis dixerit;*

Concil. Trid. ſeſſ. 6. Canon. 4.

Can. 3.

xerit, ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, Anathema ſit. Et idem definitur in Concilio Arauſicano 2.*cap.6.& 7.*

Et ad exemplum inductum de aqua calida, quæ virtute caloris facit calidum iam reſpondimus ſufficienter *diſp. 64. de Auxil. nu.6.* non eſſe eandem rationem de viſione beatifica comparatione intellectus eleuati per lumen gloriæ, & de calefactione procedente ab aqua calida propter duplicem differentiam ibidem aſſignatam, ex quibus habetur, quòd aqua calida ſolùm inſtrumentaliter concurrit ad calefactionem, nec ſe mouet, aut determinat ad calefactionem, ſed ſolùm mouetur ab igne. Cæterùm intellectus affectus lumine gloriæ à principio intrinſeco, eleuato tamen, & adiuto per lumen gloriæ ſe mouet, & vitaliter elicit, ac voluntariè viſionem beatificam, quamuis non liberè. Et ſimiliter voluntas eleuata per habitum charitatis, vel ſpeciale auxilium præuenientis gratiæ ſe mouet, & liberè determinat medio iudicio rationis indifferenti ad operandum, & operatur liberè, & vitaliter ſupernaturales actus. Quamuis enim habitus ſupernaturalis, vel auxilium ſpeciale conferat totam virtutem proximam actiuam, vt quo, creatæ voluntati comparatione actuum ſupernaturalium, nihilominus eadem voluntas virtute principij ſupernaturalis ſibi inhærentis ſe mouet, & liberè determinat, vt cauſa principalis proxima ſupernaturalis actus, cuius obiectum cõtinetur intra totam latitudinem XX.

ſui

ſui vniuerſalis,& adæquati obiecti:quod tamen competere non poteſt aquæ calidæ, dum virtute caloris recepti ab igne calefacit lignum : nam ad illam calefactionem ſolùm concurrit inſtrumentaliter ; vt ſubiectum deferens virtutem principalis agentis, hoc eſt,ignis.

XXI. Addo argumentum potiùs retorqueri poſſe in obiicientem,cùm ipſe teneat, volũtatem eleuatam per habitum, vel auxilium ſupernaturale ſolum conuertere inſtrumentaliter ad actus ſupernaturales, non autem, vt cauſa proxima, & principalis. Nam ex hoc potius inferri videtur, liberum arbitrium à Deo motum,& excitatum, nihil cooperari liberè,quo ad iuſtificantem gratiam ſe diſponat, ac præparet, quoniam inſtrumentum, quod non eſt cauſſa principalis proxima alicuius actus, operatur illum tantùm vt motum : non autem, vt ſe mouens, aut determinans, quod requiritur ad libertatem : Aqua enim baptiſmalis, quia eſt merum inſtrumentum gratiæ, quam cauſſat in anima, quia non operatur talem effectum ſe mouendo, & determinando ab aliquo principio ſibi inhærente, ſed ſolùm attingit illum effectum ex motione principalis agentis;ideo non eſt cauſſa principalis eiuſdem effectus : ſed ſolùm inſtrumentalis: ſed de hoc plura dicta ſunt capite præcedenti.

Ad illud verò, quod obiicitur, nam modus agendi per formam extrinſecus receptam non tranſcendit modum agendi inanimatorum, reſpondetur, quòd quando per illam formam,vel motionem tribuitur agenti agere, vt motum tantùm, non autem, vt ſe mouens, ſicut tribui-

tur,

tur aquæ calidæ calefacere, tunc veriſſimum eſt, quòd ille modus agendi non tranſcendit modum agendi inanimatorum. Cæterùm quando per formam illam tribuitur agenti agere, vt ſe mouens, & non vt motum tantùm, falſum eſt, quòd talis modus agendi non tranſcendat modum agendi inanimatorum. Etenim inanimata non ſe mouent, ſed operantur, vt ſolùm mota: liberum autem arbitrium habitu infuſo informatum eſt motum à Deo, & ſe liberè mouet, & operatur ſupernaturales actus. Ideo eſt cauſſa ſecunda, & proxima principalis eorundem actuum.

Secundò reſpondetur, quòd habitus per ſe infuſus, & motio efficax præuenientis gratiæ, quamuis non conueniat homini ex principiis naturæ, nec ſit ei hoc modo intrinſeca; eſt tamen eidem inhærens, & procedit efficienter ab agente intrinſeco, ſcilicet à Deo, qui per eſſentiam, præſentiam, & potentiam eſt intimè præſens in voluntate, & operatur in illa, & in libero arbitrio tanquam ſupremus, & abſolutus eius Dominus, vt *diſputat.* 117. *de Auxiliis* dictum eſt. Ac per conſequens mouet liberum arbitrium, vt operetur vitaliter, & liberè, prout congruit eius naturæ. Vnde modus agendi per talem formam tranſcendit omnem modum agendi inanimatorum, & eſt proprius modus operandi ſuppoſiti viuentis, & liberi. Accedit, quòd, vt *quæſt.* 3. *de potentia artic.* 7. *ad* 7. docet Sanctus Thomas, inanimata nunquam operantur per habitum, vel aliam formam permanentem proportionatã cum effectu, ſed ſolùm per motionẽ XXII.

tranſc

tranſeuntem principalis agentis cuius ſunt inſtrumenta. Cæterùm liberum arbitrium eleuatum per gratiam, operatur per habitum, & formam permanentem inhærentem ſibi & proportionatam cum effectu: Et quamuis voluntas ante infuſionem habitus operetur aliquos actus ſupernaturales adiuta per ſolum auxilium actuale præuenientis gratiæ; illud tamen auxilium ſupplet vicem habitus, & facit proportionem cauſſæ cum effectu, vt *diſp.68. de Auxiliis* diximus in ſolutione ad ſextum argumentum.

Ex his patet reſponſio ad rationem, qua in eodem argumento hæc ſolutio impugnatur: dicimus enim, quòd actus ſupernaturalis, & eius vitalitas, ac libertas non conſiſtit in receptione formæ extrinſecus immiſſæ, vt arguens ſupponit. Notiſſimum eſt enim apud omnes, quòd receptio formæ non ſit actus vitæ formaliter loquendo, nam actus vitæ non conſiſtit per ſe primò in paſſione, ſed in actione pendente ex efficientia potentiæ vitalis proportionatæ cum effectu. Vnde fruſtra coaceruantur, quæ ad id probandum adducuntur. Nihilominus illa receptio formæ, & habitus ſupernaturalis neceſſariò præſupponitur producta à Deo in ipſa potentia rationali, vt eleuetur ad ſupernaturalem ordinem, & per illam fiet potens, vt eliciat actus ſupernaturales proportionatos cum potentia ſic eleuata.

XXIII. Nec etiam admittimus, quod in eodẽ argumento ſupponitur, & nobis abſque vllo fundamento tribuitur, quòd ſcilicet habitus vel forma ſupernaturalis ſit quomodocumq; tale principium

pium agendi ſupernaturales actus, niſi cum hoc additamento, quod ſemper adiunximus, videlicet, vt principiũ quo, formale proximum modo ſuperius explicato. Nam totale principium effectiuum, quod, eſt ſuppoſitum operans per ſuas potentias vitales, eleuatas tamen per habitum, vel aliam formam ſupernaturalem tribuentem formaliter potentiis, vt quo, totam virtutē proximam actiuā ſupernaturalis actus. Etenim abſque tali habitu, vel forma ſupernaturali potentiæ naturales nullam habent virtutem proximam actiuam, etiam partialem comparatione actuum ſupernaturalium, id quod etiam arguēs concedit locis ſuperiùs allegatis. Cum hoc tamen eſt veriſſimum, quòd potentia, in qua ſubiectatur habitus ſupernaturalis, vel motio præuenientis gratiæ ſupplent vicem habitus per ſuas vitales facultates proprias, & internas; eleuatas tamen per formam ſupernaturalem influit actiuè, & vitaliter, ac liberè in actum ſupernaturalem, vt pluries à nobis dictum eſt. Et per hęc ruunt alia omnia, quæ in eodem argumento adducuntur ex Ariſt. & in exemplo potentiæ intellectiuæ informatæ ſpecie intentionali. Vtrum autem calidum, ſiue aqua, vt calida, ſit cauſſa principalis proxima calefactionis, vt arguens ſentit, an ſolùm inſtrumentalis, vt ego exiſtimo, eſt alia quæſtio, de qua non oportet agere in præſenti.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd in actu ſupernaturali non reperitur duplex vitalitas actualis: altera naturalis, & remota; altera ſupernaturalis, & proxima: ſed vnica XXIV.

dumtaxat

dumtaxat ſimplex vitalitas ſupernaturalis, ſicut totus actus eſt ſupernaturalis. Vnde illa diſtinctio duplicis vitalitatis à nobis aſſignata, quorum altera eſt fundamentalis, & remota, altera formalis, & proxima, ſic eſt accipienda: vt vitalitas fundamentalis, & remota conueniat naturæ, & eius potentiis fluentibus ab anima, quæ tribuit ſuppoſito vitam ſubſtantialem, & hæc ſupponitur à natura, vt ſit capax habituum, quibus eleuatur ad eſſe, & operationem ſupernaturalem. Vnde eædem potentiæ vitales, & earum vires, & facultates internæ, ſecundùm quod eleuantur per habitus ſupernaturales, efficiuntur potentiæ vitales, & liberæ ſupernaturalis ordinis, & operantur actus ſupernaturales, non ſolum quantum ad ſubſtantiam actus, ſed etiam in quantum ſunt vitales, & liberi in ordine ſupernaturali, vt ſupra explicatum eſt. Et ita liberum hominis arbitrium, dum conſentit Deo excitanti, & vocanti, aliquid ex ſe operatur, hoc eſt, à principio intrinſeco actiuo eleuato per gratiam, vt dictum eſt: & ideo eſt cauſſa principalis proxima ſuæ operationis.

XXV. Et per hæc patet ſolutio ad confirmationem. Dicimus enim ſicut iam dictum eſt, vitalitatem actus ſupernaturalis eſſe vnicam, & ſupernaturalem, ſed hæc eadem vitalitas, ſicut & ipſe actus vitalis, cùm ſit etiam totus ſupernaturalis, pendet ab anima, tanquam à forma tribuente vitam ſubſtantialem, & ab eius potentia vitali, tāquam à fundamento remoto, quod præſupponitur ex natura, vt eleuari poſſit per habitum ſupernaturalem, vt ſint principia proportionata actuum ſuper

ſupernaturalium, & eiuſdem ordinis cum illis. Et hæc eſt vitalitas potentiarum, quam diximus eſſe fundamentalem, & remotam, quia ſupponitur in natura, quæ eleuari debet ad ſupernaturales actiones. Vitalitas autem proxima, & formalis, quæ reperitur in actu ſupernaturali, procedit ab habitu ſupernaturali, tanquam à principio formali quo, & ab homine per potentiam vitalem ſic eleuatam procedit efficienter, tanquam à principio efficiente quod: nam, vt dictum eſt, actiones ſunt ſuppoſitorum, non autem formarum, niſi, vt quo.

Ad tertium argumentum reſpondetur ſimiliter, quòd vitalitas fundamentalis, & remota non eſt ſecundùm ſe ſupernaturalis, nec aliquid intrinſecum actui ſupernaturali: ſed eſt vitalitas naturalis intrinſeca naturæ, quæ eleuatur, ſine qua eleuari non poteſt, vt per habitum ſupernaturalem producat operationem ſupernaturalem, vt dictum eſt. Vnde potentia vitalis naturalis ordinis fit potentiæ ſupernaturalis, ſecundùm quòd eleuatur per habitum, vel aliam formam ſupernaturalem, & vt ſic eleuata producit effectiuè ſupernaturalem actum, etiam in quantum eſt vitalis, & liber tali vitalitate, & libertate filiorum Dei.

Ad quartum argumentum reſpondetur, quod, vt docet Sanctus Thomas *3. parte quæſtione 62. articulo 2. in corpore*, ſicut à vita ſubſtantiali, quæ procedit ab anima, fluunt per quandam emanationem potentiæ vitales naturalis ordinis, per quas ſubſtantia ipſa operatur: ita proportionabiliter à vita ſupernaturali, XXVI.

Digitized by Google

quæ eſt per gratiam iuſtificantem immediatè in animam ſubiectatam, procedunt habitus per ſe infuſi inhærentes potentiis, quibus eleuatæ producunt actus ſupernaturales. Sicut ergo ſuppoſitum viuens producit per ſuas potentias actus vitales, & liberos ordinis naturalis; ita proportionabiliter idem ſuppoſitum viuens per eaſdem potentias vitales modo prædicto eleuatas per ſupernaturales habitus efficiunt actus ſupernaturales, vt dictum eſt. In hoc tamen eſt differentia inter vitam ſubſtantialem comparatione potentiarum ordinis naturalis, & vitam ſupernaturalem, quæ eſt per gratiam iuſtificantem in ordine ad habitus per ſe infuſos, quòd ablata vita ſubſtantiali nulla remanet in homine potentia vitalis. Cæterùm ablata gratia iuſtificante remanet in peccatore habitus fidei infuſus, per quem producere poteſt actum fidei informis & ſimiliter habitus ſpei. Qualiter autem hoc fieri poſſit *diſputatione* 64. *de Auxiliis* dictum eſt. In hoc tamen conueniunt, quòd ſicut ſuppoſitum viuens vita naturali non operatur immediatè per ipſam vitam ſubſtantialem ſed per potentias vitales: ita proportionabiliter iuſtus viuens per gratiam iuſtificantem, non operatur immediatè per gratiam ipſam habitualem, quæ ſubiectatur in anima, ſed per habitus infuſos, qui ſubiectantur immediatè in eius potentiis. Fatemur ergo eſſe impoſſibile, quòd actus ſupernaturalis procedat à viuente, & eius anima eleuata per gratiam iuſtificantem, niſi etiam procedat ſuo ordine ab eius potentiis

Digitized by Google

eleuatis ad operationes ſupernaturales per habitus infuſos vel motionẽ ſupernaturalẽ ſupplentẽ vicẽ habitus, ita tamen, vt huiuſmodi habitus tribuãt potẽtiis, vt quo, totã virtutẽ proximã actiuã eorũdẽ actuũ, vt ſupra dictũ eſt, & explicatũ.

Ad quintum argumentum reſpondetur, quòd licet habitus ſupernaturalis operatiuus non procedat ex principio vitali intrinſeco naturalis ordinis, fluit tamen ex principio vitæ ſupernaturalis, quæ eſt à gratia iuſtificante, per quam habet homo eſſe ſupernaturale, & ſupernaturalem vitam, & eſt perfectio, & forma potentiæ vitalis fluentis à vita ſubſtantiali, & conſtituens illam formaliter in ratione proximi principij operatiui actus ſupernaturalis, & hoc ſufficit, vt ille actus procedat à principio ſubſtantiali, vel quaſi ſubſtantiali vitæ, & eius potentiis eleuatis per habitus ſupernaturales. XXVII.

Ad confirmationem reſpondetur ſimiliter, ſolùm probare, quòd actus vitalis ſupernaturalis ordinis debeat ex neceſſitate procedere proximè efficienter à potentia, ſeu facultate radicata, & fluente à principio vitæ eleuata per habitum, vel formam naturalem, vt dictum eſt; ita nimirum, vt ſuppoſitum viuens, qui operatur per internas potentias eleuatas per formam ſupernaturalem ſit cauſſa principalis proxima, vt quod, ſupernaturalis actus; & habitus ſit totale principium formale, quo potentia vitalis conſtituitur proximè in actu primo proportionato cum eodem actu ſupernaturali. Nec enim talis actus poteſt emanare proximè etiam partialiter ab ipſa potẽtia vitali, quatenus præciſè cõtinetur

Digitized by Google

intra limites naturæ, cùm actus virtutis infuſæ non ſolùm ſecundùm ſubſtantiam, ſed etiam ſecundùm omnem modum, & perfectionem, quam habent, excedant totam facultatem naturæ: ſed, vt conſtituantur in ratione potentiæ proximæ actiuæ eorundem actuum, neceſſe eſt, vt eleuentur per formam ſupernaturalem, & ab ea participent, vt quo, totam illam virtutem proximam actiuam.

XXVIII. Ad ſextum argumentum reſpondetur, quòd lumen gloriæ, verbi gratia, non eſt totale principium, quod elicit viſionem beatificam. Hoc enim principium eſt ſuppoſitum, vel ſemiſuppoſitum, videns Deum per potentiam intellectiuam eleuatam lumine gloriæ, quod tribuit, vt quo, intellectui beati totam virtutem proximam actiuam videndi Deum. Nam vt dictum eſt ex Ariſtotele, actiones ſunt ſuppoſitorum, non autem formarum, niſi, vt quo: & ideo oportet, quòd lumen gloriæ conſtituatur immediatè in intellectu, vt tribuat illi formaliter proximam virtutem actiuam viſionis beatificæ. Nam ſubſtantia animæ non poteſt immediatè per ſe ipſam eſſe principium effectiuum alicuius operationis, cùm immediatè, & per ſe ipſam ſolùm tribuat ſuppoſito eſſe ſubſtantiale viuentis tali vita naturali, operatur autem mediis ſuis potentiis conſtitutis in actu primo eiuſdem ordinis cum illis actibus, quos elicit.

XXIX. Ad ſeptimum reſpondetur, quòd actus charitatis viæ habet, quòd ſit liber tali libertate ſupernaturali per habitudinem ad voluntatem

Digitized by Google

luntatem, ſeu liberum arbitrium, vt eleuatum per habitum charitatis, vel aliam formam ſupernaturalem. Nam licet huiuſmodi habitus non ſit formaliter liber, vt quod, eſt tamen tota virtus proxima, qua potentia libera elicit actum ſupernaturalem. Vnde voluntas ipſa, vt eleuata per talem habitum, eſt proximum principium actiuum actus charitatis, etiam in quantum eſt liber, & vitalis vita, & libertate ſupernaturali. Et per hoc reſpondetur ad primam confirmationem, ſolùm concludere, quòd actus amoris procedat efficienter à voluntate eleuata per habitum, vel aliam formam ſupernaturalem modo ſuperius à nobis explicato. Et ſimiliter dicendum ad ſecundam confirmationem. Nos enim non admittimus, neque vnquam admiſimus, quòd ſolus habitus faciat actum tanquam principium per ſe illius, vt arguens ſupponere videtur: ſed ſolùm aſſerimus, quòd habitus, vel auxilium ſupernaturale tribuit voluntati, vt quo, totam virtutem proximam actiuam actus ſupernaturalis charitatis, quod etiam concedit auctor, cum quo diſputamus, vt ex ſupradictis conſtat. Eſt enim magna differentia inter iſtam propoſitionem: Solus habitus ſupernaturalis facit actum, tanquam principium per ſe illius; & iſtam: Solus habitus ſupernaturalis charitatis tribuit voluntati totam virtutem proximam actiuã, qua producit actum charitatis. Prima enim propoſitio eſt falſa, nam illud nomen, *ſolus*, excludit omne aliud ab habitu, à conſortio prædicati: & præterea propoſitio

Ad 1. conf.

Ad 2. conf.

illa, vt iacet propriè loquendo ſignificat quòd habitus ſit totale principium quod operationis ſupernaturalis, qui ſenſus eſt falſus. Cæterùm ſecunda propoſitio non excludit, ſed potius includit efficientiam potentiæ vitalis fluentis ab anima, quæ, vt eleuata per habitum ſupernaturalem, attingit effectiuè, vt cauſſa principalis proxima ſupernaturalem actum, etiam in quantum eſt vitalis, & liber vitalitate & libertate ſupernaturali. Et ratio eſt, nam principium quo non influit in actum, niſi per illud etiam influat principiũ quod, cui in agendo ſubordinatur. Ad illud verò, quod obiicitur de aqua calida, iam ſupra reſponſum eſt.

XXX. Habemus ergo, vitalitatem, quæ ſupponitur in ſuppoſito viuente, & eius potentiis ſecundùm ſe conſideratis, eſſe remotam comparatione actus ſupernaturalis, quæ ſubinde materialiter ſe habet in ordine ad eleuationem, & receptionem habitus, vel alterius formæ ſupernaturalis. Omne enim ſubiectum, quatenus recipit formam ſe habet vt materia in ordine ad illam: nihilominus eædem potentiæ, quatenus eleuantur per formam ſupernaturalem, ſiue ſuppoſitum viuens per eaſdem potentias ſic eleuatas eſt cauſſa principalis proxima operationum vitalium ſupernaturalis ordinis.

* * *

Vtrum

Vtrum liberum arbitrium creatum ſit directè & propriè cauſſa quòd influxus gratiæ hic, & nunc, & cum tali intenſione exiſtat.

CAPVT III.

I.

HVius difficultatis reſolutio multum conducit ad maiorem explicationē efficaciæ Auxilij præuenientis gratiæ. Si enim liberum arbitrium eſt cauſſa vt gratia influat, manifeſtè videtur ſequi efficaciam auxilij præuenientis gratiæ nō eſſe à ſolo Deo; ſed pendere ex libera cooperatione arbitrij. Si autem è conuerſo gratia efficax, vel Deus per gratiam eſt cauſſa, quòd liberum arbitrium hic, & nunc, & cum tali intenſione influat in operationem: manifeſtè ſequitur totam efficaciam gratiæ eſſe à ſolo Deo.

Quidam auctor affirmat, quòd liberum arbitrium directè, & propriè eſt cauſſa quarundam conditionum, ſeu circumſtantiarum, circa influxum gratiæ, nempe, quòd hîc, & nunc exiſtat in rerum natura, potiùs quàm aliàs: & quòd hanc, vel illam habeat perfectionem intenſiuam potius, quàm aliam. Et in alio loco: *Fatemur* (inquit) *liberum arbitrium directè eſſe cauſſam, cur hic, & nunc Deus influat in opus tum per dona ſua, tum per ſe ipſum; non autem Deum, aut gratiam; cur liberum arbitrium hic, &* *Leſſius l. de gratia efficaci c.10. num. 13.* *Cap. 11. eiuſdem lib. num. 11.*

nunc influat: Non enim ideo hic, & nunc fit hoc opus, quia Deus abſolutè vult illud hic, & nunc fieri, aut gratia ex ſe determinet voluntatem, vt hic, & nunc illud faciat: ſed quia voluntas diuinitus præparata, vult hic, & nunc illud facere.

Lib. arb. non eſt cauſſa, quod gra. hic & nunc influat.

Hæc ſententia ſufficienter manet excluſa argumentis factis *diſputatione 62. de Auxiliis pro 1. & 2. concluſione.* Præterea repugnari poteſt, nam, ſi liberum arbitrium directè eſt cauſſa, cur hic, & nunc Deus influat in opus: ergo liberum arbitrium ſuo proprio influxu pro ſua innata libertate trahit Deum, & gratiam præuenientem ad cooperandum ſecum. Conſequens videtur repugnare verbis Chriſti Domini Ioannis 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum.* Et Canticorum 1. *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Item etiam ſequeretur ex eadem ſententia, Deum ſua gratia non operari in nobis vt operemur, nec facere, vt faciamus; ſed potius è contra liberum arbitrium ſuo partiali influxu operari, vt Deus operetur, & facere vt Deus faciat: conſequens autem videtur repugnare Concilio Arauſicano dicenti: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur operatur.* Et Canone 20. *Multa in homine bona fiũt, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtat, vt faciat homo.* Et Ezechielis 36. *Faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Et Apoſtolus ait: *Non volẽtis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Quod propterea dictũ eſt, non quia noſtrum arbitrium ſuo libero influxu non concur-

Ioan. 6.
Cantic. 1.
Deus trahit nos ad cooperandũ ſecum, & non è contra.

Ezech. 36.

Rom. 9.

Digitized by Google

currat cum Deo, & adiutorio gratiæ, vel non velit, aut currat liberè; ſed quoniam Deus ſua gratia adiuuante fortiter & ſuauiter trahit hominem ad liberè concurrendum ſecum: & eodem adiutorio facit, vt velimus; facit, vt curramus; facit, vt faciamus; & operatur, vt operemur vt *diſputat.86.97.&100.de Auxil.* oſtenſum eſt. Quod & S.Aug.*c.10.de prædeſtin.ſanctorum* apertiſſimè docet, cùm ait: *Vnde dicit Apoſtolus, ideo ex fide, vt ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non de noſtra voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit. Promiſit enim, quod ipſe facturus fuerat, non quod hominis: quia etſi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit, vt illi faciant quæ præcepit: non illi faciunt, vt ipſe faciat, quod promiſit, alioquin, vt Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate, & quod à Domino promiſſum eſt, ab ipſis redditur Abrahæ.* Ergo non eſt affirmandum nos trahere Deum, vt nobiſcum operetur. *Aug.lib. de prædeſt. cap.10.*

III. Hoc argumentum quod noſtro iudicio eſt efficaciſſimum, duplici ſolutione conatur diſſoluere Auctor ſententiæ contrariæ. Reſpondet primò, quòd qui dicit nos trahere Deum antequam ab ipſo tracti ſimus, contradicit Apoſtolo, & aliis locis ſcripturæ, & Conciliis inductis, non autem qui nos iam tractos dicit poſſe quodam modo trahere Deum ad cooperandum. Sed ſpecialiter ad locum inductum Canticorum 1. reſpondet, non eſſe neceſſarium, quod tantum illi trahantur à Deo, qui ſequuntur, & conſentiunt, & aſſignat rationem, quia *Solutio. Leſſius c. 11.citato nu.11.& 12.* *Cant.1.*

nemo ſine tractu Dei poteſt ſequi, iuxta illud Domini Ioannis 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum.* Ergo ſi tantùm illi trahuntur, qui efficaci motione præparantur, qui & ſequuntur, & conſentiunt, relinquitur, neminem poſſe Deum ſequi, aut illi conſentire, niſi qui ſequitur, & conſentit. Conſequens eſt contra ſanam doctrinam, quia quomodo libera voluntate ſequimur, ſi tractui illi non poſſumus reſiſtere? quomodo libera voluntate ſequimur, cùm ipſe prius natura operetur, & influat in noſtrum conſenſum, quàm noſtra voluntas in eundem influat? Item etiam quomodo in his, qui non veniunt ad Chriſtum, nec trahuntur ab eo efficaci auxilio, ſaluatur verum auxilium ſufficiens, quo poſſint venire ad Chriſtum, ſi velint, cùm nullus poſſit re vera venire, niſi tractus fuerit à Deo, & præparata fuerit eius voluntas præuio auxilio efficaci?

Ioan. 6.

Impugnatio.

Sed quàm inualida ſit hæc ſolutio, patebit, ſi diſcurramus per ſingula, quæ in ea dicuntur. Affirmat ergo, Deum prius nos trahere quàm nos illum trahamus ad cooperandum, ſed dum explicat modum, quo Deus nos trahat, dicit, hunc Dei tractũ eſſe per excitationẽ præuenientem, qua Deus interius voluntatẽ inuitat, allicit, & ſuadet, eo modo quo præſcit ipſam eſſe cooperaturã, & ipſa cooperante ſimul cũ ea influit, in operationem. Quia verò Deus non influit, niſi voluntas influat, ideo ſuo influxu voluntas dicitur Deum trahere ad cooperandum ſecum. Contra hoc autem eſt argumentum, nam cùm aſſerit, Deum ſua præueniente gratia prius nos tra-

Tractio Dei qualis ſit.

trahere, quam nos trahamus Deum ad cooperandum nobiſcum, vel id intelligendum de tractu efficaci, quo Deus effecit nos cooperari,& velle: aut de tractu ſufficienti, quo tribuit vires ad cooperandum, ſi volumus. Si dicat primum, habemus intentum, hoc enim & nos aſſerimus, Deum videlicet ſua præuenienti gratia efficaci, ita nos trahere ad cooperandum ſecum, vt nulla præſuppoſita ſcientia media (quam fictitiam eſſe *diſputatione* 7. *de Auxiliis* oſtenſum eſt) liberè,& infallibiliter cooperemur. At cum hoc tractu Dei efficaci cohærere non poteſt, id quod arguens ait, videlicet nos trahere Deum ad cooperandum nobiſcum,& facere, vt ipſe influat: nam in naturalibus inſtrumentum non facit, quod artifex operetur, & concurrat ſecum ad faciendum rem artificiatam, ſed è conuerſo artifex facit, quòd inſtrumentum cooperetur ſecum, licet artifex nõ operetur niſi per inſtrumentum. Cùm ergo Deus ſuo præuenienti auxilio efficaci iuxta doctrinam S. Tho. moueat, & applicet noſtrum arbitrium ad liberè cooperandum ſecum, & influendum liberè, in operationem piam iuxta modum propriæ naturæ, ſicut artifex applicat inſtrumentum ad operandum naturaliter, vt congruit ſuæ naturæ, eo quòd inſtrumentum mortuum non eſt capax libertatis, ſed ita agitur ab alio, vt non agat, vel moueat ſeipſum à principio intrinſeco actiuo, relinquitur, quod liberum arbitrium ſuo influxu non trahat Deum, vel eius gratiam efficacem ad cooperandum ſecum: ſed è conuerſo Deum per gratiam præue-

Diſput. 7. de Auxi.

præuenientem efficacem trahere noſtrum arbitrium ad liberè influendum & cooperandum ſecum. Si autem intelligat (ſicut videtur intelligere) Deũ prius nos trahere tractu ſiue auxilio ſufficienti, quo poſſimus piè operari, ſi volumus, quo auxilio ſufficienti, ſuppoſito noſtro influxu libero trahimus Deũ, & eius præueniẽtem gratiam, vt efficaciter influat, & cooperetur nobiſcũ, ſequeretur, Deũ ſua gratia præueniẽti ſolũ nos trahere ſufficiẽter, tribuẽdo poſſe operari, ſi volumus: ſed noſtrũ arbitriũ ſuo libero influxu traheret efficaciter Deum, & præuenientem gratiam ad actualiter concurrendum, & influendum cum eodem arbitrio in operationem piam; & conſequenter ſufficientia gratiæ actualis eſſet à Deo, efficacia autem eiuſdem gratiæ penderet à cooperatione liberi arbitrij; & eſſet ea poſterior, & pediſſequa, & ita nulla daretur gratia præueniens efficax, ſed omnis gratia actualis efficax eſſet ſubſequens, ad liberum influxum arbitrii. Nec ſatis eſt reſpõdere, quod gratia actualis, quæ, vt præuenit liberam cooperationem arbitrij, tribuit illi vires ſufficientes, quibus poſſit operari, ſi velit; adiuncta præſcientia media liberæ cooperationis arbitrij futuræ ex hypotheſi quod eadem gratia tangeretur, excitaretur, inuitaretur, & alliceretur in talibus circumſtantiis, dicitur, & eſt vera gratia efficax præueniens. Hoc enim nihil iuuat: tum quia, vt fatetur auctor ſententiæ contrariæ, præſcientia non dat efficaciam: tum etiam, quoniam licet daret efficaciam, illa eſſet ſubſequens ad liberam cooperationem arbitrij, cùm ante illam nul-

Solutio.

Leſſius lib. de gratia efficaci cap. 16. num. 5.

nullam admittat efficaciam eiuſdem auxilij. Ex quo videtur ſequi, quòd auxilium præueniens diuinæ gratiæ ſolùm in quantum ſufficiens præueniat liberam cooperationem arbitrij, ſed in quantum efficax eandem cooperationem ordine rationis ſubſequatur.

Illud verò, quod in eadem ſolutione affirmat, videlicet non eſſe neceſſarium, quòd tantum illi trahantur à Deo, qui ſequuntur, & conſentiunt, diſcuſſione indiget, & explicatione. Si enim loquamur de tractione ſufficienti, veriſſimum eſt, multos trahi à Patre qui non veniunt ad Chriſtum, ſed vocationi reſiſtũt. Si verò ſermo fiat de tractione efficaci, quæ per auxilium præueniens efficax, omnino aſſerendum eſt, eos dumtaxat trahi à Patre, qui ſequuntur & conſentiunt. Id enim expreſſe docere videtur Aug. *libro de Prædeſtinatione ſanctorum cap.6*. cùm ait: ***Multi audiunt verbum veritatis, ſed alii credũt, alii contradicunt, volũt ergo iſti credere, nolũt autẽ illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget, ſed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt vtique, quid veniat de miſericordia eius, quid de iudicio.*** Quibus verbis apertè docet, eos omnes, quorum voluntas præparatur à Domino præuenienti auxilio efficaci, conſentire Euangelio ſibi propoſito: alios verò, quorum voluntas non ſic præparatur, eidem Euangelio propoſito repugnare, etiam ſi auxilio excitante præueniantur. Idẽ docet *lib. de correptione, & gratia c.8.* vbi de fide Petri docet, quòd quia præparatur voluntas à Domino, ideo habuit in fide *liber-*

Gratia efficaci attracti omnes veniunt ad Chriſtum.

Auguſt.

Auguſt.

liberrimam, fortiſſimam, perſeuerantiſſimam voluntatem. Voluntas quippe humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratia potius libertatem: & vt perſeueret, delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem. Et *cap.* 12. *Subuentum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur, & ideo quamuis infirma, non deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur.* Ex quibus verbis deſumitur argumentum. Per gratiam efficacem Deus facit, vt liberum arbitrium inuictiſſimè, & indeclinabiliter piè operetur, neque aduerſitate aliqua vincatur. Ergo omnes, qui eiuſmodi auxilio trahuntur à Patre, ſequuntur Chriſtum, & conſentiunt. Accedit quòd, vt *diſputatione* 41. *de Auxiliis* oſtenſum eſt, prædeſtinatio eſt certa & infallibilis quantum ad effectus aſſequutionem certitudine ordinis, & cauſſalitatis mediorum. Ergo ex vi auxilii efficacis præoperantis gratiæ, quod Deus ſuis electis præparauit, certa eſt & infallibilis eorum cooperatio libera, qua ſequuntur Chriſtum, & ad vitam æternam perueniunt. Ergo omnes, qui eodem auxilio efficaci trahuntur à patre, veniunt ad Chriſtum, ſequuntur illum, & conſentiunt: qui autem non ſic trahuntur non veniunt, nec conſentiunt. Nec ex hoc ſequitur, neminem poſſe Deum ſequi, aut illi conſentire, niſi qui ſequitur, & conſentit, vel quòd non detur verum auxilium ſufficiens ſine efficaci, quoniam, vt ſæpius dictum eſt, tractio efficax non eſt neceſſaria, vt poſſit venire ad Chriſtum, aut conſentire, ſed vt re ipſa veniat, & conſen-

Digitized by Google

ſentiat. Vnde ex eo, quòd voluntas alicuius non præparetur, vel trahatur à Deo auxilio efficaci, non licet inferre, quòd non poſſit venire ad Chriſtum: ſed quòd re ipſa non veniet. Sed de hoc argumento latius agendum eſt *cap.* 5. Iuxta hanc doctrinam intelligendus eſt locus ille Ioannis 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum.* Si enim explicetur de tractione efficaci, illa dictio, *niſi*, non determinat verbum *poteſt*, ita vt ſenſus ſit, quòd nemo habeat auxilium ſufficiens, quo poſſit venire ad Chriſtum, niſi etiam præueniatur, & trahatur auxilio efficaci: ſed determinat verbum, *venire*, & ſenſus eſt: fieri non poteſt, vt aliquis veniat ad Chriſtum, & non trahatur à Patre auxilio efficaci, quæ explicatio habet fundamentum in Sancto Thoma *quæſt.* 1. *de potentia, articulo* 5. *ad primum.* Vbi in eodem ſenſu explicat illam propoſitionem: *Deus non poteſt facere, niſi ea, quæ præſcit, ſe eſſe facturum.* Qualiter autem voluntas creata poſſit reſiſtere auxilio efficaci, aut diſſentire ſi velit, *diſputatione* 32. 92. *de Auxiliis, & duabus ſequentibus* explicatum eſt. Videantur quæ dicta ſunt *diſputatione* 18. *de Auxiliis*, vbi diſcuſſa eſt illa difficulaas: Vtrum Deus prius natura influat in operationem piam quàm liberum arbitrium influat in eandem. *Ioan.* 6.

VI. *Secunda ſolutio.*

Reſpondet ſecundò ad noſtrum argumentum, liberum arbitrium propriè non trahere Deum ad operandum: nam licèt ſit cauſſa, quòd Deus inſtuat in opus hic, & nunc: non tamen id efficit ſolis naturæ viribus, ſed vnà cum viri-

Digitized by Google

viribus excitantis gratiæ; ſicut viciſſim gratia eſt cauſſa, cur opus ſit ſupernaturale: eo quod ſicut actus habet, quod ſit liber ex influxu arbitrij: ita, & quod ſit ſupernaturalis ex influxu gratiæ.

VII. Sed hęc etiam ſolutio videtur ſufficiens, nam vires ęxcitantis gratiæ non faciunt, quòd homo influat in operationem piam & velit; ſed ſolùm tribuunt poſſe influere cum gratia, ſi velit, aliàs omnes, qui gratia excitante præueniuntur, conſentirent vocationi diuinæ. Ergo ſequitur, quòd velle, & cõſentire, ac influere in operationẽ habeat liberũ arbitriũ ex viribus ſuis naturalibus partialiter (vt ait) cõcurrentibus cũ Deo ad operationẽ piã. Præterea, nam cùm aſſerit, quod ſicut actus habet, quod ſit liber ex influxu liberi arbitrij, ita & quòd ſit ſupernaturalis habet ex influxu gratiæ, &c. vel intelligit actũ piũ habere ſolũ ex influxu arbitrij, quòd ſit liber, ita vt id non habeat etiam, vt quo, à gratia, & hoc non videtur poſſe admitti: nam aliàs ſequeretur, liberum arbitrium ſolis viribus naturæ influere in actum ſupernaturalem, qua ratione eſt liber, & vitalis, ac per conſequens vita actus ſupernaturalis, & eius libertas eſſet à ſola natura, quod videtur repugnare verbis Domini: *Ioan.* 10. *Ego vitam æternam do eis*, quibus ſignificatur, vitam actus ſupernaturalis eſſe, vt quo, à gratia, ſicut *diſp.* 64. *de Auxiliis* oſtenſum eſt ex profeſſo, & latius *c.* 2. *huius libri*. Item etiam ſequeretur, piã operationem in quantum eſt meritoria vitæ æternæ non procedere, vt quo, à gratia, ſed ex ſolis viribus naturalibus arbitrij, nam ad actum merito-

Digitized by Google

meritorium requiritur intrinſecè quòd ſit liber. Eadem ratione etiam ſequeretur, quòd liberum arbitrium excitatum, & motum à Deo non influeret in operationem piam, quatenus ſupernaturalis eſt, & meritoria vitæ æternæ, nam ſi ſupernaturalitas actus liberi eſt à ſola gratia, ſicut libertas illius eſt à ſolo arbitrio, ergo liberum arbitrium, etiam adiutum diuina gratia non attingit actum, nec influit vllo modo in illum ea ratione, qua ſupernaturalis eſt, & meritorius vitæ æternæ. Dicendum eſt ergo Deum per gratiam adiuuantem, & liberum arbitrium attingere efficienter actum liberum ſupernaturalem, qua liber, & ſupernaturalis eſt, aliter tamen, & aliter: nam liberum arbitrium, ſeu homo per liberum arbitrium gratia informatum producit effectiuè illum actum, vt quod: gratia verò, vt quo, ſicut ignis, & forma ignis concurrunt ad productionem alterius, ignis quidem, vt agens quod, quia eſt ſuppoſitum operans, forma verò ignis, vt quo. Si autem intelligat, quòd pia operatio habet quòd ſit actus liber, non quidem ex ſolo influxu liberi arbitrij, ſed ex ipſo arbitrio, vt ſubeſt gratiæ excitanti, & adiuuanti, fateri tenetur, gratiam adiuuantem influere, vt quo, in operationem piam; non ſolùm qua ſupernaturalis eſt, ſed etiam qua libera eſt libertate filiorum Dei. Et ſimiliter confiteri tenetur, liberum arbitrium excitatum, & adiutum per gratiam influere, vt principium quòd ſubordinatum gratiæ in operationem piam, non ſolùm qua libera eſt, ſed etiam qua ſupernaturalis eſt, & meritoria vitæ æternæ.

Digitized by Google

VIII. Ex ijs ſequitur primò, liberum arbitrium non eſſe cauſſam, cur hic, & nunc Deus influat in opus, tum per dona ſua, tum per ſe ipſum, ſed è conuerſo, Deum per gratiam efficacem directè, & propriè eſſe cauſſam, quòd influxus liberi arbitrij cum gratia in operationem piam hic, & nunc exiſtat in rerum natura, potius quàm aliàs. Vt enim ex dictis *diſput.* 29. 99. & 100. *de Aux.* conſtat: Non ideo hic, & nunc fit opus pium, quia voluntas diuinitus excitata ſufficienti auxilio, voluit hic, & nunc illud facere; ſed quia Deus abſolutè vult hic, & nunc illud fieri, & efficaci auxilio mouet voluntatem, vt hic & nũc influat in idem opus pium, ideo fit.

IX. Sequitur ſecundò, liberum arbitrium etiam præparatum per ſolam gratiam ſufficientem, ſuo influxu non trahere Deum ad cooperandum ſecum: ſed è conuerſo, Deum ſua excitante, & adiuuante gratia trahere noſtrum arbitrium, vt liberè cooperetur gratiæ. Nec ſatis eſt dicere noſtrum arbitrium, quodam modo trahere Deum ad cooperandum ſecum, & ratio huius eſt, quoniam hæc loquutio æquiuocationem habet, & varium ſenſum in animis Theologorum ingenerare poteſt. Etenim, ſi illa dictio diminutiua, *quodammodo*, apponatur in illa propoſitione, ad ſignificandum noſtrum arbitrium gratiæ ſufficienti præuentum ſuo influxu Deum, & gratiam ipſius ad cooperandum ſecum trahere, non quidem propriè, & ſimpliciter, ſed valde impropriè, & ſecundùm quid, neceſſe eſt fateatur abſolutè noſtrum arbitrium, etiam diuinitus excitatum non trahere Deum,

aut

aut ipſius gratiam ad cooperandum ſecum, ſed èconuerſo, Deum ſua gratia efficaci trahere noſtrum arbitrium, vt liberè cooperetur ſecum: Si autem illa dictio diminutiua apponatur ſolùm ad ſignificandum, quòd Deus, ſeu gratia ipſius non attingit, nec producit in ſe ipſo actum pium, vel meritorium, abſque libera cooperatione arbitrij (quod veriſſimum eſt) id poterit Theologus aliis verbis proprijs explicare: nam propoſitio inducta id non ſignificat, niſi magna vis eidem inferatur. Sequitur tertiò, Deum per gratiam efficacem directè, & propriè eſſe cauſſam, quòd noſtrum arbitrium tanta intenſione, & perfectione liberè influat in operationem piam, quamuis idem arbitrium excitatum, & motum à Deo gratia efficaci ſit cauſſa ſecunda, & proxima principalis influens eadem intenſione in ipſam operationem piam, id quod ex profeſſo *diſputatione 62. de Auxiliis* oſtenſum eſt.

Vtrum auxilium actuale præueniens gratiæ excitantis phyſicè concurrat cum libero arbitrio ad productionem conſenſus, operíſque boni, an ſolùm moraliter.

CAPVT IIII.

QVIDAM doctores ex illis, qui arbitrantur, ſolam gratiam excitantem eſſe præuenientem comparatione con- I.

ſenſus liberi arbitrij exiſtimant, eiuſmodi auxilium præueniens non habere influxum phyſicum in conſenſum, & opus bonum: ſed ſolùm moraliter ad illud cooperari per modum ſuadentis, & allicientis. Poſito autem illo auxilio morali, Deum aſſiſtere libero arbitrio in actu primo, per ſingularem, & ſupernaturalem concurſum, qui ſuppleat defectum phyſicæ cooperationis illius auxilij. Hanc ſententiam ſequitur Doctor Maſcarenhas 4. *parte diſputation.* 1. *de Auxiliis numer.* 9. *pagin.* 64. *& ſequent.* quam etiam tanquam probabilem defendit Pater Leſſius *libro de gratia efficaci capit.* 15. *&* 17. quamuis cenſeat eſſe probabilius, quòd concurrat etiam phyſicè. Cùm enim auxilium illud præueniens horum ſententia non poſſit phyſicè cooperari, ſicut cooperantur habitus virtutum ſupernaturales, neceſſe eſt, Deum ſingulari concurſu ſupplere illum defectum, præbendo maiorem concurſum, & influxum, quam præbet, cùm adeſt habitus realiter cooperans: & hunc concurſum vocant gratiam adiuuantem. Probant hanc ſententiam.

Maſcaren. *P. Leſſ.*

Primò, *quia parum refert ad Eccleſiæ doctrinam, vtrum dicas, auxilium præueniens phyſicum influxum habere in opus, an ſolùm moralem: vtrum per modum cauſſæ partialis phyſicæ cooperetur libero arbitrio, an ſolùm in modum cauſſæ moralis, ſuadendo, & alliciendo. De hac enim re nunquam fuit quæſtio in Eccleſia: ſed pertinet ad profundiores difficilioreſque quæſtionum incurrentium partes: quas ſicut non debemus contemnere, ita non habemus neceſſe aſtruere, vt inquit Caleſtinus epiſt.* 1. *Satis ergo eſt confiteri*

Arg. P. Leſſ. c. cit. n. 4. *Celeſt. ep.* 1.

Digitized by Google

teri, nos nihil boni poſſe, niſi auxilio diuino præuenti, & adiuti fuerimus. Vtrum vero idem auxilium præueniens ſit adiuuans: & vtrum auxilium præueniens adiuuet phyſicè, an moraliter, relinquitur ſcholis diſputandum. Hæc ille.

Secundò. Auxilium præueniens verè poteſt dici,& eſſe efficax comparatione conſenſus futuri, etiam ſi influxum phyſicum in ipſum conſenſum non habeat, neque illum verè efficienter attingat. Ergo non eſt neceſſarium, quòd phyſicè producat cum libero arbitrio ipſum conſenſum. Patet conſequentia, nam ſi phyſicè, ſeu influxu phyſico deberet influere in conſenſum; ideo eſt,quoniam aliàs nullum auxilium præueniens eſſet re vera efficax: Auxilium enim efficax debet habere vim efficiendi operis, & re ipſa illud efficere, quod abſque influxu phyſico eſſe non poteſt. Antecedens autem probatur, quia in negotio morali, vt aliquid dicatur cauſſa, ſufficit eſſe cauſſam moralem. Ergo vt dicatur cauſſa efficax, ſufficit, vt morali modo efficax ſit, quæ efficacia in eo conſiſtit, vt moueat naturam intellectu & ratione præditam ad agendum, ita vt re ipſa ſequatur actio. Hoc enim eſt proprium cauſſæ moralis, vt ipſa per ſe immediatè non producat phyſicè opus, ſed moueat naturam ratione præditam ad illud producendum. Moueat,inquam,vel imperando, vel ſuadendo, vel deprecando, vel ex vi pactionis præcedentis, &c. Et conſequenter interior apprehenſio horum vnà cum affectione præuia voluntatis, ſi qua inde orta fuerit,eſt etiam cauſſa moralis,&

quidem proxima. Etſi enim phyſicè non influat in opus, tamen phyſicè afficit operantem, illumque in opus inclinat.

Eodem c. 15. num. 7.

Confirmatur primò idem antecedens: *Nam is, qui exterius ſuadet, & allicit ad conſenſum, poteſt dici cauſſa efficax eiuſdem conſenſus: cùm tamen actio eius ſit extra hominem. Ergo multo magis ipſa ſuaſio, & allectio realiter animam afficiens, & inclinans poterit dici cauſſa efficax operis.*

Confirmatur ſecundò idem antecedens argumento Leſſij *capite* 15. *citato, numero* 8. *In cauſſa morali poteſt eſſe magna efficacia, vt patet primò in tentationibus, quibus homo ſine auxilio gratia non poteſt reſiſtere; ſecundò in viſione beatifica, qua ſecundùm veriorem ſententiam non influit phyſicè in actum amoris, ſed ſolùm morali modo ad eum mouet: & tamen adfert voluntati neceſſitatem. Tertiò in intentione finis, qua (multorum ſententia) non cooperatur phyſicè ad electionem; tamen ex ea neceſſariò ſequitur electio, quando ſolùm eſt vnum medium. Quartò in aſſenſu principiorum, qui ſimiliter (multorum ſententia) non concurrit phyſicè ad aſſenſum concluſionis; tamen hic aſſenſus neceſſariò ex illo ſequitur.*

Confirmatur tertiò: *Quia ad efficaciam gratia prauenientis non requiritur, vt opus ex ea ſequatur neceſſariò, aut vt ei praſenti non poſſit reſiſti, vt defenſores auxilij ex ſe efficacis volunt; ſufficit, vt ita moueat voluntatem, vt ſecundùm diuinam praſcientiam ſequatur infallibiliter opus. Ergo ad hoc, vt gratia dicatur efficax, non requiritur, vt phyſicè ad opus concurrat. Quod confirmari poteſt ex Diuo Auguſtino lib. 1. quaſt. 2. ad Simplicianum, vbi gratiam efficacem conſtituit in vocatione*

congrua non requiritur vt phyſicè producat opus, ſed, vt perſuadeat voluntati conſenſum: Ergo etiam ſi tota gratia præueniens conſtitueretur in cogitatione congrua, diuinitus immiſſa, qua Deus ita rem obiicit animo, ſicut nouit aptum eſſe, vt eam amplectatur: nihilominus rectè diceretur gratia efficax.

Tertiò arguit deſtruendo fundamentum potiſſimum contrariæ ſententiæ. Ex eo enim probat gratiam præuenientem influere in opus pium non ſolùm morali; ſed etiam phyſico influxu, nam aliàs oppoſitæ ſententiæ auctores viderentur incidere in errorem Pelagij, cùm ipſe Pelagius tandem confeſſus fuerit præuenientem gratiam, quæ moraliter influeret in opera pietatis, illuminando videlicet intellectum, & ſuadendo voluntati, omne quod bonum eſt, vt patet ex Sancto Auguſtino *libro de gratia Chriſti contra Pelagium & Cæleſtinum cap. ſeptimo, &* 10. Sed hæc ratio ſupponit falſum. Ergo. Minor probatur: Nam *ſententia eorum qui defendunt probabili opinione, auxilium præueniens ſolùm moraliter cooperari, & adiuuare hominem ad conſenſum, quadrupliciter differt à ſententia Pelagii. Primò, quod Pelagius præter naturam liberi arbitrii non agnoſcat vllam gratiam præuenientem: quàm legem, & doctrinam, vt oſtendit Diuus Auguſtinus libro de gratia Chriſti cap. 47. & ſequentibus. Vbi verba Pelagii citantur, & expenduntur. Illi verò præter legem, & doctrinam interius, exteriuſve propoſitam, ponunt etiam veram illuſtrationem intellectus per infuſionem luminis, & ſanctam cogitationem diuinitus immiſſam. Ponunt etiam*

I. *Leſſ. c. 17. num. 4.*

Auguſtin.

Auguſtin.

pium affectũ præuium in voluntate diuinitùs excitatum. Secundò, Pelagius totam gratiam adiuuantem conſtituebat in lege & doctrina, vt vbique impingit ei D. Auguſtinus, & conſtat ex verbis Pelagij locis citatis: Adiuuat enim nos per doctrinam, & reuelationem,&c. Illi etiam gratiam adiuuantem conſtituunt in pio affectu præuio, & maximè in ſupernaturali cooperatione Dei, qua ſupplet defectum cauſſæ creatæ; & poſt iuſtificationem, in habitibus infuſis. Doctrinã quidẽ, ſeu bonam cogitationẽ, & piũ affectũ voluntatis ponunt morali quodam modo iuuare voluntatem ad conſenſum: Supernaturalem autem cooperationem phyſicè & reali influxu in opus, ſimili modo habitus ſupernaturales iuuant. Quòd ſi Pelagius præter legem,& doctrinam ſtatuiſſet eſſe neceſſariam illuminationem mentis ſupernaturalem, & auxilium ſupernaturale adiuuans,nulla ei quæſtio (vt D. Aug. de gratia Chriſti c.47 teſtatur) mota fuiſſet. Nam illuminatio, ſeu bona cogitatio diuinitus immiſſa ſufficiens videri poterat pro gratia excitante; cùm ex ea naturaliter affectus aliquis præuius in voluntate reſultet; quamuis hic in ſubſtantia ſupernaturalis non ſit. Sed id neceſſarium non videtur, quando ponitur, diſtinctum auxilium adiuuans, quod ſupernaturale ſit. Poſita igitur mentis illuminatione; qua bonum apprehendatur, & cognoſcatur, & affectus ex ipſa reſultante in voluntate, erit in poteſtate voluntatis per auxilium diuinæ cooperationis illud amplecti conſenſu ſupernaturali, etiam ſi in voluntate non præceſſerit affectus præuius in ſubſtantia ſupernaturalis. Sanè nullo modo dubitari poteſt, quin Deus talem cooperationem ſupernaturalem in poteſtate hominis, poſita dumtaxat per piam cogita

gita

gitationem, excitationem, etiam ſi nulla in voluntate affectio præuia ſupernaturalis exiſteret, collocare potuerit. Quòd ſi Pelagio, illis poſitis, nihil controuerſiæ de gratiæ auxilio futurum fuiſſet, quanto minus illis quæſtio moueri poteſt, qui præter illuminationem ſupernaturalem, & auxilium ſupernaturale adiuuans, ponunt affectum præuium in voluntate diuinitus excitatum, & ſupernaturalem? Utrum autem iſte affectus præuius influat phyſicè in conſenſum voluntatis, an ſolùm moraliter, ſuo pondere voluntatem inclinando, vt ipſa cum auxilio adiuuante, quod ipſi adeſt in actu primo, conſenſum ſupernaturalem eliciat, diſputatur vtrinque à viris doctiſſimis probabiliter, neutra parte ad fidei doctrinam vllo modo pertinente. Tertiò Pelagius, & ſi tandem ſcripturis conuictus admiſerit aliquam gratiam internam, hanc tamen non requirebat, vt homo abſolutè poſſit bonum operari, ſed ſolùm, vt facilius poſſet: illi verò eam requirunt, vt abſolutè poſſit. Quartò Pelagius non requirebat vllos habitus, aut dona interna ſupernaturalia, quibus homo iuſtificetur. Illi huiuſmodi dona interna requirunt, tum, vt homo iuſtificetur, tum, vt poſt iuſtificationem bene operetur.

III. *Secũda ſententia.*

Secunda ſententia eſt aliorum Theologorum aſſerentium, auxilium præueniens gratiæ excitantis, non ſolùm morali modo; ſed etiam phyſicè cooperari, ita, vt realem influxum in conſenſum, & bonum opus habeat, tanquam partialis cauſſa; vnà cum libero arbitrio. Exiſtimãt enim *ex libero arbitrio, & auxilio præueniente conſtitui vnam integram cauſſam boni operis, cuius principalis pars ſit auxilium præueniens, à quo opus habeat eſſe ſupernaturale; minus principalis liberũ arbitrium, à quo actus habeat, quòd ſit liber, & vitalis.* Ita lo-

Molina in Conc. diſput. 39. §. deinde & Leſſius li. de grat. efficac. c. 15. n. 3. & P. Suarez lib. 3. de Auxil. c. 4. n. 10. & cap. 5. n. 3.

Digitized by Google

Argumẽtum Leſsij. quitur Leſſius: Et nomine *gratiæ præuenientis* intelligunt excitantem gratiam, nam præter illam nullam aliam actualem gratiam præuenientem agnoſcunt. Argumenta quibus conuincuntur ſunt hæc. Vnde ſit in ordine

Quartum argumẽtum; quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. cap.* 5. dicit, hominem diſponi per excitantem, & adiuuantem gratiam, vt ſe conuertat conſentiendo *eidem gratiæ*, vbi indicatur, eandem eſſe gratiam quæ excitat, & quæ conſentientem adiuuat: ergo eadem gratia excitans adiuuat conſentientem phyſicè cum illo in operationem piam influendo.

Quintò. Concurſus diuinus non dicitur propriè gratia adiuuans, hoc enim nomine ſignificatur potiùs principium aliquod operatiuum concurrens cum libero arbitrio quam ipſa opitulatio, & concurſus. Ergo ſi gratia excitans, ſeu præueniens non adiuuat hominem influendo phyſicè in eius conſenſum, ſequeretur, quòd nulla eſſet gratia adiuuãs creata, ſed ſolus Deus dicendus eſſet gratia adiuuans, quod non videtur poſſe admitti.

Sextò. Gratia adiuuans diſponit hominem, vt ſe conuertat, conſentiendo eidem gratiæ, vt Concil. Trident. loquitur: ſed concurſus Dei non diſponit hominem ad conſenſum, cùm ſit ipſe conſenſus, vt à Deo procedens. Ergo concurſus Dei non eſt gratia adiuuans. Ergo gratia excitans conſentiente libero arbitrio ſortitur rationem gratiæ adiuuantis per nouum influxum phyſicum in eundem conſenſum. Ergo influit phyſicè, & non ſolùm moraliter.

Septi

Digitized by Google

Septimò. Gratia præueniens tribuit voluntati vires ad conſenſum eliciendum, & conuerſionem efficiendam iuxta doctrinam S. Auguſtini, per quas vires liberum arbitrium dicitur ſe conuertere, & diſponere ad iuſtificationem: Ergo oportet, vt phyſico influxu influat cum libero arbitrio in conſenſum. Probatur conſequentia, nam vires quibus potentia perficitur, aut eleuatur ad operandum, neceſſe eſt phyſicè influant cum ipſa potentia in eandem operationem, aliàs enim prorſus ocioſæ eſſent & inutiles.

Octauò. Auxilium præueniens gratiæ excitantis non minus trahit, & inclinat voluntatem ad opus bonum, quàm habitus, ſed multo magis; atqui habitus præſertim infuſi cooperantur phyſico influxu cum libero arbitrio in opus pium, ſeu conſenſum. Ergo ſimiliter cooperabitur gratia excitans præueniens.

Confirmatur, quia gratia excitans præueniẽs eſt inclinatio quædam actualis in opus, & ſe habet per modum impetus impreſſi, vel ponderis, ſed in rebus corporalibus huiuſmodi impetus, vel pondus phyſico influxu concurrit effectiuè ad motũ. Ergo ſeruata proportione idem erit dicendum in ſpiritualibus motibus animæ.

Tertia ſententia eſt Thomiſtarum, quam ego veriſſimam exiſtimo, & ad mentem Sanctorum Auguſtini, & Thomæ. Ad cuius explicationem ſupponendum eſt, auxilium actuale gratiæ præuenientis eſſe duplex, vt dixi ſuperius *l.2.c.1.n.* 37. Aliud eſt auxilium excitantis gratiæ, ſeu ſufficiẽtis, aliud verò gratiæ adiuuãtis, ſeu efficacis. *Tertia ſententia.* *Gratia præueniens eſt duplex nẽpe excitans, & adiuuans.*

Hæc

Hæc autem duo auxilia non diſtinguuntur ſolùm ab effectu, quia nimirum auxilium efficax habet coniunctum arbitrij conſenſum à Deo præuiſum, aut præcognitum, auxilium autem ſufficiens, vel inefficax non producit eundem conſenſum; ſed etiam diſtinguuntur ſecundùm aliquam realem virtutem intentionaliter exiſtentem in vno, & non in alio. Nam auxilium efficax, vt ſubeſt decreto abſoluto Dei antecedenter ad præſcientiam cooperationis arbitrij futuræ etiam ex hypotheſi, volentis hominem conuertere, addit aliquam realem virtutem per modum intentionis, quæ non eſt in auxilio ſufficienti, vt *libro de Auxiliis diſputatione* 72. *&* 90. oſtenſum eſt. Neceſſitas autem conſtituendi hæc duo auxilia præuenientis gratiæ inter ſe diſtincta ex dictis in præallegatis diſputationibus, *& diſp.* 18. 22. *&* 23. colligi poteſt.

Notandum ſecundò, quòd in hac parte loqui poſſumus de actibus ſupernaturalibus, qui eliciuntur à libero arbitrio ante infuſionem habitus, quales ſunt attritio propter pœnas inferni, aut propter turpitudinem peccati, deſiderium imperfectum conſequendi gratiam, &c. aut verò de actibus, qui eliciuntur à potentiis eleuatis, & perfectis per habitus ſupernaturales Fidei, Spei, Charitatis, &c. Sit ergo

Prima concluſio. Neceſſe eſt dicere, quòd auxilium aliquod præuenientis gratiæ actualis efficienter, ſeu phyſico influxu concurrat cum libero arbitrio ad actus ſupernaturales, qui eliciuntur ante infuſionem habitus. Probatur primò. Liberum arbitrium per ſolam facultatem naturæ

Digitized by Google

naturæ non habet proximam virtutem actiuam, qua eiuſmodi actus ſupernaturales elicere valeat. Ergo neceſſe eſt, quòd eleuetur, & accipiat vires per auxilium actuale præuenientis gratiæ ſibi inhærens, quibus tales actus ſupernaturales poſſit producere: nam (vt ſupponimus) liberum arbitrium, non habet habitum ſupernaturalem, quo eoſdem actus poſſit efficere. Sed virtus actiua cuiuſcumque potentiæ phyſico influxu producit, vt quo, actum eiuſdem potentiæ, ſicut calor ignis phyſico influxu producit calorem in ligno, quia eſt virtus actiua ignis. Ergo auxilium aliquod præuenientis gratiæ phyſicè influit cum libero arbitrio in operationem piam.

Si dicatur, Deum ſingulari concurſu ſimultaneo ſupplere defectum influxus phyſici gratiæ præuenientis præbendo maiorem concurſum, & influxum, quam præbeat, cùm adeſt habitus phyſicè influens cum potentia in operationem piam: Contra hoc eſt, nam ille concurſus Dei ſimultaneus, cùm non ſit influxus immediatus in potentiam: ſed cum potentia in actum, quantumuis augeatur, non tribuit libero arbitrio virtutem actiuam, qua poſſit operationem ſupernaturalem efficere, quoniam, vt *diſput.67.de Auxiliis* oſtendi, abſque auxilio gratiæ inhærente ſola aſſiſtentia extrinſeca Spiritus ſancti, non poteſt liberum arbitrium aliquem actum ſupernaturalem elicere. Ergo. *Solutio.* *Impugnat.*

V. Secunda concluſio. Etiam quando liberum arbitrium conſtitutum eſt in actu primo per habitum ſupernaturalem, adhuc neceſſarium eſt auxi

auxilium præueniens, quo Deus potentiam eleuatam per habitum ad actum ſecundum reducat. Hanc concluſionem probaui ex profeſſo *diſp.* 88. *de Auxiliis*, vbi multis teſtimoniis Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum, ac rationibus Theologicis eam corroboraui, ibi poterunt videri.

VI. *Auxiliũ excitantis gratiæ non influit phyſicè in operationem piam.* Tertia concluſio. Auxilium præueniens gratiæ excitantis non habet phyſicum influxum in conſenſum, ſeu piam operationem liberam, ſed ſolùm moralem. Probatur. Gratia excitans ſolùm mouet liberum arbitrium ad conſenſum per modum ſuadentis, allicientis, inuitantis: Ergo ſolùm eſt cauſſa piæ operationis morali, non autem phyſico influxu. Probatur conſequentia, nam qui ſolùm alliciendo, ſuadendo, aut inuitando eſt cauſſa alicuius actus, non influit in illum influxu phyſico, ſed ſolùm morali, vt patet in humanis. Rhetores enim non cauſſant phyſicè motum voluntatis audiẽtium, quia ſolùm ſuadendo mouent illam. Confirmatur, nam vt docet Sanctus Thomas *quæſtione* 3. *de malo, articulo* 3. Diabolus non poteſt eſſe cauſſa peccati hominis, quia ſolùm ſuadendo mouet voluntatem illius ad peccandum. Ergo, ſi gratia excitans ſolùm alliciendo, inuitando, aut ſuadendo eſt cauſſa piæ operationis, aut conſenſus: ſequitur quòd ſolùm moraliter, non autem influxu phyſico ſit cauſſa illius. *S. Thom.*

S. Thom. Secundò probatur ratione Sanct. Thom. *articulo* 3. *allegato de malo.* Cauſſa perficiens, ſeu phyſica eſt illa, ad quam ſequitur effectus: ſed ad actionem conſulentis, imperãtis, aut ſuadentis non

tis non ſequitur effectus, nempe conſenſus liber alterius. Suaſio enim non cogit inuitum, vt S. Auguſtinus dicit *libr.* 83. *quæſtion.* Cùm ergo gratia præueniens excitans ſolùm ſuadendo, alliciendo, &c. ſit cauſſa conſenſus, ſequitur quòd non ſit propriè cauſſa phyſica illius, ſed ſolùm moralis.

Tertiò. Id quod non exiſtit non habet phyſicum influxum in aliquem effectum, cauſſa enim efficiens operatur in quantum eſt actu: ſed multoties contingit quòd gratia excitans tempore præcedat conſenſum, & piam operationem: Ergo ſaltem tunc non erit phyſico influxu cauſſa eiuſdem conſenſus, ſed ſolùm morali. VII.

Quartò. Motus gratiæ excitantis ſolet eſſe minus perfectus quàm actus ſupernaturalis, ad quem mouet. Solet enim Deus viua quadam mortis repræſentatione, aut timore gehennæ excitare & mouere ad actum contritionis, aut dilectionis Dei ſuper omnia, qui actus, & accidentaliter, & ſpecificè ſunt præſtantiores motibus excitantis gratiæ: Ergo huiuſmodi gratia excitans non erit phyſico influxu cauſſa efficiens horum actuum. Probatur conſequentia, nam cauſſa efficiens debet eſſe ad minus æquè perfecta, ſicut eſt eius effectus, cùm tota perfectio effectus virtute contineatur in cauſſa.

Quintò. Actus vnius potentiæ non habet phyſicum influxum in actum alterius potentiæ, vt patet ex illo communi proloquio: Eius eſt actus cuius eſt potentia: Ergo excitatio, quæ eſt in VIII.

in

in intellectu, non eſt cauſſa verè efficiens, ſeu phyſica conſenſus, qui eſt in voluntate, ergo multò minùs erit cauſſa phyſica aliorum actuum ſupernaturalium, qui eliciuntur ab appetitu ſenſitiuo.

Si dicatur, quòd in opinione probabili multorum Theologorum iudicium practicum, ſeu imperium intellectus concurrit efficienter ad actum voluntatis. Contra hoc eſt, quoniam licet id admittatur, tamen omnium ſententia impoſſibile eſt, quòd virtus, aut vis actiua vnius potentiæ tribuat, vel ſuppleat virtutem actiuam, quæ ex parte alterius potentiæ neceſſaria eſt ad operandum. Si enim voluntas non haberet virtutem proximam actiuam ad eliciendum conſenſum, iudicium practicum, aut imperium intellectus eam ſupplere non poſſet. Cùm ergo potentiæ naturales ſecundùm ſe non habeant proximam virtutem actiuam ad eliciédum cõſenſum, iudicium practicum, aut imperiũ intellectus eam ſupplere non poſſet. Cùm ergo potentiæ naturales ſecundùm ſe non habeant proximam virtutem actiuã comparatione actuum ſupernaturalium, relinquitur, quòd excitatio, quæ eſt in intellectu, non poſſit virtutem actiuam alterius potentiæ ſupplere; Ergo gratia excitans non eſt principium effectiuum phyſico influxu conſenſus voluntatis, vel alterius piæ operationis.

IX. *Actus indeliberatus nõ poteſt eſſe principium effectiuum deliberati.*

Sextò. Actus indeliberatus potentiæ non poteſt eſſe principium phyſicum effectiunm actus deliberati eiuſdem potentiæ, præſertim reſpectu eiuſdem obiecti: ſed gratia excitans conſiſtit in actibus

in actibus indeliberatis intellectus, & voluntatis, nempe in illuſtratione repentina intellectus, & motu, ſeu affectione voluntatis naturaliter ex eadem illuſtratione reſultatę, vt fatentur auctores ſententiæ contrariæ: Ergo gratia excitans non poteſt eſſe principium effectiuum actus deliberati, voluntatis, & intellectus. Maior probatur, nam principium effectiuum debet eſſe, vel ſaltem poteſt eſſe ſimul cum ſuo effectu, præſertim in actionibus inſtantaneis, & immanentibus, quales ſunt actus intellectus, & voluntatis: ſed actus indeliberati intellectus, & voluntatis, in quibus conſiſtit gratia excitans, non poſſunt eſſe ſimul in eiſdem potentiis, cum actibus deliberatis comparatione eiuſdem obiecti; nam deliberatum, & indeliberatum opponuntur contrariè, vel contradictoriè, ac per conſequens non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto: Ergo actus indeliberati intellectus, & voluntatis, in quibus conſiſtit gratia excitans, non poſſunt eſſe phyſicum principium effectiuum actus deliberati intellectus, & voluntatis comparatione eiuſdem obiecti. Eadem concluſio corroborari poteſt ex dictis *diſp. 75. de Aux.* vbi explicauimus effectus, quos in nobis cauſſat gratia excitans.

X.

Quarta concluſio. Auxilium pręueniens gratiæ adiuuantis, ſeu efficacis, quæ diſtincta eſt à gratia excitante, phyſico influxu concurrit cum libero arbitrio ad conſenſum liberum, ſeu piam operationem voluntatis. Hæc concluſio, quòd attinet ad actus liberos ſupernaturales antecedentes infuſionē habitus, facilè probatur ex di-

ctis, nam liberum arbitrium non poteſt elicere actus ſupernaturales abſque aliquo principio actiuo ſupernaturali ſibi inhærente, vt *d.67. de Auxiliis* oſtenſum eſt: ſed ante infuſioné habitus nullum datur principium effectiuum inhærens libero arbitrio, quo effectiuè actus liberos ſupernaturales eliciat, niſi auxilium præueniens gratiæ adiuuantis: eo quòd gratia excitans non cauſſat phyſicè eiuſmodi actus; ſed ſolùm moraliter, vt concluſione præcedenti oſtenſum eſt. Nec etiam habitus infuſus eſt principium effectiuum eorundem actuum, quia, vt ſupponimus, tempore antecedunt infuſionem habitus. Ergo auxilium præueniens adiuuantis gratiæ eſt principium effectiuum eorundem actuum.

Secúdò probatur vniuerſaliter etiam in actibus, qui procedunt ex habitibus infuſis. Complementum virtutis actiuæ concurrit phyſico influxu ad effectū eiuſdem virtutis actiuæ, aliàs eſſet fruſtra: ſed auxilium præueniés gratiæ adiuuantis eſt complementum virtutis actiuæ habitus ſupernaturalis, vt *diſp.19.de Auxiliis nu.5.* oſtenſum eſt. Ergo, &c.

Secundò. Auxilium efficax præuenientis gratiæ phyſicè præmouet, applicat, & prædeterminat liberum arbitrium ad operandum, vt *diſp.23. de Auxiliis* viſum eſt. Ergo phyſico influxu concurrit ad piam operationem. Probatur conſequentia, nam id, quod applicat, & prædeterminat virtutem actiuam ad operandum, eſt cauſſa phyſica, ſeu verè efficiens operationis, vt 1.*parte quæſtion.* 105. *artic.5.& quæſtion.3.de potentia articulo 7.in corpore* docet S. Thomas. Ergo, &c.

S. Thom.

Tertiò.

Tertiò. Deus per auxilium præueniens gratiæ adiuuantis, ſiue efficacis efficit ad modum cauſſæ phyſicæ, vt liberum arbitrium cooperetur, & conſentiat vocationi diuinæ, vt *diſput.* 86. *de Auxiliis* oſtenſum eſt. Ergo phyſico influxu concurrit ad conſenſum.

Ad argumenta facta pro prima ſententia reſpondetur, vt plurimum ſolùm concludere, quòd auxilium præueniens gratiæ excitantis non habeat influxum phyſicum in conſenſum, ad quem allicit voluntatem, ſed ſolùm moralem: quatenus verò videntur procedere de præuenienti auxilio gratiæ adiuuantis, ſeu efficacis, occurrendum eſt ſingulis. XI.

Ad primum argumentum reſpondetur, non modicum referre ad Eccleſiæ doctrinam, ſententiam de phyſico influxu prouenientis gratiæ adiuuantis in conſenſum liberum, vt ex dictis in 4. *concluſione, & in lib. de Auxiliis diſp.*18. 23.*&* 86. conſtat. Vtrumque enim fateri neceſſe eſt, quòd ſcilicet gratia præueniens excitans moralem influxum habeat conſenſum liberum, & quòd gratia præueniens adiuuans habeat influxum phyſicum in eundem conſenſum. De hac enim re fuit magna quæſtio in Eccleſia temporibus S. Aug. Proſperi, & Hilarij, vt *diſp.* 1. 2. 82. 99. *&* 100. *de Auxiliis* latiſſimè oſtendi. Nec eſt admittendum, gratiam adiuuantẽ, & liberum arbitrium eſſe duas cauſſas partiales ſupernaturalis conſenſus. Vtraque enim eſt totalis in ſuo genere, quarum vna, nempè liberum arbitrium eſſentialiter ſubordinatur alteri, videlicet Deo mouenti per gratiã, ſubordinatione nõ ſolũ in

Sſ 2 eſſendo,

Digitized by Google

eſſendo, ſed etiam in operando, vt *diſput.* 85. *de Auxiliis* oſtenſum eſt. Nec ſatis eſt confiteri, nos nihil boni poſſe niſi auxilio diuino præuenti, & adiuti fuerimus, ſi nomine *auxilij præuenientis* intelligatur ſolùm gratia excitans, & nomine *adiutorii* ſignificetur tantũ concurſus gratiæ ſimultaneus, & immediatus in operationem piam ſuppoſita libera determinatione noſtri arbitrii à Deo præcognita per ſcientiam mediam: ſed vltra hæc, neceſſe eſt confiteri, gratiam adiuuantem præuenire ordine rationis, & cauſſalitatis cooperationem liberi arbitrij non quidem producendo ipſum conſenſum abſque libera cooperatione eiuſdem arbitrij; ſed efficiendo, vt liberum arbitrium cooperetur, & conſentiat, vt ex præmiſſis *diſp.* 82 *&* 86. *de Auxiliis* conſtat.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, auxilium præueniens non poſſe dici verè, & eſſe efficax comparatione conſenſus futuri, niſi influxum phyſicũ in ipſum conſenſum habeat. Et ad impugnationem reſpondetur, quòd cauſſa moralis, quæ ſolùm ſuadendo, alliciendo, vel imperando inducit effectum, non eſt propriè cauſſa, ſed metaphoricè, vt docet Sanctus Thomas quæſtione 3. *de malo, artic.* 3. *in corpore.* Vnde cauſſa, quæ ſolùm eſt efficax influxu morali, non eſt verè, & propriè cauſſa efficax, ſed ſolùm metaphoricè. Vt ergo gratia præueniens ſit verè & propriè cauſſa efficax, quòd homo conſentiat, vel ipſius conſenſus, non ſufficit quod phyſicè afficiat operantem, niſi etiam ad modum cauſſæ phyſicæ liberum eius arbitrium præmoueat, & applicet ad operandum, & cum eodem arbitrio

Cauſſa duplex propriè & metaphoricè.

influxu

Digitized by Google

influxu phyſico piam operationem producat. Et per hæc reſpondetur ad primam confirmationem.

Ad ſecundam confirmationem dicitur, quòd in cauſſa, quæ ſolùm moraliter mouet, aut ex parte obiecti, non poteſt eſſe in via magna, imo nec vera efficacia, ſed ſolùm metaphorica, & moralis, quæ deficere poteſt, & multoties deficit. Nam vt *diſput.7.de Auxiliis numero* 15. oſtendi variis teſtimoniis Sancti Thomę, nullum bonum particulare, imo nec ipſum bonum vniuerſale, quod eſt Deus, quantumuis congruè propoſitum voluntati hominis, dum eſt in via, poteſt vt obiectum eam efficaciter mouere, quantum ad exercitium actus. Et ad primum exemplum inductum de magnis tentationibus dicendum, quòd nulla tentatio ſiue externa ſit, ſiue interna, nec etiam tentator ipſe poteſt eſſe cauſſa efficax quòd homo peccet, vel ipſius peccati, vt *quæſt.* 3. *de malo* docet S. Thom. & rationem aſſignat, quia ſolùm per modum ſuadentis mouet ſuis tentationibus ad peccandum. Idem docet 1. *parte, quæſtione* 105. *artic.*4. *in corpore, & quæſtione* 106. *artic.*2. *in corpore*, *& quæſtione* 111. *artic.*2. Vnde 1.2.*q*.10. *art*.2. probat ex profeſſo, quòd nullum bonum particulare mouet ex neceſſitate, ſeu efficaciter voluntatem, & *artic.*5. idem probat de appetitu ſenſitiuo, & aſſignat rationem, nam paſſio appetitus ſenſitiui mouet voluntatem ex ea parte, qua voluntas mouetur ab obiecto, ſcilicet per modum ſuadentis, de quo plura diximus *quæſt.7. de Auxiliis numero* 15. *& diſputation.*54. *num.* 21. Quòd autem

Nulli obiectum in via mouet efficaciter voluntatem.

S. Thom.

Digitized by Google

liberum arbitrium in natura lapſa non poſſit abſque auxilio gratiæ reſiſtere grauiſſimis tentationibus, etiam pro breui tempore, non prouenit ex eo quòd tentationes ipſæ, vel paſſiones neceſſitent voluntatem, vel efficaciter illam trahant ad peccandum: ſed ex debilitate, & infirmitate naturæ, quam incurrit per peccatum: ſicut ex eadem infirmitate prouenit, quod non poſſit abſque auxilio gratiæ diligere Deum ſuper omnia, etiam vt eſt auctor naturæ, vt *diſp. 51. de Auxiliis* oſtenſum eſt.

Ad aliud exemplum de viſione beatifica, quidquid ſit de illa quæſtione, an hæc viſio habeat influxum phyſicum in actum amoris, an non, reſpondetur cum S. Thoma *quæſt. 3. de malo art. 3. in corpore, & 1. parte, quæſt. 106. artic. 2.* quòd Deus clarè viſus explet totam capacitatem voluntatis creatæ; Vnde non poteſt repræſentari illi vt bonum ceſſare ab actu dilectionis Dei, ac per cōſequens bonum illud vniuerſale clarè viſum efficaciter mouet voluntatē. Hæc autem ratio non procedit in via, quia de quocunque obiecto, etiam ſi ſit bonum ipſum vniuerſale, poteſt intellectus non cogitare; ac per conſequens voluntas poteſt non velle illud quantum ad exercitium actus. Vnde nullum bonum in via etiam Deus ipſe in quantum obiectum mouet efficaciter voluntatem. Ad aliud de intentione finis reſpondetur, quòd quando ſolùm eſt vnum medium, electio illius eſt intrinſecè connexa cum efficaci intentione finis. Vnde ſuppoſita huiuſmodi intentione finis neceſſariò neceſſitate infallibilitatis ſequitur

Obiectū beatificū mouet efficaciter voluntatem beati.

electio illius medij. Nullum autem bonum particulare habet neceſſariam connexionem cum beatitudine in communi, ad quam naturaliter eſt determinata voluntas quantum ad ſpecificationem; nec etiam habet neceſſariam aut infallibilem connexionem cum determinato actu voluntatis; quia voluntas, cùm ſit libera, ſe habet indifferenter ad oppoſita. Vnde nullum bonum propoſitum voluntati in via poteſt illam efficaciter mouere, vt bonum illud eligat.

Ad aliud de aſſenſu principiorũ reſpondetur, quòd non eſt eadem ratio, etenim concluſio intrinſecè imbibitur in ipſis principiis, habétque cum illis naturalem connexionem; & ideo qui aſſentitur principiis, ex neceſſitate aſſentitur cõcluſioni. Nullum autẽ obiectum propoſitum in via voluntati habet naturalem connexionem cum illa, quia, vt dictũ eſt, liberum arbitriũ non eſt naturaliter determinatũ ad vnum, ſed ſe habet indifferẽter ad oppoſita: Vnde nõ eſt ſimile.

Ad tertiam confirmationem reſpondetur, ad efficaciam gratiæ præuenientis intrinſecè requiri, vt cooperatio liberi arbitrij, & opus ipſum ſequatur ex ea neceſſariò neceſſitate conſequentiæ, ſeu infallibilitatis, quæ eſt neceſſitas ſecundùm quid, non obſtans libertati, vt *diſputatione 25. de Auxiliis*; oſtenſum eſt. Cùm hoc tamen fatemur, quòd etiã toto tempore quo motio efficax ad conſenſum eſt in homine poteſt liberum arbitriũ diſſentire ſi velit, ſed nunquam reſiſtet, aut diſſentiet, quia Deus per gratiã efficacẽ efficit, quod cùm liberũ arbitrium poſſit ex ſe diſſentire vocationi diuinæ, non tamẽ diſſen- XII.

tiat, ſed liberè, & infallibiliter conſentiat, de quo plura *diſput.93.& 94.de Auxiliis* dicta ſunt.

Addo, conſenſum Petri poſita gratia efficaci, ſequi infallibiliter, non ex ſola præſcientia, ſed primò, & radicaliter ex voluntate Dei abſoluta antecedente ipſam præſcientiam conſenſus futuri, & ex efficacia ipſa auxiliorum gratiæ, ad quam ſequitur infallibiliter quòd noſtrum arbitrium ſe liberè determinet, & conſentiat. Id quod ex profeſſo *diſput.41. de Auxiliis* oſtenſum eſt. Quæ autem ſit mens Auguſtini *quæſt.2. ad Simplicianum* circa gratiam congruam, & efficacem *diſput.7.de Auxiliis num.27. & 28. diſput.55.n.8.diſp.83.n.8.* explicatum eſt.

XIII. Ad tertium argumentum conceſſa maiori negatur minor: Et ad primam differentiam, quę aſſignatur inter ſententiam eorum, qui defendunt, auxilium præueniens ſolũ moraliter cooperari, & adiuuare hominem ad conſenſum, & ſententiam Pelagij, reſpondetur, quòd (vt *diſp.1. de Auxiliis* oſtenſum eſt) Pelagius, quamuis in principio ſuæ hæreſis præter naturam liberi arbitrij gratis creatam, nullam gratiam præuenientem admiſerit: poſtmodum verò diſputationibus S. Auguſtini conuictus conceſſit præuenientem illuſtrationem intellectus, & excitationem ſtupentis voluntatis, vt ex S. Auguſtino *lib.de gratia Chriſti contra Pelag & Cœleſt.c.7. & 10.* colligi poteſt. Ad ſecundam differentiam reſpõdetur, veriſſimũ eſſe, Pelagium totam gratiam præuenientẽ conſtituiſſe in lege, atque doctrina, vt oſtendit Aug. *toto l.de gratia Chriſti cõtra Pelagium, & Cœleſtinum præſertim cap.7. 10.& 41.*

Pelagij error aperitur.

Conten

Contendimus tamen cum Sancto Auguſtino *locis præallegatis*, gratiam præuenientem, quæ ſolùm conſiſtit in illuſtratione intellectus, & excitatione voluntatis, ad legem pertinere, & doctrinam, vt *diſputat.* 1. *de Auxiliis num.* 19. & 20. oſtenſum eſt. Gratia etiam præueniens, quæ ſolùm moraliter, hoc eſt, ſuadendo, alliciendo, inuitando adiuuat voluntatem ad piam operationem, generalitate quadam ad legem, & doctrinam reuocatur. Nam vt inquit Sanctus Auguſtinus *lib. de gratia Chriſti cap.* 10. *ad doctrinam pertinet etiam, quòd ſapientia reuelatur, ad doctrinam pertinet, cùm ſuadetur omne, quod bonum eſt. Et ſi inter docere, & ſuaderi, vel potius exhortari, diſtare aliquid videtur, & hoc tamen doctrina generalitate concluditur, qua quibuſcumque ſermonibus, vel literis continetur.* Nec ſatis eſt conſtituere influxum Dei ſimultaneum phyſicum immediatum in ipſum opus, nam Pelagius etiam admiſit influxũ Dei generalem, & phyſicũ in ipſum opus, quo Deus cõcurrit cum voluntate, ſi ipſa voluerit operari, vt *diſp.* 1. *de Auxil. n.* 21. vidimus: Negauit autem influxum immediatũ in cauſſam, quo Deus efficiat ipſam cooperari, obtendens cum hoc influxu applicante efficaciter potentiam ad operandum, libertatẽ illius cohærere non poſſe, de quo *diſp.* 16. & 23. *de Auxiliis* egimus ex profeſſo.

Auguſt.

Auguſt.

Nec eſt admittendum id, quod in eadem differentia innuitur, videlicet, non eſſe neceſſariũ, quòd affectus præuius voluntatis ſit in ſubſtantia ſupernaturalis, quando ponitur diſtinctum auxilium adiuuans, quod ſupernaturale ſit, nempe phyſicus influxus Dei ſimultaneus, nam, vt

ex præmiſſis conſtat, & patebit amplius *cap.8. huius libri*, gratia præueniens, de qua loquuntur Concilia, & Patres, oportet, vt ſit in ſua ſubſtantia ſupernaturalis, ſicut & pia operatio, ad quam mouet liberum arbitrium, ſupernaturalis eſt.

XIV. Ad tertiam differentiam reſpondetur: Pelagium quidem aſſeruiſſe, internam illuminationem intellectus, & ſuaſionem ſtupentis voluntatis, quam vltra naturam gratis creatam admiſit ad poſſe, non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad pietatis opera, ſed vt facilius impleret homo per gratiam, quod ſimpliciter poterat per naturam. Tamen quidam Semipelagiani conceſſerunt gratiam illam excitantem eſſe neceſſariam ſimpliciter ad opera meritoria vitæ æternæ, licet non ad fidem, vt *diſput. 2. de Auxiliis. num.6.* dictum eſt. Addo, non ſatis eſſe in illa tertia differentia à Pelagij ſententia diſcedere, ſed neceſſe eſt etiam in aliis, quæ ſupra dicta ſunt illum impugnare; præſertim quia negauit gratiam præuenientem efficacem, per quam Deus non ſolùm moraliter, ſed etiã verè efficiẽter facit, vt faciamus, & operatur, vt operemur. Vnde in Conc. Arauſ. dicitur: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum vt operemur operatur*, quod non ſolùm de morali, ſed etiam de phyſica operatione intelligendum eſt.

Conc. Arau. Can. 9.

Ad ea verò, quæ in quarta differentia dicuntur, reſpondetur, potiſſimam controuerſiam D. Auguſtini cum Pelagio, non fuiſſe de habitibus ſupernaturalibus; ſed de actualibus auxiliis gratiæ, vt *diſp. 99. de Auxiliis n. 2. & 4.* diffusè oſtendimus.

dimus. Vnde per illam quartam differentiá non videtur fieri ſatis noſtro argumento, aut euitari, quantum par eſt, ſententiam Pelagij: præſertim cùm Pelagius gratiam habitualem, & ſupernaturales habitus admiſerit, quamuis ſenſerit ſecundùm merita noſtra dari.

XV. Ad argumenta facta pro ſecunda ſententia reſpondetur ſolutione generali, ſolùm concludere, gratiam præuenientem adiuuantem phyſico influxu concurrere cum libero arbitrio ad piam operationem: non autem id probant de gratia excitante: ſed in ſpeciali occurrendum eſt ſingulis.

Ad quartum argumentum reſpondetur, nullo modo colligi ex Conc. Trid. gratiam excitantem eandem eſſe cum adiuuáte, ſed potius contrarium, nam vtramque gratiam docet eſſe præuenientem, vt *diſp.* 82. *de Auxiliis, n.*6. *& diſput.* 122. *nu.*7. viſum eſt, & ſupra *lib.*2. *c.*1. *n.*37.

Ad quintum argumétum reſpondetur, quòd influxus præuius, ſeu motio, qua Deus efficaciter præmouet, & applicat liberum arbitrium ad piè operandum, eſt gratia adiuuans, quæ diſtincta eſt à gratia excitante, vt dictum eſt. Et hæc gratia adiuuat hominem phyſicè influendo cum libero arbitrio in eius conſenſum.

XVI. *Diſpoſitio proxima ad iuſtificatio-nẽ, quæ ſit.*

Ad ſextum reſpondetur, quòd iuxta mentem Conc. homo non diſponitur proximè, & formaliter ad iuſtificationẽ per gratiam excitantem vel adiuuantem, ſed per liberum conſenſum arbitrij quem elicit gratia præueniente excitatum, & adiutum. Id quod ex illis verbis Conc. *ſeſſ.*6. *c.*5. de iuſtificatione colligitur: *Vt qui per peccata à Deo*

Deo euerſi erant per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur. Et *Cano.* 4. id expreſſius docet vbi definitur: *Si quis dixerit liberum arbitrium motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit; ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, meréque paſſiuè ſe habere, anathema ſit.* Vbi apertè definitur, hominem per actum liberum, quem producit gratia Dei excitatum, & adiutum ſeipſum diſponere, ac præparare ad gratiam iuſtificantem conſequendam. Verum eſt, gratiam excitantem, & adiuuantem diſponere hominem ad conuertendũ ſe in Deum, quatenus per modum diſpoſitionis tranſeuntis tribuunt libero arbitrio virtutem ſupernaturalem, qua poſſint ſe conuertere, & de facto conuertunt in Deum. Et ad impugnationem reſpondetur, quòd gratia adiuuans, ſecundùm quod importat influxum immediatum in liberum arbitrium, vt in cauſſam, diſtinguitur realiter ab ipſa conuerſione: & ex hac parte poteſt hominem diſponere ad conuerſionem. Concurſus autem ſiue influxus Dei immediatus in ipſam conuerſionem, quamuis non diſtinguatur ab illa realiter tanquam res à re: diſtinguitur tamen formaliter, nam eſt ipſa conuerſio, quatenus dependet à Deo, vt à prima cauſſa efficiente.

XVII. Ad ſeptimum dicendum, gratiam præuenientem adiuuantem vires efficaces tribuere voluntati ad

tati ad conſenſum eliciendum, & phyſicum influxum habere in eundem conſenſum, vt dictum eſt. Gratia autem excitans, licèt tribuat libero arbitrio vires ſufficientes, quibus poſſit piè operari ſi velit: non tamen concurrit efficienter ad piam operationem; quia mouet voluntatem ex parte finis alliciendo, inuitando, & ſuadendo. Vnde eius cauſſalitas comparatione piæ operationis potiùs reducitur ad genus cauſſæ finalis, quàm efficientis.

Ad octauum reſpondetur, quòd gratia excitans inclinat moraliter voluntatem ad opus bonum eam mouendo ex parte obiecti, alliciendo, inuitando, & ſuadendo: habitus verò ſupernaturalis inclinat eam habitualiter ex parte potentiæ per modum principij effectiui: auxilium autem efficax præuenientis gratiæ adiuuantis inclinat voluntatem, id eſt, inclinare eam facit actualiter, & infallibiliter. Vnde non eſt ſimile. Et ſimiliter dicendum ad cõfirmationem.

Vtrum in eo, qui non recipit auxilium efficax præmouens, & applicans voluntatem ad bene operandum, ſaluetur vera ratio ſufficientis auxilij; quo poſſit bene operari ſi voluerit, & ſaluari.

CAPVT V.

QVIDAM ſentiunt, ſi ſemel ſtatuatur prædictum auxilium efficax eſſe neceſſarium, vt homo conuertatur, piè operetur, & ſaluetur; euidenter ſequi, I.

ſequi, nullum relinqui auxilium re vera ſufficiens, quo poſſit conuerti, piè operari, & ſaluari. Et quamuis circa iſtam difficultatem plura dicta ſint *diſput.* 18.*de Auxiliis num.*20.*diſput.* 22.*num.* 32. *& ſequ.& diſput.* 23.*nu.* 32. quia tamen quidam auctor putat, ſe demonſtrare, in noſtra ſententia nullum relinqui auxilium ſufficiens ad piam operationem, & ſalutem; niſi in eo, qui auxilio efficaci præmouetur ad piè operandum; neceſſarium duxi, eius argumentis occurrere: quamuis facilè poſſint ex dictis locis præallegatis diſſolui.

Leſſius li. de grat.effic. c. 9.num.4. & ſeq.

Primum argumentum illius eſt, quia nemo poteſt conuerti ſine auxilio per ſe efficaci: hoc enim (vt aiunt) eſt gratia Chriſti de qua dicitur: *Sine me nihil poteſtis facere:* &, *Deus eſt qui operatur in nobis velle.* Atqui hoc auxilium nemo habet, neque in poteſtate eius eſt habere, niſi qui re ipſa conuertitur. Ergo nemo poteſt conuerti, niſi qui re ipſa conuertitur. Minor probatur: *Nam tale auxilium efficax nemo habet in ſua poteſtate immediatè, quia eſt quid præueniens vſum noſtræ libertatis: nec etiam eſt in noſtra poteſtate mediatè; ſicut in poteſtate noſtra eſt per auxilia minora impetrare maiora, bonas inſpirationes, & pias affectiones ad maiores actus. Primò, quia hoc auxilium non eſt præparatum hominibus, ex præuiſione operum, ſed ex mero Dei beneplacito: idque certis hominibus pro certis temporibus, & momentis. Vnde meis operibus non poſſum facere, vt mihi detur. Non enim dari poteſt, niſi ex æterno decreto ante omnem præuiſionem cauſſarum ſecundarum ſancito. Secundò, quia non poſſum quidquam facere, quo Deum alliciam ad illud mihi*

Ioan. 15. Phil. 2.

mihi dandum, niſi etiam ad hoc tale auxilium mihi detur: verbi gratia, ſi dicat, vt obtineam auxilium efficax ad conuerſionem, debere me bene vti auxilio ſufficiente, id eſt, vocatione. Reſpondeo, non poſſe me bene vti hoc auxilio, niſi ad bonum vſum detur mihi motio efficax: hic enim bonus vſus eſt operatio ſupernaturalis. Ad quam ſubinde requiritur motio efficax. Ergo, &c. *Dices: ora vt tibi hæc motio efficax ad bonum vſum detur: Contra hoc eſt*

Secundum argumentum, quoniam *orare non poſſum, niſi per motionem efficacem Deus me ad orandum moueat. Ergo nihil reſtat mihi faciendum, vt impetrem auxilium ad orandum. Si nihil reſtat, ergo ſiſtitur in mero beneplacito diuini decreti, nec quiſquam habet in ſua poteſtate, impetrare auxilium ad conuerſionem determinans, niſi qui re ipſa conuertetur: huic enim ex decreto diuino, vel ſtatim dabitur auxiliũ determinans ad conuerſionem, vel dabitur primò auxilium determinans ad orandum, vt per orationem impetretur auxilium ad bonum vſum vocationis; & per bonum vſum vocationis impetretur auxilium efficax conuerſionis. Ergo cui hoc auxilium efficax ad orandum non datur; hic non poterit impetrare auxilia ſequentia; cùm hoc auxilium omnium primum eſſe debeat: Si verò datur, iam ſequentia auxilia infallibiliter ſequentur, ac proinde etiam conuerſio.* II.

Tertiò arguitur. Sequeretur ex oppoſita ſententia inconuenientia quàm plurima. Primò ſequeretur, neminem poſſe bene operari, niſi qui bene operatur, nã illi ſoli habent illud auxilium, per ſe efficax, quo determinentur ad bene operandum: qui autem non bene operantur illud non habent, nec quidquam poſſunt facere, *Idem nu. 9.*

quo

quo illud impetrent, vt iam oſtenſum eſt, & conſequenter ſequeretur, quòd nemo poſſit ſaluari, niſi qui re ipſa ſalui fiunt: quoniam iis ſolis paratum eſt donum perſeuerantiæ, ſine quo nullus poteſt ſaluari, cæteris illud donum paratum non eſt, neque in eorum poteſtate eſt illud obtinere.

Secundum inconueniens eſt, *neminem poſſe plura bona opera facere, quàm re ipſa facit, neque alia, neque alio tempore: quia ſolùm ad hæc quæ facit, & eo tempore quo facit, habet auxilium determinans; ad alia, vel alio tempore non habet, nec eſt in eius poteſtate habere*, præſertim, cùm illa tantùm bona opera, quæ facit tali, vel tali tempore ſint ei à Deo præparata, & prædefinita ante omnem præuiſionem determinationis voluntatis creatæ.

III. Tertium inconueniens. Præcepta diuina eſſe impoſſibilia omnibus, qui ea non ſeruant. Probatur, quia ſine auxilio efficaci prædeterminante ad ſeruandum præceptum nullus poteſt illud ſeruare, ſed illi qui re ipſa non ſeruant præcepta, non habent auxilium efficax, quo ſeruent illa. Si enim haberent huiuſmodi auxilium, ſeruarent talia præcepta: Ergo omnes qui præcepta non ſeruant, reuera non poſſunt illa ſeruare.

Quartum inconueniens eſt, nam ſequeretur hominem peccare, etiam damnabiliter in eo, quod vitare non poteſt. Quæ ſententia à Pio V. & Gregorio XIII. damnata eſt. Probatur hoc, quia impoſſibile eſt, vt homo ſeruet præceptum, aut reſiſtat tentationi, aut peccatum vitet ſine auxilio ad id determinante.

Cùm

Cùm ergo qui peccat damnabiliter, eiuſmodi auxilium determinans non habeat, relinquitur eos præcepta, quæ non ſeruant; ſeruare non poſſe, ac per conſequens damnabiliter peccare in eo, quod vitare non poſſunt.

Confirmatur hoc, quia niſi Deus determinet me ad præceptum ſeruandum, & ad tentationibus reſiſtendum infallibiliter deficiam, & peccabo, adeo vt (iuxta auctores contrariæ ſententiæ) ex eo ſolùm quòd Deus ſcit ſe non decreuiſſe voluntatem meam ad hæc determinare, certò præſciat, me tali tempore, & momento, tali peccato peccaturum. Hoc autem certò ſcire nequit, niſi ego abſente illa determinatione in hoc euentu deprehenſus, ita ſim ad peccatũ determinatus, vt illud vitare nequeam: Si enim vitare poſſem, iam non certò, ex ſola denegatione auxilij determinantis ſciri poſſet, me tali momento peccaturum.

Confirmatur ſecundò, nam auctores eiuſdem ſententiæ fatentur, omnes actus poſitiuos, quibus tentationi conſentitur, & præcepta negatiua violantur, iam ab æterno fuiſſe prædeſtinatos, vt fierent, cum omnibus ſuis circunſtantiis: & ne fortè aliquo caſu omitterentur, fuiſſe etiam præordinatos impulſus, ſeu motiones phyſicè prædeterminantes ad illos vt ipſi tradunt. Quomodo igitur vitari poſſunt? Quòd ſi illi poſitiui actus vitari non poſſunt, etiam peccatum, & malitia moralis neceſſariò ex illis reſultans, dum fiunt ab homine rationis compote vitari nequit. Vel igitur homo in his

non peccabit, vel peccabit in eo, quod vitare nequiuit. Vnde vlterius colligitur, iniquam, & immeritam fore hominum damnationẽ, & Deum crudelem, qui hominem æternis addicat ſuppliciis ob ea quæ vitare non potuit.

IV. Quintum inconueniens. Deum deſerere hominem iuſtum, antequam deſeratur ab illo: deſerit enim qui in tentatione, & pugna hominem relinquit auxiliũ neceſſarium non ſuppeditans.

Sextum inconueniens. Sequeretur ex eadem ſententia, hominem in ſua conuerſione, & actionibus pietatis non eſſe liberum, ac proinde non verè mereri vitam æternam. Probatur, quia antequam ei detur motio efficax, non eſt in ipſius poteſtate eam habere, ac proinde nec opus bonum facere. Neque etiam eſt liber ad vtrumlibet pro inſtanti in quo habet motionem efficacem: nam quamdiu adeſt talis motio, non poteſt non operari actum, ad quem mouet. Ergo nullum inſtans dari poteſt, in quo ſit potens ad vtrumlibet: quod tamen ad rationem libertatis requiritur.

Idẽ vbi ſup. num. 12. Septimum inconuenieus eſt, fruſtra à Deo dari omnia alia auxilia præuenientia, ſi non ſtatuit addere illud auxilium per ſe efficax. Probatur, nam Deus optimè ſcit, hominem non poſſe illis vti ſine motione efficaci. Ergo ſicut fruſtra dediſſet creaturis Deus vires naturales, niſi ſtatuiſſet, ſimul dare ſuum concurſum, quia ſine eo illis vti non poſſunt: ita fruſtra dediſſet auxilia præuenientia, ſi non ſtatuit addere motionem efficacem, ſine qua non poteſt illis bene vti: & conſequenter fruſtra eſſent præcepta,

fruſtra

fruſtra conſilia, fruſtra exhortationes, & correctiones: nemo enim bene iis vti poterit ſine auxilio efficaci, quod non eſt in eius poteſtate. Alia multa inconuenientia multiplicat arguens, ad quæ tamen facilis erit ſolutio ex iis quæ dicenda ſunt infra.

Nihilominus dicendum eſt, ſaluari veram rationem auxilij ſufficientis ad conuerſionem, & quamlibet aliam piam operationem, etiam in illis, qui auxilium efficax præmouens ad eaſdem operationes non recipiunt, & conſequenter verè perſeuerare poſſe, & ſaluari per auxilium ſufficiens, etiam ſi non recipiant auxilium efficax, quo actualiter perſeuerent, & ſaluentur. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quod vt *diſputatione 22. de Auxiliis num. 32.* & aliis in locis ſupra inductis dicebamus, motio efficax non requiritur, vt tribuat homini poſſe operari, ſed vt actualiter operetur. Vnde non eſt neceſſaria, vt homo habeat verum poſſe in actu primo; ſed vt illud poſſe, quod præſupponit, reducat ad actum ſecundum: Sicut ergo qui habet potentiam viſiuam, re vera poteſt per illam videre, etiam ſi actu non videat, neque applicet eandem potentiam ad videndum: ita proportionabiliter voluntas creata per habitus infuſos, & motionem gratiæ excitantis habet ſufficiens auxilium, quo poſſit piè operari, & perſeuerare vſque in finem, & ſaluari, ſi velit: etiam ſi non recipiat præmotionem efficacẽ, qua piè operetur, perſeueret vſque in finem, & ſaluetur. Hæc eſt expreſſa ſentẽtia Sancti Auguſtini *l. de cor. & gra. c. 11. & 12.* cuius verba

V.
Auxiliũ verè ſufficiens ſaluatur ſine auxilio efficaci.

Digitized by

diſputatione 71. *de Auxiliis num.*7. *&* *diſputat.*107. *numero* 4. adducta ſunt. Pro nunc ſufficiant ad eam comprobandam verba illa *eiuſdem capitis* 12. *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adiutorium perſeuerantiæ, non quo fieret, vt perſeueraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet: nunc verò ſanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adiutorium perſeuerantiæ datur: ſed tale, vt eis perſeuerantia ipſa donetur; non ſolùm, vt ſine iſto dono perſeuerantes eſſe non poſſint, verùm etiam, vt per hoc donum non niſi perſeuerantes ſint.* Ecce Sanctus Auguſtinus apertiſſimè docet primo parenti datum fuiſſe auxilium ſufficiens, quo potuit piè operari, & perſeuerare vſque in finem, ſi vellet; licèt non fuerit illi collatum donum, ſiue auxilium, quo infallibiliter perſeueraret, & vellet. Hoc autem eſt auxilium præmouens efficaciter liberum arbitrium ad perſeuerandum, quo Deus efficit, vt homo perſeueret, & velit. Ergo ſaluatur verum auxilium tribuens homini poſſe piè operari, poſſe perſeuerare, poſſe ſaluari, ſi velit: etiam ſi Deus non tribuat illi auxilium efficax præmouens, quo actualiter piè operetur, perſeueret vſque in finem, & ſaluetur.

VI. Secundò probatur. Nã aliud eſt poſſe operari, aliud actu operari. Potẽtia.n. realiter diſtinguitur ab eius operatione, cũ ſit cauſſa efficiẽs illius: cauſſa autẽ, & effectus diſtinguũtur realiter, aliàs idẽ eſſet cauſſa ſui ipſius, quod implicat. Ergo bene

ne ſtat aliquẽ habere auxiliũ præueniẽs,quo poſſit operari, ſi velit; etiã ſi Deus illi nõ tribuat præmotionẽ efficacẽ,qua actu operetur,&velit.

Tertiò probatur. Plura requiruntur, vt quis actu operetur,quàm vt poſſit operari.Ergo euenire poteſt, vt quis habeat auxilium ſufficiens, quo poſſit operari, etiam ſi non detur illi auxilium efficax neceſſarium,vt actu operetur.Confirmatur. Nam à potentia ad actum affirmatiuè non valet conſequentia, è conuerſo autem ab actu ad potentiam affirmatiuè eſt euidens conſequentia:ſicut bene ſequitur: Petrus operatur: ergo poteſt operari; non autem ſequitur è contrario, Petrus poteſt operari, ergo operatur. Igitur contingit, aliquem habere auxilium ſufficiens, quo poſſit piè operari, etiam ſi non habeat auxilium efficax, quo actualiter piè operetur.

Quartò probatur retorquendo contra auctores oppoſitæ ſententiæ omnia argumenta,quæ ab illis contra noſtram obiiciuntur. Ipſi enim fatentur, præuenientem gratiam congruam, & attemperatam qualitatibus, ſeu diſpoſitionibus ſubiecti, eſſe neceſſariam, vt homo piè operetur, ita videlicet, vt nunquam contingat, quòd aliquid piè operetur, & ſaluetur, niſi quis prædictam gratiam congruam acceperit: & tamen ipſi non negabunt ſaluari verum auxilium ſufficiens in illis,quibus non confertur gratia hæc congrua:ergo idem dicendum de auxilio efficaci.Confirmatur:nam ipſi etiam fatentur Deum pro ſuo mero beneplacito ante præuiſionem boni vſus liberi arbitrij tribuere VII

quibuſdam hominibus gratiam præuenientem congruam, aliis verò illam non tribuere, & ratione diſtributionis huius gratiæ, dicunt, profunditatem quæſtionis de prædeſtinatione, & reprobatione, quam tangit Apoſtolus ad Romanos 9. reducendam eſſe ad inſcrutabilia iudicia Dei, vt *d.37. & 110. de Auxiliis* viſum eſt, & nihilominus ipſi defendunt, multis dari veram gratiam ſufficientem; qua poſſunt bene operari, & perſeuerare vſque in finem; quibus non datur à Deo gratia congrua, qua bene operentur, perſeuerent vſque in finem, & ſaluentur. Ergo ſimiliter in noſtra ſententia, licèt Deus pro ſua mera voluntate diſtribuat gratiam efficacem quibus ſibi placuerit; dabitur verum auxilium ſufficiens, quo poſſit homo piè operari, & ſaluari ſi velit, etiam ſi non conferatur illi præmotio efficax neceſſaria, vt piè operetur, & ſaluetur. Hæc autem omnia patebunt amplius ex ſolutionibus argumentorum.

Rom. 9.

VIII. Ad primum argumentum reſpondetur, auxilium efficax non eſſe neceſſarium, vt quis poſſit conuerti, aut piè operari, ſed vt de facto cõuertatur, vel piè operetur. Vnde ad illam propoſitionem aſſumptam: *nemo poteſt conuerti, ſine auxilio efficaci*, dicendum eſt, quod vt *capite præcedenti* dictum eſt, ſi illa particula, *ſine* determinet verbum *poteſt*, propoſitio eſt falſa: facit enim ſenſum, quod ſine auxilio efficaci non datur auxilium ſufficiens, quo re vera quis poſſit conuerti. Si autem modificet verbum *conuerti*, propoſitio eſt veriſſima, & ſenſus illius eſt, fieri non poteſt, vt quis conuertatur, & tamen non habeat

Digitized by Google

beat auxilium efficax, qui ſenſus eſt verus, vt ſupra dictum eſt. Et quamuis tale auxilium efficax nō ſit in poteſtate noſtræ voluntatis, nec dependeat ab illa, vt à cauſſa efficiente, eſt tamen in poteſtate noſtræ voluntatis ſe impedire, ne ſibi conferatur à Deo tale auxilium, vt 3. *contra gentes capite* 159. *&* 160. docet S.Tho. Item etiam actus liber, ad quem datur auxilium efficax, eſt in poteſtate noſtræ voluntatis à Deo excitatæ, & adiutæ: Vnde non ſequitur, eos quibus non datur auxilium efficax, non poſſe conuerti, ſed ſolùm ſequitur, quòd non conuertentur. Sicut ex eo, quòd quis non ſit prædeſtinatus, non infertur quòd non poſſit ſaluari, ſed ſolùm infertur quòd re ipſa non ſaluabitur, vt *diſputatione* 37. *&* 110. *de Auxiliis* oſtenſum eſt. Ad illud verò, quod in eodem argumento, ſecundo loco obiicitur, quia non poſſum quidquam facere, quo Deum alliciam, vel determinem ad conferendum mihi auxilium efficax, reſpondetur: Veriſſimum eſſe, non eſſe in mea poteſtate immutare æternum, & abſolutum decretum Dei: nam tale decretum, ſeu voluntas eſt immutabilis, & immobilis, ſicut & ipſe, vt 1. *parte q.* 19. *art.* 7. dicit S.Tho. Item etiam veriſſimum eſt, me poſſe præuenire motionem efficacem primi mouentis, aut facere, quòd motio illa præueniat me: cuius ratio eſt quam 3. *contra gentes capit.* 149. *in* 3. *ratione* aſſignat Sanctus Tho. *Quia nullum agens particulare poteſt vniuerſaliter præuenire actionem primi, & vniuerſalis agentis, eo quòd omnis actio particularis agentis originem habeat ab vniuerſoli* S.Thom.

agente. Sicut in iſtis inferioribus omnis motus præuenitur à motu cœleſti. Sed anima humana ordinatur ſub Deo, ſicut particulare agens ſub vniuerſali. Impoſſibile eſt ergo, eſſe aliquem rectum motum in

Ioan. 15. *ipſa, quem non præueniat actio diuina. Vnde & Ioannis* 15. *Dominus dicit: Sine me nihil poteſtis facere.* Nihilominus, quia per auxilium ſufficiens poteſt homo ad Deum conuerti, & ipſe pro ſua libertate non vult conuerti, ideo ſi non conuertatur, ſibi debet imputare, & non Deo. Nec admittendum eſt id, quod in eodem argumento inſinuatur, quod videlicet, ſi homo bene vteretur auxilio ſufficienti, obtineret auxilium efficax ad conuerſionem. Nam quòd homo ille bene vtatur auxilio ſufficienti, conuertendo ſe in Deum, eſt effectus efficacis auxilij. Vnde non propterea datur illi auxilium efficax, quo actualiter conuertitur, quia bene vſus eſt auxilio ſufficienti ad conuerſionem, ſed è contra ideo bene vtitur auxilio ſufficienti conuertendo ſe in Deum, quia auxilio efficaci præmouetur à Deo.

Auxiliũ efficax non habenti imputantur peccata.

IX. Ad ſecundum argumentum reſpondetur ſimiliter, quod per auxilium ſufficiens ad orandum poteſt homo orare, ſi velit, & ſua culpa non vult orare. Vnde multoties non datur illi auxilium efficax ad conuerſionem, vel piam operationem, quia non habuit recurſum pro illo ad Deum, ſicut de primo parente dicit Sanctus Thomas. Igitur cùm inquiritur ratio, propter quam detur auxilium efficax illi, qui conuertitur, vel ſaluatur; fit vltima reſolutio ad merum beneplacitum diuinæ voluntatis, & ibi ſiſtitur

Adæ cur nõ fuerit datũ auxiliũ efficax.

S. Tho. 1. *p. q.*94.*a.*4.*ad* 5.

iuxta

iuxta illud Matth. 11. *Ita pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.* Cùm autem inquiritur ratio, quare ille non conuertitur, nec recipit auxiliũ efficax, fit reſolutio in defectum voluntatis eius, quæ cùm poſſet per auxilium ſufficiens cõuerti, noluit conuerti, ſed in peccato perſiſtere. Et ratio diſcriminis eſt, quia (vt 1. 2. *quæſt.* 112. *art.* 3. *ad* 2. dicit Sanctus Thomas) *Defectus gratiæ prima cauſſa eſt ex nobis: ſed collationis gratiæ prima cauſſa eſt à Deo, ſecundùm illud Oſeæ* 13. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuũ.* S.Thom. Oſeæ 13.
Hanc etiam differentiam aſſignat Sanctus Doctor 2. 2. *q.* 2. *art.* 5. *ad* 1. ex Aug. *lib. de corrept. & gratia, cap.* 5. *&* 6. dicente, *quòd auxilium gratiæ, quibuſcunque diuinitus datur, miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex iuſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem originalis.*

X. Ad tertium argumentum reſpondetur, nullo modo ſequi ex noſtra ſententia, neminem poſſe bene operari, vel ſaluari, niſi qui bene operatur, aut ſaluatur. Et ad probationem, fatemur, illos duntaxat habere in ſe ipſis auxilium efficax ad bene operandum, qui de facto bene operantur; qui autem non bene operantur, non habent in ſe ipſis tale auxilium efficax. Sed ex hoc non infertur, quòd non poſſint bene operari, vel ſaluari, ſed ſolùm ſequitur, quòd de facto non bene operabuntur, vel ſaluabuntur, quia (vt dictum eſt) auxilium efficax non eſt neceſſarium, vt quis poſſit reuera bene operari, vel ſaluari, cùm per auxilium ſufficiens id poſſit: ſed ſolùm vt bene operetur, & ſaluetur.

Digitized by Google

Opera plura operari poteſt homo quàm quæ operatur.

Ad ſecũdum inconueniens reſpondetur ex eiſdem principijs negando quod ex noſtra ſententia ſequatur, neminem poſſe plura bona opera facere, quàm re ipſa facit. Licet enim ſolum recipiat auxilium efficax ad bona opera exequenda,quæ re ipſa facit,nihilominus habet auxilium ſufficiens, quo poterat alia bona opera facere,& alio tempore,ſi vellet. Similiter etiam poſſunt per auxilium ſufficiẽs ſaluari, dum ſunt in via, etiam illi, qui de facto non ſaluabuntur. Et ad impugnationem dicendum, quòd licet Deus ſolum prædeſtinatis præparauerit donum perſeuerantiæ, quo infallibiliter ſaluentur,omnibus tamen quantum eſt ex parte ſua offert auxilium ſufficiẽs,quo ſaluari poſſint,& re ipſa ſaluentur, ſi velint,ſed non in omnibus operatur,vt velint.Et ad illam propoſitionem:Sine dono perſeuerantiæ nullus poteſt ſaluari,reſpondetur iuxta ea,quæ dicta ſunt ad 1.quòd ſi excluſiua *ſine*, determinet verbum, *poteſt*, propoſitio eſt falſa, ſi autem determinet verbum,*ſaluari*, propoſitio eſt veriſſima: facit enim hunc ſenſum:fieri non poteſt,vt quis ſaluetur, & tamen non habeat donum perſeuerantiæ:ſed ex hoc non infertur,quòd non poſſit ſaluari ille, qui non habet donum perſeuerantiæ:ſed ſolùm, quòd re ipſa non ſaluabitur.

XI. Ad tertium inconueniens reſpondetur: præcepta diuina eſſe hominibus,qui ea non ſeruãt, poſſibilia,vt *diſp.54.de Auxil.n.7.* oſtenſum eſt, nam per auxilium ſufficiens poſſunt ea ſeruare, ſi velint;licèt non habeant in ſe auxilium efficax,quo actu ea ſeruent.Et ad illam propoſitionem,

nem,nullus poteſt ſeruare præceptum ſine auxilio efficaci prædeterminante,reſpondetur per ea quæ dicta ſunt, non ſequi quòd non poſſit, ſed ſolùm quòd non ſeruabit illud.

Eodem modo reſpondetur ad quartum inconueniens. Auxilium efficax non eſſe neceſſarium,vt homo re vera poſſit euitare peccatum, vel tentationi reſiſtere,id enim poteſt per auxiliũ ſufficiens:ſed vt de facto illud vitet, & tentationi reſiſtat.Vnde non ſequitur,eos, quibus non datur auxilium efficax, non poſſe euitare peccatũ,aut tentationi reſiſtere,ſed ſolùm quod peccatum illud nõ euitabunt.Peccat igitur homo damnabiliter in eo,quòd per auxilium ſufficiens vitare poteſt,& ſua culpa non vitat.

Ad primam cõfirmationẽ reſpondetur,quòd niſi Deus determinet hominem ad præceptum ſeruandum,& ad reſiſtendum tentationi, infallibiliter deficiet,& peccabit,ſicut creatura, Deo illam non conſeruante,redigeretur in nihilum, quia ex nihilo facta eſt.Vnde veriſſimũ eſt,Deũ certò & infallibiliter cognoſcere peccata futura in decreto,quo ſtatuit permittere ipsũ peccatũ,non conferẽdo auxiliũ efficax ad illud vitandũ,&in decreto,quo ſtatuit mouere volũtatẽ ad entitatẽ actus peccati,in quantũ actus eſt, vt ex dictis in *d.*11.*de Aux.*cõſtat.Neq; ex hoc ſequitur,quòd abſente illa determinatione homo ſit ita ad peccatũ determinatus, vt illud vitare nequeat,vt arguens exiſtimat. Etenim motio illa Dei,& permiſſio peccati nõ determinat hominẽ ad peccandũ, ſed ipſe ſua malitia ſe determinat ad peccatũ,quod quidem per auxiliũ ſufficiens pote-

Deus in quo decreto cognoſcat peccata futura.

poterat vitare,ſi vellet.Et cùm arguitur, quia ſi vitare poſſem, iam non certò ſciret Deus me eſſe peccaturum in talibus circunſtantiis, reſpondetur: hæc duo inter ſe optimè cohærere, quòd peccatum poſſit ab homine vitari, & nihilominus ſcientia Dei, qua modo prædicto ſcit peccatum illud eſſe futurum, ſit certa, & infallibilis,vt 1.*parte q.14.ar.13.præſertim ad 2. & 3.*docet S.Thom.quia Deus præſciuit,illum hominem eſſe peccaturum liberè,ac per conſequens ſcit,quòd poterat non peccare, ſi vellet, de quo *diſp.*10.*&* 11.*de Auxiliis* plura dixi.

S. Thom.

XII. *Peccati omnes actus inquantum actus prædefiniti sũt à Deo.*

Ad ſecundam confirmationem, fatemur, omnes actus poſitiuos peccati ab æterno fuiſſe prædefinitos,vt fierent ſecundùm omnẽ rationem entitatis,& bonitatis, quam habent:& ſimiliter eſt à Deo præordinata præmotio,qua in tempore Deus mouet voluntatem ad eoſdem actus,in quantum actus ſunt, ſicut ex dictis *diſputatione* 24. *de Auxiliis* conſtat. Nihilominus vitari poſſunt per liberum arbitrium;quia prædefinitio, & motio diuina eſt ſecundùm modum voluntatis,quæ in facultate ad vtrumlibet conſiſtit. Vnde ex eo, quòd Deus moueat efficaciter voluntatem ad actum peccati, in quantum actus eſt,non ſequitur, quòd non poſſit illum vitare,ſed ſolùm ſequitur, quòd producet illum liberè,ſecundùm modum ſuum : nam & ipſe modus operandi liberè cadit ſub diuina præordinatione, & cauſſalitate. Malitia autem moralis connexa illis actibus,dum fiunt ab homine rationis compote, nõ conſequitur ad eoſdem actus,in quantum procedunt à cauſſa efficiente,

ciente,ſed vt fiunt à libera voluntate deficiente à regula rationis. Vnde non debet in Deum, ſed in ſolam creatam voluntatē reuocari. Deus enim eſt cauſſa efficiens, & nunquam deficiens; voluntas autem creata eſt cauſſa deficiens à regula rationis,dum liberè contra præceptum operatur. Sed de hoc argumento plura dicta ſunt *diſput.* 18. *de Auxil. nu.* 21. *&* 22. *& diſp.*24. *per totam.*

Deus Iuſtum non deſerit, niſi ipſe prius deſerat Deum.

Ad quartum inconueniens reſpondetur, Deum non deſerere hominem iuſtum in tentatione,& pugna:nam re vera confert illi auxiliū neceſſarium , quo peccatum vitare poſſit,ſi velit,licèt non conferat illi ſemper auxilium efficax,quo peccatum vitet,aliàs iuſtus nunquam peccaret:qualiter autem intelligēda ſit illa propoſitio : Deus hominem non deſerit,niſi prius deſeratur ab eo,*diſp.*58.*de Auxiliis nu.* 7.*& diſp.* 113.*num.*11.explicatum eſt.

Ad ſextum inconueniens reſpondetur, hominem in ſua conuerſione , & actibus pietatis eſſe liberum ad operandum ,& non operandū illos actus , quæ quidem libertas competit ei, tum antequam detur illi motio efficax,nam per auxilium ſufficiens verè habet in ſua poteſtate eoſdem actus , eo quòd per idem auxilium ſufficiens poteſt eos producere,ſi velit,quamuis requiratur motio efficax,vt velit: tum etiam eſt liber in inſtanti,quo recipit auxilium efficax ad operandum eos actus:etenim motio Dei efficax facit,vt voluntas ita operetur talem actum bonum,vt ex ſe poſſit illum non operari , ſi velit, vt *diſp.*116.*num.*11.*&* 18. dictum fuit. Accedit XIII.

quòd,

quòd vt *diſp.18.n.13.* dicebamus, motio Dei efficax in voluntate recepta non aufert ab ea facultatem, qua poteſt non operari, ſi velit, ſed efficit, quòd cùm ex ſua innata libertate poſſit nõ operari actum pium, ad quem Deus mouet, infallibiliter operetur illum. Vnde S. Proſper *lib. 2. de vocatione gentium ca. 27. & 28.* ait, *quod Deus voluit eos velle, voluerunt, qui ad obediendum ſibi ipſum velle ſic donat, vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem, quæ poteſt nolle, non auferat.*

XIV. *Auxilia ſufficientia non dantur fruſtra non habentibus efficax.*

Ad ſeptimum inconueniens reſpondetur, non dari fruſtra à Deo omnia alia auxilia præuenientia, etiam ſi non addat auxilium efficax. Primò quidem: nam conferendo auxilia ſufficientia oſtendit ſuam bonitatem, eò quòd etiam peccatoribus auxilia ſufficientia, quibus piè operari, & ſaluari poſſint, ſi velint, miſericorditer diſtribuit. Secundò: nam per auxilia præueniẽtia ſemper conſequitur Deus aliquem effectũ, quem abſoluta voluntate producere intendit, vt *diſp. 80. de Auxiliis* oſtenſum eſt. Tertiò; nam tribuendo eadem auxilia reddit inexcuſabiles peccatores, qui eiſdem auxiliis bene vti noluerũt, cùm potuiſſent. Quartò, quia dum quibuſdam tribuit, quibuſdam non tribuit auxilium efficax, oſtendit illud auxilium gratiæ non eſſe debitum naturæ; ſed omnino gratuitum. Reſpectu autem peccatoris concedi poteſt in bono ſenſu, omnia alia auxilia præuenientia eſſe fruſtra, ſi non adſit efficax, quatenus videlicet per ſola auxilia ſufficientia, ſua culpa non producit pias operationes, quas producere poterat, ſi vel-

Digitized by Google

ſi vellet, nec pertingit ad vltimum finem, ad quẽ per eadem auxilia peruenire poterat, ſi vellet. Et ad impugnationem dicẽdum hominem nũquam de facto eſſe bene vſurum auxilio ſufficienti ad conuerſionem, verbi gratia; niſi addatur illi auxilium efficax. Sed tamen, vt poſſit bene vti auxilio ſufficienti, non requiritur auxilium efficax. Etenim ipſum auxilium ſufficiẽs tribuit homini poſſe bene operari, ſi velit. Ad exemplũ inductum de aliis creaturis, reſpondetur, quòd ſi Deus non daret illis ſuum concurſum ad aliquas operationes producendas, fruſtra dediſſet creaturis vires naturales ad operandum: nam carerent omni prorſus operatione. Cæterùm auxilia ſufficientia ſemper habent aliquem effectum, vt dictum eſt. Vnde etiam ſi in aliquibus hominibus non habeant adiunctum auxilium efficax, quo reducantur ad actum, comparatione cuius dicuntur ſufficientia auxilia, non propterea cenſendum eſt, fruſtra conferri hominibus à Deo niſi in ſenſu iam explicato. Ad illud verò, quod vltimo loco obiicitur, quia fruſtra eſſent præcepta, fruſtra conſilia, fruſtra exhortationes, & correptiones, ſi Deus ſtatuit non dare auxilium efficax, quo præcepta impleantur; reſpondetur, ſimilem obiectionem fuiſſe olim contra doctrinam S. Aug. propoſitam, vt refert S. Hilarius *epiſt. ad Aug.* cuius verba ſunt: *Nam ſi ſic prædeſtinati ſunt, inquiunt, ad vtramque partem, vt de aliis ad alios nullus poſſit accedere: quo pertinet tanta extrinſecus correptionis inſtantia.* Vt autem obiectionem illam diſſolueret, integrum librum de correptione, & gra-

Conſilia, præcepta, & exhortationes non ſunt fruſtra cõparatione reproborum. Hilar. epiſt. ad Aug.

& gratia S. Auguſtinus compoſuit, vt ipſe refert *lib. 2. Retractationum cap. 67. Scripſi* (inquiens) *alterum librum, quem de correptione, & gratia prænotaui, cùm mihi nunciatum eſſet, dixiſſe ibi quendam, neminem corripiendum, ſi Dei præcepta non facit, ſed pro illo, vt faciat tantummodò orandum.* Et vt appareat, quàm ſint conformes obiectiones ſuperius propoſitæ iis, quæ olim contra S. Auguſtinum obiiciebantur, neceſſarium duxi verba eius in præſenti referre. *Patimini me* (inquit) *paululum fratres mei, non aduerſum vos, quorum rectum eſt cor cum Deo, ſed aduerſus eos, qui terrena ſapiunt, vel aduerſus ipſas humanas cogitationes, & pro cœleſtis diuina gratiæ charitate certare. Hoc enim dicunt qui in ſuis malignis operibus ab huius gratiæ prædicatoribus corripi nolunt. Præcipe mihi quid faciam, & ſi fecero, age pro me gratias Deo, qui mihi, vt facerem, dedit: ſi autem non fecero, non ego corripiendus ſum, ſed ille orandus, vt det quod non dedit, id eſt, ipſam, qua præcepta eius fiant, fidelem Dei, & proximi charitatem. Ora ergo pro me, vt hanc accipiam, vt per hanc ex animo cum bona voluntate, quæ præcipit, faciam. Rectè autem corriperer, ſi eam mea culpa non haberem: hoc eſt, ſi eam poſſem mihi dare, vel ſumere ipſe, nec facerem, vel ſi dante illo accipere noluiſſem. Cùm ergo & ipſa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis, quia vides me eius præcepta facere nolle, & non potius ipſum rogas, vt in me operetur & velle.* Et infra: *Cur ergo corripimur, arguimur, reprehendimur, accuſamur, quid facimus, qui non accipimus? qui hæc dicunt, extra culpam ſe vi-*

Aug. li. de Corrept. & gratia c. 4.

Eod. li. 6.

ſe videri volunt in hoc, quòd non obediunt Deo, quia vtique ipſa obedientia munus eius eſt, quæ neceſſe eſt, vt inſit ei, cui charitas ineſt, quæ ſine dubio ex Deo eſt, & dat eam pater filiis ſuis. Hanc (inquiunt) non accepimus, quid itaque corripimur, quaſi nos eam nobis dare poſſimus, & noſtro arbitrio dare nolimus? In quibus verbis omnia fere argumenta ſuperius propoſita continentur. Omnia quippe in hoc principio innituntur, ſi ad ſeruanda præcepta neceſſarium eſt, auxiliũ efficax, ſi ad obediendum neceſſariũ eſt quòd Deus det homini obedientiam, ſi ad perſeuerandum neceſſarium eſt donum perſeuerantiæ, ſine quo nullus vnquam perſeuerauit, & Deus pro ſuo beneplacito quibuſdam tribuit hoc donum, ſcilicet ſeruantibus præcepta, & perſeuerantibus vſque in finem; aliis verò non tribuit, neque eſt in eorum poteſtate illud donum obtinere. Ergo non ſunt corripiendi, neque imputabitur illis ad culpam, ſi præcepta non ſeruent, aut non perſeuerent vſque in finem.

XV.

Vt autem ad hoc argumentum reſpondeat Sanctus Auguſtinus, ſupponit in primis, Deum poſſe *quem velit, etiam nullo homine corripiente, corrigere; & ad dolorem ſalubrem pœnitentiæ, occultiſſima, & potentiſſima medicinæ ſuæ poteſtate perducere.* Supponit ſecundò, *Perſeuerantiam in bono proficientem vſque in finem, magnum eſſe Dei munus, nec eſſe niſi ab illo, de quo ſcriptum eſt: Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Quod probat multis teſtimoniis ſacræ Scripturæ in *toto capit. ſexto eiuſdem lib. de correptione, & gratia.* Supponit ter-

Aug. cap. 5. eiuſdem l. 1. Cap. 6. eiuſdem lib.

Iac.1.

Digitized by Google

tiò, quòd prædeſtinatio eſt omnino gratuita, & antecedens omnia præuiſa merita, quod probat in *capit.* 7. multis teſtimoniis Scripturæ, de quo *diſputatione* 37. plura dicta ſunt. Supponit quartò nullam poſſe à nobis aſſignari cauſſam, vel rationem, cur Deus præparauerit, aut dederit quibuſdam donum perſeuerantiæ neceſſarium ad ſalutem, aliis non item. Hoc probat *capit.* 8. inter alia inquiens: *Si ergo confiteris, donum Dei eſſe, perſeuerare in bono vſque in finem, cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto, quòd mecum pariter neſcis, & ambo hic inſcrutabilia iudicia Dei penetrare non poſſumus:* Et vt eorum ſententiam excluderet, qui aſſerunt, eſſe in poteſtate hominis perſeuerantiam in gratia, neque indigere nouo auxilio efficaci quo infallibiliter perſeueret, ſubdit: *Aut ſi ad liberum arbitrium hominis, quod non ſecundùm Dei gratiam, ſed contra eam defendis, pertinere dicis, vt perſeueret in bono quiſque, vel non perſeueret, non Deo donante, ſi perſeueret, ſed humana voluntate faciente, quid moliturus es contra verba dicentis: Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua?* Et infra, *Quando rogauit ergo ne fides eius deficeret, quid aliud rogauit, niſi vt haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam, & perſeuerantiſſimam voluntatem?* Ecce Sanctus Pater Auguſtinus apertiſſimè docet, non eſſe ad liberum hominis arbitrium, vt ad primam radicem referendum, quòd in gratia, quam accepit, perſeueret vſque in finem, ſed ad nouum Dei donum præparatum electis, quod tamen Deus filiis perditionis non præparauit; & nihilominus in eodem libro

Aug. lib. de corrept. c. 67.

Perſeuerantia eſt in poteſtate Dei.

Luca 22.

libro ſæpiſſimè affirmat, eos qui non perſeuerant in accepta gratia, meritò corripiendos eſſe, quia per acceptam gratiam poterant perſeuerare, ſi vellent, & ſua malitia perſeuerare noluerunt; quod in *c.*11.*&* 12.oſtēdit in primo parente, qui in ea rectitudine, in qua conditus fuit, poterat perſeuerare, ſi vellet, cui tamen Deus non contulit auxilium efficax, quo de facto perſeueraret, nam ſi donum perſeuerantiæ accepiſſet, ſine dubio perſeueraſſet.

Et ſi quis inquirat rationem, propter quam omnes, qui diuina tranſgrediūtur præcepta, ſunt corripiendi, etiam ſi multis ex illis Deus ſtatuerit donum perſeuerantiæ non dare, filiis videlicet perditionis; Reſpondetur, quòd cùm nobis non conſtet qui ſint, vel non ſint à maſſa perditionis diuina prædeſtinatione diſcreti, ſic debemus eſſe circa omnes affectu charitatis diſpoſiti, vt omnes exhortemur ad bonum, omnes corripiamus, cùm operantur malum, & omnes ſaluos fieri velimus. Hanc rationem aſſignat S.Aug. *lib.prællegato de correptione,& gratia c.*10. *Nemo* (inquiens) *dicat, non eſſe corripiendum, qui exorbitat de via iuſta, ſed ei reditum, & perſeuerantiam à Domino tantùm eſſe poſcendam: nemo prudēs, & fidelis hoc dicat. Si enim ſecundùm propoſitū vocatus eſt iſte, proculdubio illi etiam quod corripitur, Deus cooperatur in bonum. Vtrum autem ſic ſit vocatus; quoniam qui corripit neſcit, faciat ipſe cum charitate, quod ſcit eſſe faciendum. Scit enim talem corripiendum, facturo Deo, aut ad miſericordiam, aut ad iudicium. Miſericordiam quidem, ſi amiſſa perditionis illi qui corripitur, gratiæ largitate diſcretus eſt, & non*

XVI. *Corripiendi cur ſunt reprobi.*

Auguſtin.

eſt inter vaſa iræ, quæ perfecta ſunt in perditionem: ſed inter vaſa miſericordiæ quæ præparauit Deus in gloriam. Iudicium verò ſi in iſtis eſt damnatus, in his non eſt prædeſtinatus. Et c.13. *Patiantur ergo homines ſe corripi, quando peccant; nec de ipſa correptione contra gratiam argumententur, nec de gratia contra correptionem: quia & peccatis iuſta pœna debetur, & ad ipſum pertinet iuſta correptio, quæ medicinaliter adhibetur, etiamſi ſalus ægrotantis incerta eſt, vt ſi is qui corripitur, ad prædeſtinatorum numerum pertinet, ſit ei correptio ſalubre medicamentum: Si autem non pertinet, ſit correptio pœnale tormentum. Sub iſto ergo incerto ex charitate adhibenda eſt, cuius exitus ignoratur, & pro illo, cui adhibetur, orandum eſt, vt ſanetur.*

Aliæ obiectiones, quibus ſuadere conantur, auxilium, quod à nobis dicitur ſufficiens, non eſſe verè ſufficiens, proponuntur, & earum fallacia detegitur.

XVII. EX dictis facilè ſoluuntur aliorum obiectiones nouiter excogitatæ contra doctrinam, quam defendimus circa ſufficientiam & efficaciam auxilij præuenientis gratiæ: & ex earum ſolutione magis confirmabitur noſtra ſententia, & quàm ſint infirma & leuia fundamenta contrariæ, euidentius apparebit. Omnes autem huiuſmodi obiectiones eo tendunt, vt ſuadeant, nullum relinqui auxilium verè ſufficiens, vt quis conuertatur, ſi aſſeratur, auxilium efficax prædeterminans liberum arbitrium

Digitized by Google

arbitrium eſſe neceſſarium, vt actu piè operemur. Et præterquam quòd omnes ferè eiuſmodi obiectiones poſſunt retorqueri contra auctores ſententiæ contrariæ, vt ſtatim patebit; in ſe ipſis videntur Sophiſticæ, & per communes regulas dialecticæ diſſoluuntur.

Prima obiectio. Obiectiones D. Diotal. p. 24. in prin.

Auxilium ſufficiens qualiter ſaluetur ſine efficaci.

Prima obiectio. *Vt auxilium Dei praueniens, cui homo diſſentit peccando, verè ſit illi ſufficiens ad non peccandum, oportet, vt ſit talis inſpiratio, & motio, cui homo poſſit conſentire, & cum qua poſſit coniungere actum bonum, ad quem eadem motio mouet, aut negationem actus à quo illa remouet.* Sed ſi ad omnem actum bonum, & ad entitatem actus mali, eſt neceſſaria motio efficax prædeterminans liberum arbitrium, non poteſt coniungere cum auxilio ſufficienti actum illum bonum, comparatione cuius dicitur ſufficiens. Ergo tale auxilium non eſt reuera ſufficiens. Maior patet, nam potentia, cum qua non poteſt coniungi actus, non dicitur ſufficiēs ad illum actum, præſertim quando eſt vitalis, quæ producendo actum immanentem recipit illum in ſe ipſa: vnde ſi talis actus poteſt produci à potentia, neceſſe eſt, vt poſſit in ea recipi, & coniungi cū illa. Minor probatur. Qui diſſentit Deo vocanti ad conuerſionem, mouetur efficaciter à Deo ad actum diſſenſus, nā talis motio aſſeritur neceſſaria ad omnem actum etiam peccati, in quantum actus, & ens eſt. Ergo eſt impoſſibile quòd in eodem inſtanti moueatur ſimul à Deo auxilio ſufficienti ad conſenſum, ita vt cum eodē auxilio ſufficienti poſſit coniungere eundem cōſenſum. Probatur conſequentia, nam ſi poſſet coniungere in

voluntate cum auxilio ſufficienti talem conſenſum, poſſet etiam eundem conſenſum coniungere cum motione efficaci ad diſſenſum, ac per conſequens qui mouetur efficaciter ad diſſenſum, poſſet in ſenſu cōpoſito non elicere actum diſſenſus, & ſimiliter qui mouetur efficaciter ad cōſenſum poſſet diſſentire in ſenſu compoſito, quod eſt contra Auctores ſententiæ contrariæ.

Confirmatur eadem minor. *Nam* (vt ſupponimus) *in eodem inſtanti temporis, & natura ſimul eſt in Petro motio efficax phyſicè prædeterminans ad entitatem volitionis homicidij iniuſti, & ſimul motio ſufficiēs ad liberam eiuſdem volitionis negationem, atque ad volitionem oppoſitam. Ergo impoſſibile omnino eſt, vt aliquid eſſe poſſit ſimul in hoc inſtanti cum vna motione, quod in eodem inſtanti nequeat eſſe ſimul cum alia. Etenim quæ ſunt, aut eſſe poſſunt ſimul cum vno tertio in vno eodemque inſtanti (ita vt dum vnum in hoc inſtanti coexiſtit tertio; alterum etiam in eodem inſtanti cum eodem tertio exiſtat) ſunt aut eſſe poſſunt in eodem inſtanti ſimul inter ſe. Si ergo in quo inſtanti Petrus peccat liberè volendo iniuſtum homicidium, poteſt ſimul eſſe cum motione ſufficienti, quam habet libera negatio illius volitionis, qua peccat, & poſitiua volitio oppoſita; poterit etiam negatio actus homicidij eſſe cum motione prædeterminante volitionem homicidij iniuſti: quod formaliter eſt poſſe huic phyſicè prædeterminanti motioni non conſentire, ſed diſſentire in ſenſu compoſito.*

Confirmatur ſecundò. Cum ſolo auxilio ſufficienti voluntas nunquam operabitur actum illum, comparatione cuius dicitur ſufficiens. Ergo cum ſolo auxilio ſufficienti non poterit

coniungi

coniungi in libero arbitrio actus,ad quem datur. Ergo ſolum auxilium ſufficiens niſi habeat adiunctum efficax prædeterminans, non dicetur verè auxilium ſufficiens.

Hæc obiectio eodem prorſus modo, quo adXIX. uerſus noſtram ſententiam proponitur, retorqueri efficaciſſimè poteſt contra obiicientem. *Reſponſio.* Ipſe enim fatetur, vocationem congruam eſſe neceſſariam vt quis actu conſentiat Deo vocanti: fatetur etiam,eſſe impoſſibile in ſenſu compoſito, quòd quis diſſentiat vocationi congruæ mouenti ad conſenſum. Fatetur denique eſſe impoſſibile in ſenſu compoſito, vt quis conſentiat vocationi non congruæ, quia nimirum impoſſibile eſt,hæc duo ſimul eſſe vera, quòd ſcilicet quis moueatur gratia non congrua ad conſenſum,& conſentiat;vt ex prædictis patet.Quo ſuppoſito ſic retorqueo argumentum.Fieri non poteſt, vt quis coniungat actualem conſenſum cum vocatione non congrua. Ergo in eius ſententia vocatio non congrua neutiquam erit ſufficiens ad cõuerſionem,aut ad aliam piam operationem. Ergo ſola vocatio congrua, qua quis piè operatur,erit auxilium ſufficiens ad eandem piam operationem. Ergo illi tantummodò, qui mouentur gratia congrua, & piè operantur,habebunt auxilium ſufficiens, quo in ſenſu compoſito poſſunt piè operari.Ex quo rurſus ſequerentur alia inconuenientia,quæ aduerſus noſtrã ſententiam inferuntur. Relinquitur ergo obiectionem factam non magis militare contra defenſores gratiæ prædeterminantis, quàm aduerſus impugnatores illius.

Vera Solutio. Sed vt iuxta doctrinam ſuperius traditā obiectioni reſpondeamus, fatemur, quòd vt auxilium dicatur verè ſufficiens cōparatione conuerſionis in Deum, neceſſariò requiritur, quòd poſſit coniungi in libero arbitrio cum tali auxilio conuerſio, ſeu pia operatio, ad quam datur; ſicut aſſerit maior propoſitio: ſed minor aſſumpta eſt falſa. Non enim repugnat quòd cum auxilio ſufficiente ad conuerſionem coniungatur in libero arbitrio actualis conuerſio; aliàs nunquā coniungerentur ſimul, quod tamē eſt falsū, vt patet in eo, qui auxilio ſufficienti, & efficaci mouetur ad conuerſionem, in cuius libero arbitrio ſimul reperiūtur auxiliū ſufficiens & actualis conuerſio. Quod autem de facto conuerſio non coniungatur cum auxilio ſufficienti pro illo inſtanti, aut tempore, quo liberum arbitrium efficaciter præmouetur ad actū peccati, in quantum actus eſt, non prouenit ex defectu auxilij ſufficientis, ſed ex nequitia hominis, qui actum peccati elicere voluit, cum quo eſt incompoſſibilis conuerſio actualis in Deum. Et cùm arguitur: ſi poſſet homo coniungere cōſenſum cum auxilio ſufficienti ad conſenſum, ſequeretur, quòd poſſet etiam coniūgere in libero arbitrio eundem conſenſum cum motione efficaci ad diſſenſum: reſpondetur, conſequētiam eſſe nullam, nam procedit à ſenſu diuiſo ad cōpoſitum affirmatiuè, ſicut non ſequitur: Petrus eſt, vel poteſt eſſe albus, & Petrus poteſt eſſe niger. Ergo Petrus poteſt eſſe ſimul albus & niger: argumentamur enim à ſenſu diuiſo ad compoſitum. Idem prorſus defectus cōmittitur in obie-

ctione

ctione facta,& ratio huius eſt, nā motio efficax ad diſſenſum habet infallibiliter coniunctum ipſum diſſenſum: vnde ſi cum motione efficaci ad diſſenſum poſſet coniungi in libero arbitrio conſenſus, iam conſenſus & diſſenſus comparatione eiuſdem obiecti eſſent ſimul in eodem ſubiecto, quod eſt impoſſibile. Videantur circa iſtam ſolutionem quæ dicta ſunt *lib.*2.*c.*4.*n.*20.

Ad primam confirmationem reſpondere in primis poſſumus retorquendo argumentum cōtra ſectatores contrariæ ſententiæ. Ipſi enim fatentur,vel fateri tenentur,quòd cum gratia ſufficienti, quæ non eſt congrua, neque attemperata qualitatibus ſubiecti, numquam coniunget homo actualem conſenſum, & piam operationem:& tamen ipſi non negabunt eiuſmodi gratiam incongruam eſſe ſufficientem, vt homo poſſit piè operari, ſi velit: aliàs qui non mouetur gratia congrua, non haberet auxilium ſufficiens,quo poſſit ad Deum conuerti: ergo idem fateri tenentur in noſtra ſententia. Similiter etiam fatentur, quòd cum motione congrua ad conſenſum, quem efficacem appellant, ſtat ſimul in libero arbitrio vera facultas, qua poſſit diſſentire ſi velit, ſeu coniungere cum libero arbitrio diſſenſum,ſi velit. Id enim clarè definitur in Concilio Tridentino. Et tamen ex hoc non ſequitur in eorum ſententia, quod gratia congrua, ſeu efficax ad conſenſum compatiatur ſecum pro eodem inſtanti actualem diſſenſum, aliàs enim ſequeretur, quòd eadem gratia ſimul eſſet efficax, & non eſſet efficax, aut quod actualis conſenſus, & diſſenſus comparatione

Concil.Trid. ſeſſ.6. de iuſtificat. Can. 4.

eiuſdem ſimul eſſent in eodem ſubiecto, quod eſt impoſſibile. Ergo perperam id ipſum inferunt ex noſtra ſententia.

Vt autem appareat, quàm ſit inefficax obiectio, dicimus ſecundò ad argumentum, quòd cùm quis peccando abiicit gratiam ſufficientem, & excitantem, qua tangitur à Deo, non oportet, quòd talis excitatio actualis exiſtat in eodem inſtanti phyſico, in quo reſiſtendo Dei vocationi peccat; ſed ſufficit, quòd ſit in eodem inſtanti morali: ita nimirum, vt talis excitatio immediatè præceſſerit, vel per aliquod paruum tempus; quia tamen eidem excitationi reſiſtendo peccator ſua culpa impedimentum appoſuit, ne talis excitatio, & auxilium ſufficiens ad piam operationem haberet effectum, & coniungeretur cum auxilio efficaci prædeterminante, ideo meritò imputatur illi ad culpam, quod peccando eidem excitationi reſiſtat, aut eliciendo actum contrarium eidem operationi piæ, & iuxta hanc ſolutionem argumentum nullam prorſus difficultatem habet.

Sed ad maiorem explicationẽ aduerte, quòd, dum gratia excitans coniungitur cum gratia adiuuante, ſeu cooperante prædeterminante ad conſenſum, vtraque gratia eſt efficax, aliter tamen, & aliter. Nam gratia excitans eſt efficax in genere cauſſæ moralis, quia per modum ſuadentis mouet liberum arbitrium, vt ſe determinet ad conſenſum: gratia verò adiuuans, ſeu cooperans eſt efficax in genere cauſſæ verè efficientis, ſeu phyſicæ; quia videlicet Deus per eandem gratiam adiuuantem facit ad modum cauſſæ

cauſſæ phyſicæ, vt piè operetur, & ſimul cum libero arbitrio ſe determinante piam operationem producit, vt *diſp.86.& 91.de Auxil.* dictum eſt. Huic ergo gratiæ excitanti, etiã quando moraliter inducit effectum, poteſt liberũ arbitrium abſolutè, & in ſenſu diuiſo diſſentirę, ſi velit: & ſimiliter ſtante gratia adiuuante poteſt non cooperari, ſi velit, nam liberè cooperatur cum eadem gratia, quamuis in ſenſu compoſito fieri non poſſit, quòd gratia adiuuans ad conſenſum moueat efficaciter liberum arbitrium ad eundem conſenſum, & nihilominus idem liberum arbitrium diſſentiat.

Secundò aduertendum, quòd omnis excitatio, & motio Dei, qua mouet liberum arbitrium, vt actu operetur, ſemper tendit ad bonum; ſed homo per ſuum liberum arbitrium abutitur eadem motione ſe determinando ad malum, ſiue ad peccatum. Vnde, quantum eſt ex parte Dei, ſemper habet paratum auxilium ſufficiens pro loco, & tempore, quo poſſit bene operari, ſi velit. Neque enim eſt neceſſarium, quòd actuale auxilium ſufficiens ad bene operandum inſit homini pro quolibet inſtanti temporis: nam cùm dormit, vel diſtrahitur ad alia negotia temporalia, vel euigilans nihil cogitat; certum eſt, quòd nõ mouetur actualiter à Deo, etiam auxilio ſufficienti ad bene operandum: quamuis ſemper, dum eſt in via, poſſit moueri, quæ potentia, vt docet S. Thom. *3.p.qu.8.art.3. ad* 1. fundatur in duobus. *Primò quidem & principaliter in virtute Chriſti, quæ ſufficiens eſt ad ſalutem totius humani generis. Secundariò in arbitrij libertate.*

Quia

Quia nimirum, dum eſt in via, ſemper eſt vertibile à malo in bonum, & à bono in malum.

XX. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quòd ſi aliquam apparentiam haberet contra noſtram ſententiam, etiam procederet in ſententia contraria. Nam cùm ſola gratia incongrua, ſeu non congrua nunquam liberum arbitrium operabitur actum illum, comparatione cuius gratia illa dicitur ſufficiens, vt arguens fatetur. Ergo ſi obiectio facta aliquid valeret, etiam probaret, quòd ſola gratia congrua, qua quis actu conuertitur, eſſet gratia ſufficiens ad conuerſionem, ac per conſequens omnes illi, quibus non datur gratia congrua, carerent auxilio ſufficienti, quo poſſent piè operari, ſi velint. Ex quo rurſus ſequerentur in eadem ſententia inconuenientia, quæ ex noſtra deducuntur.

Solutio. Reſpondetur ergo ad argumẽtum factum, quòd vt aliqua potentia ſit verè ſufficiens comparatione alicuius actus non eſt neceſſarium, vt actus ad quem datur, coniungatur aliquando cum ſola illa potentia ſecluſo quocumque alio, ſed ſufficit, quòd per illam potentiam conſtituatur ſubiectum in actu primo, quo poſſit operari, ſi velit. Nec obſtat quod, vt actus ille primus reducatur ad actum ſecundum ſit neceſſaria præmotio Dei efficax, per quam idem actus primus compleatur propter rationes *diſp.* 18. *&* 19. *de Auxiliis* adductas. Plura enim requiruntur, vt quis actu operetur, quàm vt reuera operari poſſit. Confirmari poteſt hæc ſolutio ex doctrina Sancti Thomæ 1. 2. *quæſt.* 109. Etenim per gratiam habitualem, & virtutes in-

fuſas

fuſas habet homo ſufficientem virtutem in actu primo, quo poſſit ſeruare omnia mandata, & perſeuerare vſque in finem ſi velit: & tamen de facto cum ſola gratia habituali, & virtutibus infuſis ſecluſo quocunque auxilio actuali præuenientis gratiæ nunquam ſeruabit eadem mandata; nec perſeuerabit vſque in finem, vt oſtendit Sanctus Doctor *art.9.* & 10. *eiuſdem quæſtionis.* Ex hoc autem non ſequitur, quòd gratia habitualis non ſit ſufficiens ad operandum bonum. Fallaciam enim huius conſequentiæ detegit Sanctus Thomas *art.9.citato ad primum argumentum*, vbi obiectionem factam diſſoluit. Proportionabiliter nos dicimus, ex eo, quòd aſſeratur præter auxilium ſufficiens, quod tribuit homini poſſe piè operari, ſi velit, eſſe neceſſarium auxilium efficax præueniens, vt actu operetur, non ſequi auxilium illud, quòd dicitur ſufficiens, non eſſe ſufficiens, aut quòd non poſſit cum illo coniungi pia operatio, ad quam datur; ſed ſolùm infertur, quòd cum ſolo illo auxilio ſufficiente nunquam coniungetur de facto.

Obiicitur ſecundò. Implicat contradictionem, quòd aliquod principium actiuum, vel aliqua potentia ſit ſufficiens comparatione alicuius actus, & ſit determinata ad non producendum illum actum. Etenim potentiam poſſe producere aliquem actum; & eſſe determinatam ad non producendum eundem actum, ſunt inter ſe incompoſſibilia. Sed liberum arbitrium motum à Deo ſolo auxilio ſufficienti eſt determinatum ad non producendum actum illum, ad quem XXI. *Secunda obiectio.*

ad quem datur (ſi aſſeratur eſſe neceſſarium auxilium efficax prædeterminans, vt actu operetur eundem actum.) Ergo iuxta illam ſentẽtiam auxilium, quod dicitur ſufficiens, reuera non eſt ſufficiens. Minor probatur. Quotieſcumque eſt in homine ſolum auxilium ſufficiens ad conuerſionem, ſimul reperitur in illo iuxta oppoſitam ſententiam motio efficax prædeterminans liberum arbitrium, vt velit non conuerti, vel ad actum peccati, in quantum actus eſt, quod quidem peccatum opponitur conuerſioni, quia ſine tali motione prædeterminante (vt aſſerunt) nunquam liberum arbitrium operabitur actum peccati, in quãtum actus & ens eſt. Ergo ſolùm auxilium ſufficiens abſque efficaci eſt determinatum ad non producendum actum pium. Ergo, &c.

Si dicatur, non prouenire ex ipſo auxilio ſufficienti, quòd liberum arbitrium determinetur ad non operandum actum illum conuerſionis, vel ad operandum actum oppoſitum, in quantum actus eſt, ſed ex alia motione efficaci ad actum peccati, in quantum actus eſt, quæ quidem motio efficax per accidens coniungitur cum auxilio ſufficienti ad conuerſionem: Contra hoc eſt: quòd potentia ad conſentiendum auxilio ſufficienti in ſenſu compoſito impediatur non à natura auxilij, quòd dicitur eſſe ſufficiens, ſed à prædeterminatione oppoſita ſimul exiſtente; ſolùm probat, quòd auxilium, quod dicitur ſufficiens, poſſet cum voluntate ſuum actum efficere, niſi adeſſet oppoſita prædeterminatio, quod tamen eadem prædetermina-

Diota. pag. 30. & 31.

tione

tione poſita præſtare non poteſt.

Confirmatur hoc. Cùm actus producendus eſt in illis circunſtantiis, in quibus eſt aliqua vis in contrarium nitens, non eſt ſufficiens ad illum actum producendum, quod vim illam aduerſam ſuperare nequit. Cùm ergo auxilium gratiæ, quod dicitur ſufficiens Petro ad non peccandum, ſuperare non poſſit efficaciam, & robur motionis phyſicæ prædeterminantis ad entitatem actus peccati; verè non eſt auxilium ſufficiens ad conuerſionem, vel ad abſtinendum ab actu peccati, & non peccandum pro illis circunſtantiis, in quibus adeſt illa phyſica prædeterminatio.

Confirmatur ſecundò. Illa coniunctio ſolius auxilij ſufficientis ad conuerſionem, cum motione efficaci ad negationem conuerſionis, vel ad actum oppoſitum conuerſioni, eſt coniunctio per ſe in homine, qui liberè reſiſtit vocationi diuinæ, quia connectuntur habita ratione cauſſalitatis cauſſæ primæ, & exigentiæ cauſſæ ſecundæ liberæ, cui neceſſarius eſt concurſus phyſicè prædeterminans ad actum, quem elicit; & auxilij ſufficientis ad oppoſitum: tum etiam quia huiuſmodi coniunctio, non ſolùm vt in plurimum; ſed etiam ſemper reperitur. Immo neceſſariò reperitur quandocumque aliquis actus elicitur, vt patet ex dictis: quod non eſt in iis, quæ verè ſunt per accidens.

Reſpondeo, admiſſa maiori, minorem eſſe falſam. Aliud eſt enim liberũ arbitrium motum ſolo auxilio ſufficienti non eſſe determinatum XXII. *Reſponſio.*

ad ope

ad operandum actum pium, ad quem datur: aliud verò eſſe determinatum ad non operandum eundem actum pium, ſed eius oppoſitum. Admittimus ergo ſolùm auxilium ſufficiens non determinare liberum arbitrium ad piam operationem, ſed ex hoc non ſequitur, quòd per idem auxilium ſufficiens determinetur ad non operandum actum pium, vel ad operandum contrarium. Vnde auxilium ſufficiens præuenientis gratiæ ſemper tribuit libero arbitrio veram facultatem, qua poſſit piè operari, ſi velit. Motio autem efficax ad actum peccati, in quantum actus eſt, quæ reperitur coniuncta in libero arbitrio cum motione ſufficiente ad actum pium, non impedit, quin liberum arbitrium per auxilium ſufficiens, quod in ſe habet, poſſit piè operari, ſi velit: ſed ſolùm habet incompoſſibilitatem cum actuali pia operatione, quia nimirum fieri non poteſt, vt hæc duo ſimul ſint vera pro eodem inſtanti: homo mouetur efficaciter ad actum peccati, in quantum actus eſt, & producit piam operationem. Hæc tamen duo ſunt ſimul compoſſibilia: homo mouetur efficaciter ad actum peccati, in quantum actus eſt, & homo per auxilium ſufficiens poteſt piè operari, ſi velit. Et ratio huius eſt, quia neque motio efficax ad actum peccati, in quantum actus eſt, neque ipſum peccatum actu commiſſum per liberum arbitrium opponitur auxilio ſufficienti, quo poteſt piè operari, ſi velit, id quod generale eſt in omnibus operationibus liberis etiam ordinis naturæ. Nam cùm vno actu ſtat ſimul in libero arbitrio vera facultas, qua poſſit

non

Digitized by Google

non operari actum illum, ſi velit, aut operari actum contrarium. Itaque etiam toto tempore, quo eſt in libero arbitrio motio efficax prædeterminans ad actum peccati, in quantum actus eſt, adhuc ſaluatur in eodem arbitrio vera facultas, qua poſſit, ſi velit, non elicere illum actum peccati, ſed piam operationem oppoſitam, & in hac facultate ratio ſufficientis auxilij conſiſtit.

Ad primam confirmationẽ reſpondetur, quòd motio efficax ad actum peccati, in quantum actus eſt, non infert vim, aut neceſſitatem abſolutam libero arbitrio, vt actum illum producat, in quantum actus eſt, ſed ſolùm neceſſitatem conditionatam, ſeu conſequentiæ, quæ libertati non obſtat, vt *diſp.25. de Auxiliis* oſtenſum eſt. Vnde ſemper poteſt eidem motioni refragari, ſi velit, aut eam ſuperare, quia per auxilium gratiæ ſufficientis, quod apud ſe habet, ſemper poteſt piè operari, ſi velit, ſed nunquam volet; niſi Deus per auxilium efficax præoperantis gratiæ donauerit ipſi bonum velle.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quòd illa coniunctio auxilij præuenientis gratiæ ſufficientis ad piam operationem, & motionis efficacis ad actum peccati, in quãtum actus, non eſt coniunctio per ſe: ſed omnino per accidens, quod ſic oſtenditur. Primò, quia neque natura auxilij ſufficientis gratiæ exigit efficacẽ motionem ad actum peccati, in quantum actus, neque è conuerſo natura motionis efficacis ad actum peccati, in quantum actus eſt, exigit per ſe loquendo motionem actualem præuenientis XXIII.

Auxiliũ ſufficiens ad actum bonũ per accidens coniungitur cum efficaci ad actum malum, vt actus eſt.

gratiæ ſufficientis ad piam operationẽ,cùm iſtæ duę motiones poſſint adinuicẽ ſeparari,& ſępiſſimè ſeparentur, ita vt detur vna ſine altera ; vt patet in omnibus illis,qui conuertuntur, & piè operantur, in quibus datur verum auxilium præuenientis gratiæ ſufficientis ad piam operationem cõiunctam cum auxilio efficaci ad eandem piam operationẽ, abſque eo quod reperiatur in illis aliqua motio efficax ad actum peccati. Similiter etiam è conuerſo in infidelibus negatiuè, qui nihil audierunt de Euangelio, cùm peccant, reperitur motio efficax ad actum peccati, in quantum actus eſt, vt *diſp.24.de Auxiliis* ex mente Sanctorum Auguſt.& Thomæ oſtendi,in quibus tamen nullum reperitur auxilium ſupernaturale præuenientis gratiæ ſufficientis, quo poſſint immediatè credere, aut alias operationes ſupernaturales elicere:aliàs nõ eſſent infideles ſolùm negatiuè,ſed etiam contrariè. Vnde illi ſuppoſita ignorantia vincibili Euangelij, & præceptorum ſupernaturalium, non peccabunt contra eadem præcepta ſupernaturalia, ſed damnabuntur propter peccatum originale, quod à primo Parente contraxerunt, aut etiam propter alia peccata actualia contra præcepta legis naturalis commiſſa, quæ quidem peccata actualia propria voluntate commiſerunt. Secundò, nam auxilium præuenientis gratiæ ſufficientis eſt ordinis ſupernaturalis, motio autem efficax ad actum peccati in quantum actus, eſt ordinis naturalis. Ordo autem gratiæ non habet neceſſariam connexionem cũ ordine naturæ,aliàs gratia eſſet debita naturæ,ac per conſequens

Digitized by Google

ſequens nõ eſſet gratia, quæ vtique gratis datur. Ergo illæ duæ motiones non connectuntur per ſe in aliquo ſubiecto. Tertiò, quia non competit per ſe auxilio ſufficienti ad piam operationem, quòd ſit ſolum & ſeparatum ab auxilio efficaci præmouente ad eandem operationẽ. Nam multoties reperitur coniunctum cum tali auxilio efficaci : & multoties etiam reperitur ſine illo. Ergo non conuenit per ſe auxilio gratiæ ſufficientis ad conuerſionem, vel aliam piam operationem, quòd ſit coniunctum motioni efficaci ad oppoſitam operationem. Conſequentia iſta eſt manifeſta, nam quotieſcunque ſunt duo oppoſita, vel incompoſſibilia, quod eſt per ſe cõiunctum vni, eſt per ſe diuiſum & ſeparatũ ab alio, vt patet in naturalibus. Quia enim albedo, & nigredo sũt oppoſita; eo ipſo; quòd albedo eſt per ſe cõiuncta cum tali ſubiecto, verbi gratia, cum niue, nõ poteſt nigredo per ſe coniungi cum eadem niue. Cùm ergo motio gratiæ efficacis ad piam operationem, & motio efficax ad actum contrarium ſint inter ſe incõpoſſibiles in eodẽ ſubiecto, ſicut actus oppoſiti, ad quos dantur, ſunt incompoſſibiles, non minus quã albedo & nigredo in gradibus intenſis : relinquitur quòd ſi competit per ſe auxilio gratiæ ſufficientis, quod ſit coniunctum in libero arbitrio cum motione efficaci ad actum oppoſitũ, etiam deberet competere per ſe eidem auxilio gratiæ ſufficientis, quòd ſit diuiſum, & ſeparatũ ab auxilio gratiæ efficacis, ac per cõſequens nõ poſſet cũ illo coniungi, quod tamen nullus Catholicus concedet. Si ergo motio efficax ad actũ peccati,

gratiæ ſufficientis ad piam operationẽ,cùm iſtæ duę motiones poſſint adinuicẽ ſeparari,& ſępiſſimè ſeparentur, ita vt detur vna ſine altera; vt patet in omnibus illis,qui conuertuntur, & piè operantur, in quibus datur verum auxilium præuenientis gratiæ ſufficientis ad piam operationem cõiunctam cum auxilio efficaci ad eandem piam operationẽ, abſque eo quod reperiatur in illis aliqua motio efficax ad actum peccati. Similiter etiam è conuerſo in infidelibus negatiuè, qui nihil audierunt de Euangelio, cùm peccant, reperitur motio efficax ad actum peccati, in quantum actus eſt, vt *diſp.24.de Auxiliis* ex mente Sanctorum Auguſt.& Thomæ oſtendi,in quibus tamen nullum reperitur auxilium ſupernaturale præuenientis gratiæ ſufficientis, quo poſſint immediatè credere, aut alias operationes ſupernaturales elicere:aliàs nõ eſſent infideles ſolùm negatiuè,ſed etiam contrariè. Vnde illi ſuppoſita ignorantia vincibili Euangelij, & præceptorum ſupernaturalium, non peccabunt contra eadem præcepta ſupernaturalia, ſed damnabuntur propter peccatum originale, quod à primo Parente contraxerunt, aut etiam propter alia peccata actualia contra præcepta legis naturalis commiſſa, quæ quidem peccata actualia propria voluntate commiſerunt. Secundò, nam auxilium præuenientis gratiæ ſufficientis eſt ordinis ſupernaturalis, motio autem efficax ad actum peccati in quantum actus, eſt ordinis naturalis. Ordo autem gratiæ non habet neceſſariam connexionem cũ ordine naturæ,aliàs gratia eſſet debita naturæ,ac per conſequens

ſequens nō eſſet gratia, quæ vtique gratis datur. Ergo illæ duæ motiones non connectuntur per ſe in aliquo ſubiecto. Tertiò, quia non competit per ſe auxilio ſufficienti ad piam operationem, quòd ſit ſolum & ſeparatum ab auxilio efficaci præmouente ad eandem operationē. Nam multoties reperitur coniunctum cum tali auxilio efficaci : & multoties etiam reperitur ſine illo. Ergo non conuenit per ſe auxilio gratiæ ſufficientis ad conuerſionem, vel aliam piam operationem, quòd ſit coniunctum motioni efficaci ad oppoſitam operationem. Conſequentia iſta eſt manifeſta, nam quotieſcunque ſunt duo oppoſita, vel incompoſſibilia, quod eſt per ſe cōiunctum vni, eſt per ſe diuiſum & ſeparatū ab alio, vt patet in naturalibus. Quia enim albedo, & nigredo sūt oppoſita; eo ipſo; quòd albedo eſt per ſe cōiuncta cum tali ſubiecto, verbi gratia, cum niue, nō poteſt nigredo per ſe coniungi cum eadem niue. Cùm ergo motio gratiæ efficacis ad piam operationem, & motio efficax ad actum contrarium ſint inter ſe incōpoſſibiles in codē ſubiecto, ſicut actus oppoſiti, ad quos dantur, ſunt incompoſſibiles, non minus quā albedo & nigredo in gradibus intenſis : relinquitur quòd ſi competit per ſe auxilio gratiæ ſufficientis, quod ſit coniunctum in libero arbitrio cum motione efficaci ad actum oppoſitū, etiam deberet competere per ſe eidem auxilio gratiæ ſufficientis, quòd ſit diuiſum, & ſeparatū ab auxilio gratiæ efficacis, ac per cōſequens nō poſſet cū illo coniungi, quod tamen nullus Catholicus concedet. Si ergo motio efficax ad actū peccati,

in quantũ actus eſt, coniungitur per accidẽs in libero arbitrio cum auxilio gratiæ ſufficientis ad conuerſionem, vt oſtenſum eſt, relinquitur tanquam manifeſtum, quòd talis motio efficax ad actum peccati, in quantum actus eſt, poſſit diuidi,& ſeparari; ac multoties ſeparetur ab auxilio gratiæ ſufficientis ad conuerſionem. Vnde talis motio efficax ad actum oppoſitum conuerſioni non aufert,nec deſtruit rationem auxilij ſufficientis ad cõuerſionem,quia cum eadem motione efficaci ad actum oppoſitum ſimul eſt verum, quòd per auxilium gratiæ ſufficientis, quo mouetur liberum arbitrium, poteſt ſi velit ad Deum conuerti, & piè operari. Nam poteſt ſeparari à libero arbitrio motio efficax ad actum oppoſitum ab auxilio gratiæ ſufficientis,& cum eadem gratia ſufficienti coniungi in eodem arbitrio auxilium efficax præoperantis gratiæ,quo auxilium ſufficiens ad actum ſecundum reducatur. In formis autem ſeparabilibus à ſubiecto, atque inhærentibus illi, quæ ſibi inuicem in eodem ſubiecto ſuccedere poſſunt, poteſt aliquid prædicari in ſenſu diuiſo de ſubiecto exiſtente ſub vna forma: quod tamen prædicari non poteſt in ſenſu compoſito de eodem ſubiecto exiſtente ſub illa forma,vt *lib.2.c.4. n.*20. expoſitum eſt cum S.Thom. 1. *part.quæſt.*14.*art.*13. *ad* 3. Cùm ergo auxilium gratiæ ſufficientis ad conuerſionem,& motio efficax ad actum oppoſitum,in quantum actus,ſint formæ libero arbitrio inhærentes, & ſeparabiles, non ſolùm à ſubiecto, ſed etiam inter ſe, fieri poteſt, vt aliquid prædicetur, aut prædicari poſſit in

ſenſu

ſenſu diuiſo de libero arbitrio exiſtente ſub auxilio gratiæ ſufficientis ad conuerſionem; quod tamen nunquàm prædicabitur, nec prædicari poterit in ſenſu compoſito de libero arbitrio exiſtente ſub motione efficaci ad actum oppoſitum. Vnde hæc propoſitio: *Liberum arbitrium motum à Deo auxilio gratiæ ſufficientis ad conuerſionem poteſt conuerti, ſi velit*, eſt veriſſima etiam in ſenſu compoſito accepta, vt ex præmiſſis patet: hæc autem propoſitio: *Liberum arbitrium exiſtens ſub motione efficaci ad actum oppoſitum conuerſioni, vt actus eſt, poteſt ad Deum conuerti*, ſi intelligatur in ſenſu compoſito, eſt falſa: in ſenſu autem diuiſo, eſt vera.

Ad illam autem propoſitionem in eadem ſecunda confirmatione aſſumptam, videlicet: Illa coniunctio auxilij ſufficientis ad conuerſionem cũ motione efficaci ad actum oppoſitum conuerſioni, in quantũ actus eſt, eſt coniunctio per ſe ſaltem in homine, qui reſiſtit vocationi; quia fieri non poteſt, vt homo actu libero reſiſtat vocationi ſufficientis gratiæ, & non moueatur efficaciter ad actum reſiſtentiæ, in quantum actus eſt: Reſpondetur, quòd actus ille reſiſtentiæ accidentaliter coniungitur in libero arbitrio cum auxilio gratiæ ſufficientis ad conuerſionem: poteſt enim dari, & de facto multoties datur gratia ſufficiens abſque illa reſiſtentia. Vnde etiam conſequenter motio efficax ad actum reſiſtentiæ, in quantum actus, ſine qua nunquam eſſet ille actus in rerum natura, accidentaliter coniungitur in eodem arbitrio cum eodem auxilio gratiæ ſufficientis. XXIV.

Vtrumque enim eſt ſeparabile à libero arbitrio, nempe & actus reſiſtentiæ, & motio efficax ad eundem actum in quantum actus eſt, ſicut albedo in concreto per ſe prædicatur de homine albo in hac propoſitione, homo albus eſt albus, ſed quia albedo accidentaliter coniungitur cum homine, ideo accidentaliter homo eſt albus. Vnde liberum arbitrium motum à Deo auxilio gratiæ ſufficientis ad conuerſionem, non obſtante quòd ſimul moueatur efficaciter ad actum reſiſtentiæ, in quantum actus eſt, poteſt reuera per idem auxiliū ſufficiens ad Deum conuerti, ſi velit, quamuis fieri non poſſit per vllam potentiam, vt hæc duo ſimul verificentur, liberum arbitrium mouetur efficaciter ad actum reſiſtentiæ, & nihilominus conuertitur conſentiendo Deo vocanti. Argumentum autem factum aliquam apparentiam haberet, ſi motio efficax ad actum reſiſtentiæ oppoſitum conuerſioni, vel ipſa reſiſtentia eſſet inſeparabilis à libero arbitrio vel ab auxilio gratiæ ſufficientis, vt ex locis Sancti Thomæ ſuperius *libro ſecundo capite* 4. *numero* 20. manifeſtè colligitur.

XXV. *3. Obiectio.* Tertia obiectio. Vt auxilium gratiæ ſit ſufficiens ad conuerſionem, neceſſariò requiritur, quòd tribuat libero arbitrio potentiam proximam, & facultatem expeditam, qua poſſit conuerti ſi velit: ſed auxilium quod dicitur ſufficiens, non tribuit libero arbitrio potentiam proximam, nec facultatem expeditam, qua poſſit conuerti ſi velit. Ergo non eſt verè ſufficiens. Minor probatur, nam iuxta ſententiam aduer

aduerſam, vt quis actu conuertatur, requiritur auxilium efficax prædeterminãs liberum arbitrium ad conuerſionem, quod quidem auxilium eſt medium quoddam inter auxilium ſufficiens & ipſam conuerſionem, per quod fit tranſitus ab auxilio ſufficienti ad actualem conuerſionem. Ergo ſolum auxilium ſufficiens non tribuit potentiam proximam ad conuerſionem: etenim proxima potentia illa dicitur, à qua eſt tranſitus immediatus ad actum, quia nihil inter ipſam & potentiam intercipitur, per quod ſit gradus faciendus, cùm à potentia ad actum progrediendum eſt.

Quòd verò illa potentia non ſit expedita, ſaltem quando cum illo auxilio quod dicitur ſufficiens ad conuerſionem eſt ſimul in libero arbitrio motio efficax ad actum oppoſium, probatur. Nam hæc facultas ad conuerſionem impeditur per motionem efficacem ad actum oppoſitum, ne exeat ad actum conuerſionis; Item etiam impeditur ob defectum auxilij efficacis prædeterminantis ad conuerſionem, quod neceſſarium eſſe dicitur, vt homo conuertatur. Ergo non eſt facultas expedita ad conuerſionem.

Eodem argumento probatur, quòd voluntas mota auxilio efficaci ad conuerſionem, non ſit libera ad actum oppoſitum conuerſioni, quia quandiu mouetur efficaciter ad conuerſionem, non habet potentiam proximam, nec facultatem expeditam ad actum oppoſitum conuerſioni, quæ facultas neceſſaria eſt ad libertatem,

cùm potentia libera ſe habeat indifferenter ad oppoſita. Probatur hoc : nam illa potentia & facultas ad actum oppoſitum conuerſioni non eſt reducibilis ad actum niſi mediante motione efficaci prædeterminante : Item etiam per gratiam efficacem, qua homo conuertitur, impeditur illa facultas ne exeat in actum oppoſitum conuerſioni. Ergo non eſt facultas proxima, & expedita ad actũ oppoſitum conuerſioni.

XXVI. *Auxilium ſufficiẽs tribuit facultatem expeditã, & proximã ad piam operationẽ.*

Iam in *diſputatione* 117 *de Auxiliis numero* 11. tetigi, & ſolui hoc argumentum de poteſtate proxima & expedita, ſed vt appareat, quàm infirmum ſit, & inualidum aduerſus noſtram ſententiam vrgere illud in primis poſſumus, & retorquere aduerſus cõtrariam. Etenim ſi aliquod robur haberet, etiam probaret, quòd gratia non congrua, quam ſufficientem appellant, non tribueret voluntati potentiam proximam, & facultatem expeditam ad conuerſionem, ac per conſequens non eſſet gratia ſufficiens : quia nunquam reducetur in actum niſi mediante gratia congrua, ſeu efficaci. Item etiam probaret, quòd cum gratia congrua, qua homo conuertitur, non ſtaret ſimul in libero arbitrio facultas proxima, & expedita, qua poſſit non conuerti, aut elicere actum contrarium conuerſioni, ſi velit, quod ſic oſtenditur. Quia iuxta ſententiam aduerſam gratia congrua, quam efficacem appellant, impedit ne liberum arbitrium exeat in actum contrarium conuerſioni, ad quam mouet. Cùm ergo hoc non obſtante ipſi fateantur, quòd liberum arbitrium motum gratia congrua ad conuer

conuerſionem retinet potentiam proximam, & facultatem expeditam, qua poſſit non conuerti, ſi velit, aut elicere actum contrariumconuerſioni: Aliàs profectò voluntas mota gratia congrua, ad conuerſionem non haberet veram facultatem proximam & expeditam ad vtrumlibet, ac per conſequens non eſſet libera: relinquitur quòd etiam in noſtra ſententia voluntas mota auxilio efficaci prædeterminante ad conuerſionem, retinet potentiam proximam, & facultatem expeditam, qua poſſit non conuerti, ſi velit, etiam ſi hæc facultas nũquam ſit in actum reducenda, niſi poſita motione efficaci ad actum conuerſionis oppoſitum, in quantum actus eſt. Simile argumentum fieri poteſt de gratia non congrua, quam ſufficientem appellant, & inefficacem. Nam talis gratia (ex eorum ſententia) etiam non eſſet expedita ad piè operandum; quia cum illa nunquam piè operabitur voluntas, niſi adſit gratia congrua.

Sed ne videamur ab Aduerſariis petere ſolutionem obiectionis factæ contra noſtram ſententiam: Reſpondetur ad illam, quòd vt aliqua potentia, & facultas verè dicatur proxima, & expedita ad producendum aliquem actum, ſolùm requiritur, quòd inter ipſam potentiam, & talem actum nihil medicet tribuens ſubiecto poteſtatem, ſeu virtutem in actu primo, qua poſſit operari talem actum, non autem requiritur, vt nihil medicet tribuens vltimum complementum, quo actus primus reducatur ad ſecundum, vt apertiſſimis teſtimoniis Sancti Thom. oſtendi *diſput.* 18. *&* 19. *de Auxiliis*. Auxilium autem XXVII.

efficax prædeterminans liberum arbitrium ad conuerſionem non eſt neceſſarium, vt homo re-uera poſſit conuerti, ſi velit, nec tribuit voluntati ipſum poſſe conuerti: id enim tribuit auxiliũ ſufficiẽs, ſed ſolùm eſt neceſſarium, vt illud poſſe ſufficientis auxilij reducatur ad actum ſecundum. Vnde etiamſi non ſit in voluntate gratia efficax prædeterminans ad conuerſionem, nihilominus per auxilium gratiæ ſufficientis habet eadem voluntas potentiam proximam, & facultatem expeditam, qua poſſit conuerti, ſi velit. Remoto autem omni auxilio ſupernaturali, voluntas creata ex ſolis viribus naturæ non habet potentiam proximam, aut facultatem expeditam, qua poſſit actus ſupernaturales elicere Fidei, Spei, aut Charitatis: ſed ſolùm radicalem & remotam: quia vt verè poſſit tales actus elicere, neceſſarium eſt mediet aliquod auxilium, aut forma ſupernaturalis tribuens voluntati poſſe operari eoſdem actus. Et per hoc reſpondetur ad rationem, qua probatur, potentiam ad conuerſionem, quam tribuit auxilium gratiæ ſufficientis, dum coniungitur in libero arbitrio cum motione efficaci ad actum contrarium conuerſioni, non eſſe potentiam expeditam. Dicendum eſt enim, quòd illa motio efficax non impedit, ne liberum arbitrium gratia ſufficienti motum poſſit conuerti, ſi velit, neque huiuſmodi facultatem aufert, quamuis non ſtent ſimul hæc duo, quòd nimirum liberum arbitrium moueatur efficaciter ad actum oppoſitum cõuerſioni, & nihilominus eliciat per auxilium ſufficiens actum conuerſionis. Vnde obiectio non probat

facultа-

Digitized by Google

facultatem illam, quam tribuit auxilium ſufficiens, non eſſe proximam, & expeditam, vt per illam poſſit homo conuerti, ſi velit.

Ad vltimum punctum, qui in eadem obiectione attingitur, reſpondetur, quòd voluntas mota auxilio gratiæ prædeterminantis ad conuerſionem eſt quidem libera in actu ſecundo comparatioue conuerſionis, quam elicit, & ſimiliter manet libera in actu primo comparatione actus oppoſiti conuerſioni, quem poteſt elicere, ſi velit: non tamen eſt in eadem voluntate libertas, aut aliqua facultas ad coniungendum in libero arbitrio cum auxilio efficaci ad conuerſionem, aut cum ipſa conuerſione actum eidem conuerſioni oppoſitum. Nec id requiritur, vt voluntas in ſuis operationibus ſit libera: quia vt *diſputat.*115*.de Auxiliis numero.*3. ex Ariſtot.& Sancto Thoma 9.*metaphyſica lect.*10.probaui, ad libertatem quidem requiritur neceſſariò ſimultas potentiæ ad oppoſita, non autem requiritur potentia ſimultatis, quæ eſt pontetia ad oppoſita ſimul habenda, aut producenda.

Pro clariori intelligentia huius difficultatis, & eorum quę de gratia efficaci prædeterminante liberum arbitrium ad piè operandum diximus, aduertendum eſt, quod vt ſupra *lib.*2.*ca.*1. *in fine* notaui, libertas eſt triplex. Prima eſt libertas à ſeruitute, de qua ſcriptum eſt: *Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati.* Et hanc libertatem omnes in Adam amiſerunt per peccatum originale, & illi, qui poſt acceptam gratiam peccant mortaliter, iterum amittunt per peccatum propria voluntate commiſſum quam libertatem niſi

XXVIII. *Libertas triplex.*

niſi per gratiam Redemptoris noſtri recuperare non poſſunt, iuxta illud: *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Secunda eſt libertas à ſubiectione. Hæc libertas ſolùm reperitur in Deo, eo quòd nullum habet, neque habere poteſt ſuperiorem, cui ſubiiciatur, vel à quo in ſuo eſſe, vel operatione dependeat. Vnde huiuſmodi libertas non communicatur, neque eſt communicabilis alicui creaturæ: nam de intrinſeca ratione, & quidditate creaturæ eſt, quòd in ſuo eſſe, & operatione & creatore dependeat. Tertia eſt libertas à neceſſitate abſoluta, & hæc eſt de ratione cuiuſcumque operationis liberæ. Impoſſibile eſt enim aliquam operationem verè liberam eſſe neceſſariam neceſſitate abſoluta, vt in *libro de Auxiliis, diſput.* 22. 23. *&* 25. oſtenſum eſt. Quo ſuppoſito, ad illud ſatis vulgare, & ſæpius repetitum argumentum: voluntas per auxilium efficax præuenientis gratiæ efficacis prædeterminatur ad actum conuerſionis infallibiliter eliciendum: ergo non manet libera: conceſſo antecedenti diſtinguendum eſt conſequens; Ergo non manet libera à ſubiectione ſuperioris agentis, hoc eſt Dei, concedo conſequentiam. Hanc enim libertatem excludere intendimus à libero arbitrio creato, ne conueniamus cum fictione Ciceronis, qui vt Sanctus Auguſtinus ait, *dum homines facere voluit liberos, fecit ſacrilegos.* Si autem loquamur de libertate à neceſſitate abſoluta, quæ eſt de intrinſeca ratione actus liberi, neganda eſt conſequentia, & conſequens, vt ex præmiſſis conſtat.

Ioan.

Aug. libr. 5. de Ciuit. Dei cap. 9.

Virum

Vtrum efficacia auxilij præuenientis gratiæ pendeat ex aliqua diſpoſitione negatiua, vel non reſiſtentia liberi arbitrij creati.

CAPVT VI.

HANC difficultatem breuiter attigimus *diſp.*105.*de Auxiliis*: ſed nunc eſt operoſius diſcutienda propter aliquos Theologos, qui in hac parte diuerſa opinantur. I.

Prima ſententia dicit duo: Alterum eſt, auxilium efficax præuenientis gratiæ pendere à libera diſpoſitione negatiua voluntatis creatæ. Alterum eſt: ratione eiuſdem diſpoſitionis negatiuæ eſſe poſitum in noſtra poteſtate, habere auxilium efficax, quod eius conſenſum antecedit. Ex quo inferunt, quòd in poteſtate noſtri arbitrij eſt voluntas Dei tale auxilium conferendi, quia Deus omnes ad ſalutem inuitat: ſed præuidens quoſdam deficere, reſiſtere, & reſilire, dum inuitantur ad ſuam conuerſionem, continet ſe à collatione auxilij efficacis prædeterminatiui, quòd ſanè non prouenit ex illa voluntate Dei generali, & communi, qua omnes ad conuerſionem inuitabat, ſed potiùs ex voluntate reſiliente eorum, qui reſtiterunt. Probatur hæc ſententia. Primò auctoritate S. Tho. *q.*2.*de malo, art.*2.*in corp.* vbi docet, quòd ad accipiendum influxum, & motionem Dei requiritur in ho

Magiſt. Cabrera 3. part. q.18. art. 4. diſp.2.§.11. num.157.& ſeq.& q.62. art.1. diſpu. 15.nu.29.

Digitized by Google

in homine aliqua diſpoſitio,iuxta quam producatur in eo bonus,vel malus actus. Sic enim ait: *Cùm Deus ſit primum principium motionis omnium, quædam ſic mouentur ab ipſo, quòd etiam ſe ipſa mouent; ſicut quæ habent liberum arbitrium, quæ ſi fuerint in debita diſpoſitione,& ordine debito ad recipiendum motionem,qua mouentur à Deo,ſequentur bona actiones, quæ totaliter reducuntur in Deum,ſicut in cauſſam. Si autem deficiant à debito ordine, ſequetur actio inordinata, quæ eſt actio peccati, & ſic quod eſt ibi de actione reducetur in Deum, ſicut in cauſſam. Quod autem eſt ibi de inordinatione, vel deformitate; non habet Deum cauſſam, ſed ſolùm liberum arbitrium. Et propter hoc dicitur, quòd actio peccati eſt à Deo,ſed peccatum non eſt à Deo.* Item etiam 3. *contra gen. cap.* 159. inquit: *Eſſe in poteſtate liberi arbitrij impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire.* Et ex hoc infert, imputari homini ad culpam omiſſionem actus ſupernaturalis,qui eſt in præcepto; etiam ſi non poſſit abſque auxilio gratiæ præceptum illud implere. Ergo admittit Sanct.Tho.diſpoſitionem negatiuam,ſeu non reſiſtentiam liberi arbitrij,à qua dependeat collatio auxilij efficacis, ſeu efficacia eiuſdem auxilij.

II. Secundò arguitur. In poteſtate voluntatis eſt, velle credere & alios actus ſupernaturales operari: ſed tales actus eſſe non poſſunt in poteſtate voluntatis, niſi ratione prædictæ diſpoſitionis negatiuæ, qua ſinit ſe à Deo moueri efficaciter ad eoſdem actus. Ergo efficacia motionis diuinæ pendet ab eadem diſpoſitione negatiua.

Tertiò

Digitized by Google

Tertiò id ipſum probari poteſt argumentis *cap. ſequ.* adducendis, quibus aliqui Theologi contendunt probare, eſſe in poteſtate voluntatis habere auxilium efficax ad piè operandum: hoc enim auxilium ex eo dicitur eſſe in poteſtate voluntatis, quia pendet ex diſpoſitione prædicta negatiua.

III. *Auxilij efficacis collatio non dependet ex aliqua diſpoſitione negatiua, vel non reſiſtētia noſtri arbitrij.*

Secunda ſententia inter Thomiſtas ſatis frequēs, & cōmunis, vno, vel alio excepto, eſt, quòd ſcilicet auxilium efficax præoperantis gratiæ, vel collatio illius non pendet, etiam, vt à conditione ſine qua non ex tali diſpoſitione noſtri arbitrij negatiua vel non reſiſtentia: ſed potius Deum per idem auxilium efficax efficere, vt voluntas conſentiat Deo vocanti, & excitanti, ac per conſequens eſſe effectum eiuſdem auxilij, quòd voluntas non reſiſtat. Hanc ſententiam ſecuti ſumus, *diſp.* 105 *.de Auxiliis nu.6.in ſolutione ad 6.argumentum*, & eam quatuor rationibus efficaciſſimis, quæ ibi poterunt videri, corroborauimus: præſertim ex auctoritate S.Aug. *libr.de prædeſt.Sanct.c.*8.dicente: *Hæc itaque gratia* (& loquitur de gratia efficaci) *quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur, alias recipitur, ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur.* Si cordis duritia primitus per gratiā efficacem aufertur. Ergo quælibet reſiſtētia, quæ ad duritiam cordis pertinet, ab eadem ſuperatur, ac per conſequens oportet, quòd ſit eius effectus. Non ergo ſupponitur ex parte liberi arbitrij ad gratiam efficacem aliqua diſpoſitio negatiua, ſeu non reſiſtentia. Confirmari poteſt hæc ſententia ex illis ſæpius *Auguſt.*

à San

à Sancto Auguſt. verbis repetitis: *Deus ſua gratia, ſcilicet, efficaci, facit ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes*, &c. Ergo in ſententia S. Auguſt. ad gratiam efficacem non ſupponitur diſpoſitio negatiua noſtri arbitrij qua non reſiſtit Deo vocanti, & excitanti: aliàs nunquam Deus per ſuam gratiam efficeret ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes. Etenim qui negatiuè ſe habet ſuſpendendo actum voluntatis cùm à Deo vocatur, re vera non reſiſtit poſitiuè per aliquem actum vocationi diuinæ contrarium.

Præterea id ipſum probatur, quia non poteſt explicari quid nam ſit illa negatio, ſeu diſpoſitio negatiua noſtri liberi arbitrij, ad quam infallibiliter ſequitur auxilium efficax præueniẽtis gratiæ, quo actualiter homo conuertitur, vel piè operatur. Ergo non eſt admittenda. Antecedens probatur, quoniam non eſt pura negatio alicuius actus: quia negatio actus reſiſtentiæ eſt negatio actus naturalis, cùm ipſa reſiſtentia ſit actus naturalis. Ergo non poteſt habere infallibilem connexionem cum gratia efficaci; ita vt poſita huiuſmodi negatione ſequatur auxilium efficax diuinæ gratiæ. Hæc enim negatio cùm ſit merè naturalis, non poteſt cum illa infallibilem connexionem habere auxiliũ efficax diuinæ gratiæ, quod eſt ordinis ſupernaturalis. Aliàs gratia ſubiungeretur naturæ, & eſſet pediſſequa illius, quòd ſæpiùs in Pelagianis damnant S. Auguſt. & Proſper. Si verò dicatur, quod eſt negatio libera actus reſiſtentiæ, qui præſtat impedimentum gratiæ efficaci, contra hoc arguitur fortius.

S. Auguſt.
S. Proſper.

Nam

Nam ſequeretur, quòd ad gratiam efficacē ſupponatur ex parte noſtri liberi arbitrij aliqua diſpoſitio poſitiua, nimirum actus liber voluntatis, quo homo vult non reſiſtere vocationi, & excitationi diuinæ, ſed ſuſpendere omnem actum voluntatis circa tale obiectum: & ita eſſent admittenda omnia inconuenientia, quæ ſequuntur ex ſententia eorum, qui dicunt, gratiam efficacem pendere ex aliqua naturali diſpoſitione poſitiua noſtri arbitrij, quod tamen auctores primæ ſententiæ non admittunt. *Argumentū*

Reſpondent ad hæc, & alia ſimilia argumenta, negationem, ſeu diſpoſitionem negatiuam, de qua eſt ſermo, nihil aliud eſſe, quàm voluntatem non reſiſtere Deo, neque repugnare: ſed ſinat ſe moueri ab obiecto ſibi per rationem propoſito. Tunc autē ſinit ſe moueri, quando non reſiſtit, nec repugnat, nec eſt rebellis, neque ponit impedimentum ſuſpenditque omnem actum, & conſentit, neque diſſentit, ſed merè negatiuè ſe habet, dans locum Deo, vt ipſe faciat & deducat eam. Addunt, illam negationem, quæ conſiſtit in non reſiſtentia, ſeu non repugnantia, non eſſe in rigore cauſſam poſitiuam, quæ vltimò diſponat ad gratiam, & conuerſionem, ſed in eo ſenſu dicitur diſpoſitio, quia poſita tali negatione Deus ex ſua miſericordia prædeterminat voluntatem per auxilium efficax ad piè operandum. Et rationem aſſignat, nam Deus non ſtatuit abſolutè non dare auxilium efficax ad conuerſionem, cùm ad illud inuitet, & cōferat ſufficiētia auxilia, quibus conſtituitur voluntas in actu primo ad actū ſecundum *V. Solutio.*

dum ordinato: ſed cùm negat tale auxilium, id facit ſuppoſita contradictione noſtræ voluntatis, quia cùm inuitatur, renuit, contradicit, & reſiſtit, & id præuiſum eſt à Deo, & ideo non dat auxilium efficax, quo voluntas piè operetur, & conuertatur. Et cùm arguitur: nam auxilium efficax diuinæ gratiæ, cùm ſit ordinis ſupernaturalis, habere non poteſt infallibilem connexionem cum illa diſpoſitione negatiua. Reſpondent quòd gratia efficax habet quidem infallibilem connexionē cum illa diſpoſitione negatiua: non tamen ex vi, & meritis ipſius negationis: vel ex natura ipſius: ſed ex mera Dei liberalitate, eo quòd ſtatuit conferre hominibus auxilium efficax, niſi ipſi reſiſtant vocationi diuinæ, vel impedimentum præſtent.

VI. *Impugnat.* In hac tamen ſolutione multa inuoluuntur, quæ non modicam difficultatem habent: Arguitur enim contra illam. Primò, nam illa negatio libera actus reſiſtentiæ eſt reuera naturalis, vt fatentur auctores primæ ſententiæ: ſed ex naturali vſu voluntatis negatiuo pendere non poteſt; quòd homini detur efficax auxilium: ergo collatio eiuſdem auxilij efficacis non poteſt pendere ex libera illa diſpoſitione negatiua noſtri arbitrij, vel illam præſupponere. Minor probatur. Auxilium efficax diuinæ gratiæ non præſupponit naturalem vſum noſtri arbitrij poſitiuum, nec ad illum ſequitur, vt fatentur auctores primæ ſententiæ. Ergo multo minus ſequi poteſt ad naturalem vſum eiuſdem arbitrij negatiuum, vel illum præſupponere. Etenim libera negatio actus naturalis, ſeu naturalis

ralis vſus libertatis negatiuus multo minorem proportionem habet cum auxilio efficaci diuinæ gratiæ, quàm naturalis vſus libertatis poſitiuus. Ergo ſi collatio efficacis auxilij non pendet ex naturali vſu libertatis poſitiuo, nec illum præſupponit, multo minus pendere poteſt ex naturali vſu voluntatis negatiuo. Nec videtur vlla ratione admittenda ſolutio eorum, qui ſentiunt, non eſſe inconueniens concedere, ex naturali vſu libertatis negatiuo pendere, quòd homini detur efficax auxilium. Nos enim magnum inconueniens reputamus id concedere: nam eadem inconuenientia, quæ ſequuntur ex eo, quòd ſemel concedatur, gratiam efficacem pendere ex naturali vſu ſuppoſitiuo noſtri arbitrij (de quibus latiſſimè egimus *in libro noſtro de Auxiliis*) inferuntur ex ſententia, quæ ponit collationem eiuſdem auxilii efficacis pendere ex naturali vſu negatiuo eiuſdem arbitrij. Et ita ceſſaret illa ſæpe repetita Sanct. Auguſtin. ſententia; *Quare iſtum trahat, & illum non trahat, noli velle diiudicare, ſi non vis errare.* Poſſet enim facilè reſponderi, Deum iſtum trahere ad ſe per auxilium efficax, quia eidem auxilio initium dedit per illam naturalem diſpoſitionem liberi arbitrij negatiuam, ſeu per naturalem vſum liberi arbitrij negatiuam. Illum verò non trahere, quia non ſe præparauit, neque diſpoſuit per naturalem vſum negatiuum eiuſdem arbitrij. Ex quo rurſus ſequeretur, quòd per naturalem vſum negatiuum liberi arbitrij ſe diſcerneret ille, qui conuertitur, vel piè operatur, ab illo, qui nõ conuertitur, nec piè operatur,

Mag. Cabrera diſput. 15. cita. nu. 3.

quod tamen cum verbis illis Apoſtoli pugnare videtur: *Quis enim te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Poſſet enim dicere homo inflatus: Ego me diſcerno, quia per naturalem vſum negatiuum mei arbitrij me diſpoſui ad conſequendum infallibiliter auxilium efficax diuinæ gratiæ. Alter verò, qui non piè operatur, nec conuertitur, non ſe diſpoſuit per naturalem vſum negatiuum ſui arbitrij.

1. Cor. 4.

VII. Illud verò, quod in eadẽ ſolutione aſſeritur, nimirum auxilium efficax præuenientis gratiæ, non habere infallibilem connexionem cum naturali vſu negatiuo noſtri liberi arbitrij ex vi, & meritis eiuſdem diſpoſitionis negatiuæ: ſed ex ſola miſericordia Dei, vim argumenti non euacuat. Primò, nam etiam ſemipelagiani, vt viſum eſt *diſputatione 2. de Auxiliis num.* 15. 26. & 28. fatebantur, quòd gratia præueniens concedebatur ex ſola Dei miſericordia petentibus, quærentibus, pulſantibus, & facientibus quod in ſe eſt ex ſola facultate naturæ: non autem ex vi, & meritis earundem operationum, ſed occaſione ſolùm, ex præcedentibus naturæ operibus accepta: & nihilominus damnantur à Conciliis, & Patribus, eo quòd in natura conſtituebant aliquod initium imperfectum, quo poſito Deus miſericorditer ſua dona gratiæ conferret. Ergo. Secundò, nam ſi Deus poſita illa naturali diſpoſitione negatiua ſemper confert infallibiliter auxilium efficax diuinæ gratiæ, ergo æterno ſuo decreto ſtatuit illud auxilium conferre habenti ex naturali facultate liberij arbitrij

arbitrii illã diſpoſitionẽ negatiuam ſiue naturalem vſum liberi arbitrij negatiuum: quidquid enim Deus facit in tempore, æterno ſuo decreto prædefiniuit, vt fieret. *Nam* (vt Sanct. Aug. ait) *nihil fit, niſi Deo volente, aut permittente:* ſed decretum Dei æternum conferendi efficax auxilium gratiæ ſe diſponentibus per vſum illum negatiuum liberi arbitrij vim habet legis. Ergo ex lege ſtatuta à Deo debetur auxilium efficax diuinæ gratiæ ſe diſponentibus per liberam facultatem arbitrij diſpoſitione illa negatiua: ac per conſequens gratia efficax non eſſet gratia, ſed debita naturæ: nam vt arguit Apoſtolus, *ſi ex operibus, iam gratia non eſt gratia.* *Aug. in Enchirid.c. 95. & 96.*

VII. Sed dicunt, quòd illa nõ reſiſtentia, ſeu diſpoſitio negatiua liberi arbitrij, non procedit ex ſolis viribus naturæ, ſed ex auxilio ſufficienti, quod homini confertur, vt poſſit non reſiſtere, & non repugnare: vt autem non reſiſtat actu, datur illi auxilium efficax morale: ſed hoc nihil eſt: quia per auxilium ſufficiens non ſolùm confertur homini poſſe non reſiſtere ſed etiam tribuitur illi poſſe conuerti, & poſſe piè operari. Vt autem actu non reſiſtat; ſed piè operetur, non ſolùm requiritur auxilium efficax morale: ſed etiam eſt neceſſarium auxilium efficax phyſicum, quo actualiter piè operetur conſentiendo gratiæ excitanti. Etenim auxilium morale, quod per modum ſuadentis, inuitantis, & allicientis mouet voluntatem ad piam operationem, non inducit illam infallibiliter vt *quæſt. 3. de malo, articulo* 3. docet Sanctus Thomas. Ergo quòd homo non reſiſtat Deo vocanti, prouenire *M.Cab.n.83. Solutio. Impugnat.*

Digitized by Google

nõ poteſt ex ſolo auxilio morali Confirmatur: nam auxilium morale non diſtinguitur realiter à gratia excitante, & mouente per modum ſuadentis, & conſequenter illa diſpoſitio negatiua vt plurimum erit effectus gratiæ excitantis, & ſufficientis. Iam enim *in diſputatione* 80. *de Auxiliis* oſtendimus, omne auxilium diuinæ gratiæ, quod eſt ſufficiens comparatione vnius effectus, videlicet conuerſionis, vel piæ operationis perfectæ, ſimul eſſe efficax in ordine ad aliquem alium effectum imperfectum, quem ex intentione Dei cauſſat in homine. Ergo ſi habenti diſpoſitionem illam negatiuam, vel vſum negatiuum liberi arbitrij datur infallibiliter à Deo ex certa lege auxilium efficax præuenientis gratiæ, ſequeretur, quod cuicumque datur auxilium ſufficiens,quo poteſt piè operari,concederetur etiam à Deo auxilium efficax,quo piè operetur: & ita nunquam daretur in homine auxilium ſufficiens diuinæ gratiæ abſque efficaci, quod tamen nullus Theologus concedit.

IX. *Impugnat.* Præterea impugnatur eadem ſolutio ex conceſſis ab auctoribus primæ ſententiæ. Ipſi enim fatentur,quòd vt homo non reſiſtat actu, datur illi auxilium efficax morale: ſed huiuſmodi auxilium morale non eſt in poteſtate voluntatis creatæ,nec voluntas poteſt aliquid facere,ratione cuius illud conſequatur à Deo. Nam illud auxilium eſt prius, quàm ſit negatio ipſa reſiſtentiæ, ſeu diſpoſitio negatiua. Ergo talis diſpoſitio negatiua non erit in libera facultate,& poteſtate voluntatis creatæ; ac per conſequens ratione

Digitized by Google

ratione talis diſpoſitionis negatiuæ non erit auxilium efficax in poteſtate eiuſdem voluntatis.

Reſpondent, quòd licet auxilium efficax morale non ſit in poteſtate voluntatis ratione ipſius negationis, eſt tamen in poteſtate illius ratione auxilij ſufficientis. Sed hæc ſolutio non videtur ſatisfacere. Nam redit eadem difficultas, quam auctores primæ ſententiæ conantur diſſoluere. Etenim etiam auxilium ſufficiciens præuenientis gratiæ non eſt in poteſtate creatæ voluntatis, quia non poteſt ex viribus naturæ aliquid efficere, quo illud conſequatur, vel obtineat à Deo, cùm antecedat, & præueniat omnem conatum naturalem eiuſdem voluntatis, vt *diſputatione* 78. *de Auxiliis* oſtenſum eſt. Ergo etiam negatio reſiſtentiæ, ſeu diſpoſitio negatiua, quæ aſſeritur eſſe eius effectus non erit in poteſtate noſtræ voluntatis ratione auxilij ſufficientis, ac per conſequens etiam non erit ratione eiuſdẽ negationis in poteſtate noſtræ volũtatis auxiliũ efficax præoperantis gratiæ. ***Reſponſio.***

X.

Vltimò probatur noſtra ſententia. Nam, vt docet S. Tho. licèt *defectus gratiæ prima cauſſa ſit ex nobis: ſed collegationis gratiæ prima cauſſa eſt ex Deo, iuxta illud Oſeæ* 13. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* Ergo, quamuis per reſiſtentiam ſit homo cauſſa, quod non conferatur illi auxiliũ efficax ad piè operandum, non tamen erit cauſſa per negationẽ reſiſtẽtiæ, quòd illi cõferatur auxilium efficax ad piè operandũ: quod etiam docet S. Thom. 2. 2. *q.* 2. *art.* 5. cuius verba ſuperius adduxi: ſed de hac difficultate plura dicenda ſunt *cap. ſequenti* inter diſputandum. *S. Thom. q.* 112. *art.* 3. *ad* 2.

Vtrum ſit in poteſtate hominis habere auxilia diuinæ gratiæ, quotieſcumque ipſe voluerit, an verò ſolùm ſit in poteſtate Dei, illa miſericorditer conferre quibus, & quando voluerit.

XI. Ad primum argumentum ex auctoritate S. Thom. *q. 3. allegata de malo* reſpondi latiſſimè *diſp. 105. de Auxiliis ad 6. argumentum,* & nunc breuiter dicimus; ſenſum planum S. Doctoris eſſe, quod prius in ſigno rationis, quàm voluntas eliciat actum bonum, vel malum, intelligitur in illa aliqua diſpoſitio, ratione cuius operatio, quam producit, ſit bona, vel mala: ſed tamen eadem diſpoſitio, quando actus liber eſt bonus, cauſſatur ex motione primi mouentis, quia Deus cùm ſit agens infinitæ virtutis, non expectat, vel præſupponit in ſubiecto diſpoſitionem, quã ipſe non cauſſet. Si autem actus ſit malus, prius intelligitur, quòd Deus moueat voluntatem ad actum peccati, in quantum actus eſt; vt ex dictis *diſput. 24. de Auxiliis* colligitur: deinde intelligitur diſpoſitio voluntatis qua liberè vult actum, cui eſt annexa malitia, & peccatum, vt procedit ab eadem voluntate deficiente à regula rationis, & conſequenter ab eadem voluntate deficiente habet actus productus, quòd ſit peccatum. Vnde quidquid eſt deformitatis in eodem actu, in voluntatem deficientem, & non in Deum reducendum eſt.

Deus cauſſat omnem diſpoſitionem ſubiecti.

Ad alium locum ex *l. 3. contra gentes c.* 159. reſpondetur, quòd ipſe S. D. ſe ipſum ex plicat *in c.* 160. immediatè ſequẽti, vbi ſic ait: *Quòd dictũ eſt in poteſtate lib. arbitrij eſſe, ne impedimentũ gratiæ præſtet, cõpetit his, in quibus naturalis potẽtia integra fuerit.*

rit. Si autem per inordinationẽ præcedentem declinauerit ad malum: non erit omnino in poteſtate eius, nullum impedimentum gratiæ præſtare. Ex quibus verbis colligitur, ſenſum planum S.Thom. *in c. illo* 159. immediatè præcedenti hunc eſſe, quod nimirum impedire gratiæ receptionem, eſt in facultate liberi arbitrii propriis viribus, eo quòd defectus gratiæ prima cauſſa eſt ex nobis, vt infra docet idem S. D. ſed tamen non impedire gratiæ receptionem non eſt omnino in eorum poteſtate, qui per inordinationem præcedẽtem declinauerunt ad malum. Addidit autem S. Thom. illam particulam, *omnino*, vt innueret, quòd per auxilium præuenientis gratiæ, & virtute motionis diuinæ eſt in eorum poteſtate, non impedire gratiæ receptionem. Sentit ergo, quòd prima cauſſa collationis gratiæ, vel negationis reſiſtentiæ prouenire non poteſt ex ſolo naturali vſu negatiuo liberi arbitrij: ſed id deduci debet tanquam in priorem cauſſam efficientem, vel mouentem, in ipſum Deum ſeu in auxilium præuenientis gratiæ: Non ergo ſequitur infallibiliter collatio auxilij efficacis ad naturalem vſum negatiuum liberi arbitrij, neque ad aliquam eius diſpoſitionem negatiuam.

S.Thom.

XII. *S.Thom. In poteſtate hominis multa ſunt ex auxilio gratiæ.*

Ad ſecundum argumentum reſpondetur ex doctrina S.Tho. 2.2. *q.*2. *art.*5. *ad* 1. quòd ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic non eſt in eius poteſtate, velle credere, vel piè operari: ſi verò dicatur aliquid eſſe in eius poteſtate cum auxilio gratiæ, ſic re vera hæc poteſt cum tali auxilio: ſed tamen hoc

auxilium non pendet ex aliqua diſpoſitione naturali noſtri arbitrij, etiam negatiua; ſed ex ſola Dei miſericordia, qui idem auxilium tribuit quibus, & quando illi placuerit, vt in eadem ſolutione docet S. Tho. & per hæc patet ſolutio ad 3.

XIII. Ad locũ autẽ Apoſtoli *Tim.* 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, reſpondetur, ex illo non rectè inferri, auxilium efficax præuenientis gratiæ pendere ex aliqua naturali diſpoſitione negatiua noſtri liberi arbitrij: nam locus Apoſtoli habet plures explicationes, quas *in diſp.* 33. *de Auxiliis*; cum S. Auguſtino tradidimus, & S. Thom. & alijs Patribus: ibi poterunt videri. Inter quas illa facit magis ad præſentem quæſtionem, quòd ſcilicet loquitur de voluntate antecedente, qua nimirum Deus vult omnium ſalutem abſolutè conſideratam. Si verò conſideretur cum omnibus circunſtantiis, ſecundùm quod ſalus omniũ in particulari priuat aliquo maiori bono, ſcilicet bono diuino, quod eſt oſtẽſio maioris miſericordiæ in electis, & maioris iuſtitiæ vindicatiuæ in reprobis, ſic Deus non vult omnes homines ſaluos fieri, ſed ſolùm vult prædeſtinatos ſaluari. Quæ autem dicatur voluntas Dei antecedens, quæ voluntas conſequens, explicatum eſt à nobis ex profeſſo *diſputat.* 34. *de Auxiliis*.

Vtrum

Digitized by Google

Vtrum in poteſtate hominis ſint auxilia diuinæ gratiæ, ita vt poßit habere illa, vel obtinere à Deo, aut de facto obtineat, quoties ſibi placuerit.

CAPVT VII.

AD cuius explicationem ſupponendum eſt, quòd vt in prooemio *lib. 1. de Auxiliis* dicebamus, auxilia ſiue dona gratiæ ſunt in duplici differentia: quædam ſunt extrinſeca libero arbitrio eius, qui vocatur, vt electio Dei gratuita, prædeſtinatio, prædicatio externa Euangelii, & ſimilia. Quædam ſunt ei intrinſeca, & inhærentia, ſicut auxilia præuenientis gratiæ in intellectu, & voluntate recepta, de quibus *lib. 8. de Auxiliis, & duobus ſequentibus* dictum eſt. Et inter hæc, alia ſunt auxilia ſufficientia, quibus homo poteſt piè operari, ſi velit: alia efficacia, quibus Deus efficit, vt piè operetur, ſicut auxilium efficax ad credendum, ad pœnitendum, ad perſeuerandum vſque in finem. Item etiã diſtinguendũ eſt auxilium diuinæ gratiæ in auxilium præueniens, & auxilium concomitans, ſiue concurſum, quo Deus ſimul cum libero arbitrio immediatè in piam operationem influit. Et de his omnibus eſt inquirendum, an ſint in poteſtate hominis, an ſolùm in poteſtate Dei, quamuis potiſſima difficultas procedat de auxiliis I.

in-

intrinſecis,hoc eſt,de auxilio ſufficienti, & auxilio efficaci.

Eſt ergo prima ſententia quorundam Theologorum aſſerentium, gratiam excitantem, & adiuuantem,ſufficientem, & efficacem eſſe in poteſtate hominis,quod probari poteſt.Nam facientibus totum, quod in ſe eſt ex ſolis viribus naturæ,Deus ex certa lege confert auxilia excitantis gratiæ; quibus id, pro vt expedit ad ſalutem exequantur: aliàs Deus deficeret in neceſſariis ad ſalutem: ſed in poteſtate hominis conſtitutum eſt facere totum, quod in ſe eſt ex viribus naturæ,cùm id fiat per liberum arbitrium,cuius actus, ſiue vſus ſubditur poteſtati hominis. Ergo in poteſtate illius poſitum eſt habere, ſiue acquirere auxilia excitantis gratiæ, vel facere, quod ſibi à Deo conferantur.

Leſſius lib. de grat. efficaci cap. Primum arg

Secundò idem probatur de auxilio efficaci: In poteſtate hominis eſt vti auxilio ſufficiẽti, & piè operari cum illo:ideo enim dicitur ſufficiẽs, quia tribuit ſufficientes vires, quibus liberum arbitrium poteſt piè operari,ſi velit.Ergo in poteſtate hominis eſt facere, vt Deus auxilio efficaci ſecum cooperetur actum,ad quem voluntas mota à gratia excitante ſe voluerit determinare.Ergo in poteſtate illius eſt habere auxiliũ Dei efficax in actu ſecundo, quo Deus eundem actum operatur. Confirmatur. Deus decreuit cooperari creaturæ intellectuali, quoties ipſa voluerit.Ergo operante creatura, diuina poteſtas quadam neceſſitate veluti trahetur ad cooperandum ex vi eiuſdem diuini decreti: ſed in

Conſ.

pote-

poteſtate creaturæ eſt propria ipſius operatio, ſeu determinatio ad talem actum: aliàs nō eſſet libera, cùm libertas conſiſtat eſſentialiter in facultate voluntatis,& rationis ad vtrumlibet. Ergo in poteſtate creatæ voluntatis eſt cooperatio Dei quæ eſt per auxilium efficax. Ergo auxilium efficax Dei eſt in poteſtate voluntatis motæ à Deo auxilio ſufficienti.

Tertiò. Vt homo verè dicatur poſſe operari aliquem actum, requiritur, quòd habeat in ſua poteſtate omnia requiſita ad productionem talis actus: ſed auxilium efficax neceſſariò requiritur ad productionem piæ operationis. Cùm ergo liberum arbitrium gratia excitante præuētum habeat in ſua poteſtate piam operationem, relinquitur, ipſum habere in ſua poteſtate auxilium Dei efficax, ſine quo impoſſibile eſt aliquā piam operationem produci, iuxta illud Io. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* *Ioan.15.*

Quartò. Dum ſumus in via, ſemper in manu liberi arbitrii noſtri poſita eſt ſalus noſtra, iuxta illud Eccl. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui.* Et infra: *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Sed huiuſmodi ſalus non eſſet poſita in manu arbitrii noſtri, niſi in poteſtate illius eſſet habere, vel acquirere auxilia gratiæ neceſſaria ad ſalutem: Ergo hæc auxilia tam ſufficientia, quàm efficacia ſunt in poteſtate noſtri arbitrii ſufficientia quidem, quatenus faciendo, quòd in ſe eſt ex viribus naturæ obtinet infallibiliter à Deo huiuſmodi auxilia: efficacia verò, quatenus habet paratum Dei conuerſum, ſine II. *Eccl.15.*

coope-

Digitized by Google

M.Cabrera 3.p.qu.18. ar.4.diſp.2. §.11.n.157. & ſequent.

cooperationem, quotieſcumque pro ſua libertate voluerit cum auxilio ſufficienti ſe ad piam operationem determinare. Secunda ſententia eſt aliorum Theologorum aſſerentium auxilium efficax eſſe in poteſtate liberi arbitrii moti à gratia excitante ratione cuiuſdam diſpoſitionis negatiuæ, ſeu non reſiſtentiæ, quatenus videlicet ſi ipſum arbitrium ſinat ſe moueri à Deo, nec reſiſtat vocationi ipſius, dabitur illi infallibiliter auxilium efficax, quo piã operationẽ exequatur. Argumenta, quibus ad hanc diſpoſitionem negatiuã ſtatuẽdam conuincũtur adducta ſunt, & ſoluta *d.105. de Auxil. n.6.* de qua etiã egimus *c. præcedenti.* Pro reſolutione tamen huius difficultatis, vt ab auxilijs externis incipiamus, ſit

III. Prima concl. Auxilia externa non ſunt ita in poteſtate hominis in natura lapſa, vt quotieſcũque voluerit, habeat illa. Hæc concluſio intellecta de aliquibus auxiliis externis eſt certiſſima, & probatur. Nam inter auxilia externa quibus inducuntur homines ad credendũ cõputantur miracula, quę in confirmationẽ relig. Chriſtianę fiunt à Deo ſupra omnẽ ordinẽ naturæ. Vnde, &

Ioan.4.

Iudæi increduli dixerũt ad Chriſtũ Dominum: *Quod ergo tu facis ſignũ, vt videamus, & credamus:* ſed habere hæc ſigna nõ eſt in poteſtate hominis, ſed ſolùm in poteſtate Dei ea tribuẽtis, quibus, & quãdo ſibi placet. Vnde Iudæis ea petentibus, reſpõdit Dominus: *Generatio praua, & peruerſa ſignum quærit, & ſignum non dabitur eis, niſi ſignũ Ionæ Prophetæ.* Itẽ etiã prædicatio Euangelij, & ſuaſiones, & exhortationes, quæ fiunt prædicatorũ miniſterio, ſunt auxilia externa ad ſalutẽ

Matt.16.

neceſ-

Digitized by Google

neceſſaria,iuxta illud: *Quomodo credent ei,quē non audierunt? quomodo autem audiēt ſine prædicante?* Et tamen non eſt in poteſtate hominis habere prædicatores ſuadentes bonum, ſed Deus mittit illos,quibus ſibi placet, quod & Apoſtolus loco inducto indicauit,cùm ſubdit: *Quomodo verò prædicabunt,niſi mittātur.* Et Iſaiæ 6. interrogāti Deo, *quem mittam,& quis ibit nobis?* reſpondit, *ecce ego, mitte me.* Et S. Aug. *l.1.de peccatorū meritis,& remiſſione c.22.* cuius verba adduximus *d.56.n.13.* ex verbis inductis Apoſtoli oſtēdit, nō eſſe in poteſtate hominis,ſed in poteſtate Dei,quòd quis habeat prędicatores:& inter ália inquit. *Vbi duo iſta tā diuerſa merita cōtraxerūt,nō dico,vt iſte credat,ille non credat, quod eſt propriæ voluntatis: ſed vt iſte audiat,ille non audiat. Hoc enim non eſt in hominis poteſtate.* Ergo,&c. Cōfirmatur ex illo Iſaiæ 5. *Mādabo nubibus meis, ne pluant ſuper illam imbrem,* ex quo teſtimonio probat noſtram concluſionem S. Aug. ſuper Pſalm. 134. in illa verba, *Suſcitans nubes ab extremo terræ.* Item Ezech. 3. dicitur: *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus,neque quaſi vir obiurgans,&c.* Ex quo teſtimonio S. Gregorius *lib.20.moral.ca.18.* probat noſtram concluſionem, oſtendens ex dono Dei procedere,quod quis habeat prædicatores ſuadentes bonum,de quo plura dicta ſunt à nobis *diſp.77.de Auxiliis n.5.*

Rom.10. *Iſaiæ 6.* *Aug.* *Iſaiæ 5.* *Aug.* *Ezech.3.* *Gregor.*

IV. Secundò idem probatur de gratia præueniente. Gratia ideo dicitur præueniens, quoniam præuenit omnem conatum,& induſtriam humanam procedentem ex ſolis viribus naturæ. Nā gratia,quæ eſt præueniens comparatione

vnius;

vnius, poteſt eſſe ſubſequens comparatione alterius. Vnde euenire poteſt, quòd quis per eleemoſynas, per orationes, & per alia opera pietatis procedentia ex prioribus auxiliis præuenientis gratiæ obtineat à Deo, vt prædicatores Euangelii mittat ſibi, qui de neceſſariis ad ſalutem illum inſtruant, & doceant, quid oporteat facere. Sic miſſus eſt Petrus Apoſtolus ad Cornelium propter orationes, & eleemoſynas, quas faciebat, vt patet *Actorum* 10. Vbi Apoſtolus inſtruxit Cornelium perquirentem de fide, qui ante implicitam fidem habebat Chriſti Domini, ſed tandem deuenire oportet ad gratiam præuenientem primam ſimpliciter, quam non præueniant opera naturæ, ne ſi ex operibus detur, iam gratia, non ſit gratia: de quo videnda

Tertio ratio. ſunt, quæ diximus *d.56. de Auxiliis.* Tertiò probatur argumento efficaciſſimo, quo ſæpè vtitur Sanctus Auguſtinus aduerſus Pelagianos. Sacramentum baptiſmi pertinet ad auxilia externa neceſſaria ad ſalutem in lege Euangelica, vt pa-

Ioan.3. tet ex illo Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Sed quod quis recipiat hoc ſacramentum

Auguſt. Paruulis aliquibus ſubuenit Deus per bapt. quia vult, aliis non ſubuenit, quia non vult.

antequam moriatur, non eſt in poteſtate hominis, ſed in poteſtate Dei, quod abſque vlla controuerſia manifeſtatur in paruulis, vt Aug. probat *ep.* 107. *ad Vitalem*, cùm ait: *Quomodo dicitur omnes homines eam* (ſcilicet gratiam) *fuiſſe accepturos, ſi non illi, quibus non donatur, eam ſua volũtate reſpuerent; quoniã Deus vult omnes homines ſaluos fieri, cùm multis non detur paruulis, & ſine illa plerique moriantur, qui non habent contrariã volun-*

voluntatem: & aliquando cupientibus, feſtinantibus, parentibus, miniſtriſque volentibus, ac paratis; Deo nolente non detur, cùm repente antequam detur, expirat, pro quo, vt acciperet, currebatur? Vnde manifeſtum eſt, eos, qui huic reſiſtunt tam perſpicuæ veritati, non intelligere omnino, qua loquutione ſit dictum, quòd omnes homines vult Deus ſaluos fieri, cùm tam multi ſalui non fiant, non quia ipſi, ſed quia Deus non vult, quod ſine vlla caligine manifeſtatur in paruulis. Et lib.de dono perſeuerantiæ *cap.12. Quid dicam, quod paruulus aliquando, antequam illi per miniſterium baptizantis ſuccurri poſſit, expirat? plerumque enim feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris, vt baptiſmus paruulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paruulum in hac vita non tenuit, vt daretur.* Et ſi quis obiiciat contra iſtam rationem, nam adulti propria voluntate, & libertate veniunt ad baptiſmum, & illum recipiũt, quando ſibi placet. Ergo in eorum poteſtate eſt conſtitutum habere, vel recipere ipſum baptiſmum. Reſpondetur, hoc arg. non infirmare, ſed potius confirmare noſtram rationem, & cõcluſionem. Nam quamuis adulti liberè veniant ad baptiſmum, & liberè illum recipiant, & conſequenter habeant poteſtatem veniendi ad tam venerabile ſacramentum: tamen hæc poteſtas non prouenit ex ſola facultate naturali, ſed ex auxilio præuenientis gratiæ: quòd quidem auxilium non eſt in poteſtate hominis, ſed in ſola poteſtate Dei mouentis, iuxta illud: *Auxilium meum à Domino.* Et Oſeæ 13. *Tantummodo in me auxilium tuum.* Propter quod Apoſt. Paulus, etiam ſi liberè fuerit conuerſus ad Chriſtum, quod indi-

Auguſt.

Obiectio.

Pſalm. 107.
Oſeæ 13.

Act. 9. cant illa eius verba: *Domine quid me vis facere?* non tamen ſuæ poteſtati, aut libertati, quam ex ſe haberet, ſed voluntati Dei & eius prædeſtinationi, vt primo mouenti, & eandem poteſtatem donãti attribuit; quòd ex perſecutore fuerit factus vas electionis. Ait enim: *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me, vt euangelizarem illum in gentibus continuò non acquieui carni, & ſanguini, &c.* Vbi Sanctus Thomas explicans illud: *Cùm autem placuit*, docet, quòd Apoſtolus in illis verbis: *notat cauſſam ſuæ conuerſionis, quæ duplex eſt: ſcilicet beneplacitum Dei, quod eſt diuina electio, & conuertentis vocatio, ideo dicit: cùm autem placuit, ſcilicet Deo: non quando volui ego, ſed quando placitum fuit ſibi,* quod probat ex illo ad Rom. 9. *Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Et Pſalm. 149. *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, &c.* Et ad Phil. 2. *Deus eſt enim qui operatur in nobis, & velle, & perficere.* Videantur circa iſtam concluſionem, quæ *diſp. 77. de Auxil. n. 5. & 6.* dicta ſunt.

Rom. 9. *Pſal. 149.* *Philip. 2.*

V. Secunda concluſio. Gratia interior excitans, & ſufficiens non eſt in poteſtate hominis, ſed in poteſtate Dei illam conferentis, quibus, & quando ſibi placet. Hæc concluſio probatur. Poſſe operari opera pietatis non eſt in poteſtate hominis, niſi miſericorditer ei à Deo donetur, ſed auxilium ſufficiens tribuit poſſe piè operari. Ergo non eſt in poteſtate hominis habere hoc auxilium, quando ſibi placuerit, ſed in poteſtate Dei illud conferentis, quibus vult, & quando vult.

Secundò

Secundò probatur ex illo 1. Cor. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* quibus verbis non obſcurè docet Apoſtolus, auxilium ſufficiens, quod nomine ſufficientiæ comprehendit, non eſſe ex nobis, vel in poteſtate noſtra, ſed in poteſtate Dei, vt iis verbis explicat Aug. *lib. de dono perſeuerantiæ cap.* 8. *Sicut autem Apoſtolus ait, quod in libro ſuperiori memoraui, non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, quem ſequutus S. Amb. audet, & dicit: Non enim in poteſtate noſtra eſt cor noſtrum, & noſtræ cogitationes, quòd omnis, qui humiliter, & veraciter pius eſt, eſſe veriſſimum ſentit.* Et infra. *Non itaque in hominum, ſed in Dei eſt poteſtate, vt habeant homines poteſtatem filios Dei fieri. Ab ipſo quippe accipiunt eum, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem, quæ operatur per dilectionem: ad quod bonum ſumendum, & tenendum, & in eo perſeueranter vſque in finem proficiendum, non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, in cuius eſt poteſtate cor noſtrum, & cogitationes noſtræ.* Idem docet aliis in locis *diſput.* 97. *de Auxiliis num.* 6. allegatis.

> 1. *Cor.* 3.
> *Auguſt.*
> *Ambr. lib. de fuga ſæculi cap.* 1.

Tertiò probatur auctoritate S. Thom. qui multis rationibus oſtendit, *quòd homo non mouet ſe ipſum ad hoc quod adipiſcatur diuinum auxiliũ, quod ſupra ipſum eſt; ſed potius ad hoc adipiſcendum à Deo mouetur.* Et infra. *Non igitur propter hoc datur nobis auxilium diuinum, quia nos ad illud per bona opera promouemur, ſed potius nos ideo per bona opera proficimus, quia diuino auxilio præuenimur.*

> *S. Th.* 3. *contra gentes c.* 149.

 Quod

Quod ibi probat multis rationibus. Sentit ergo, non eſſe in poteſtate hominis habere auxilium ſufficiens ad ſalutem, quoties ſibi placuerit: Aliàs poſſet homo per aliquos actus, ex ſolis viribus naturæ procedentes auxilium diuinum præuenire, aut illud à Deo infallibiliter obtinere; quod eſt contra S. Thomam loco allegato.

Confirmari poteſt hæc ratio omnibus argumentis, quibus *diſput.56. de Auxiliis* oſtenſum eſt, non eſſe legem aliquam à Deo ſtatutam conferendi infallibiliter præuenientis gratiæ auxilia facientibus totum, quod in ſe eſt ex ſolis viribus naturæ.

VI. *Aug. lib.3. de lib.arb. cap.3.* Quartò probatur ratione, *quia* vt Aug. dicit, *illud eſt in poteſtate noſtra, quod cùm volumus facimus.* Vnde ad hoc quod in poteſtate noſtra ſit aliquid, oportet, quòd ſit vel ipſa determinatio, vel quid ſubſequens ad determinationem noſtri arbitrij: ſed auxilium ſufficiens præuenientis gratiæ, in quantum præueniens non eſt quid ſubſequens ad determinationem noſtri arbitrij, ſed eam prȩuenit ordine ſaltem rationis, & cauſſalitatis. Ergo non eſt in poteſtate noſtri arbitrij habere, vel obtinere auxilium ſufficiens ad ſalutem, quando ſibi placuerit.

Confirmatur. Illud quod eſt in poteſtate noſtri liberi arbitrij procedit efficienter ab eodem libero arbitrio, vt ex Aug. *loco allegato* colligitur: ſed auxilium ſufficiens internum præuenientis gratiæ non procedit efficienter à noſtro libero arbitrio, ſed à ſolo Deo, vt ex locis Script. ſuperius allegatis colligitur. Ergo auxilium ſufficiēs

inter

internum non eſt in poteſtate noſtri arbitrij. Si dicatur,hoc argum. ſolùm concludere auxilium ſufficiens internum præuenientis gratiæ non eſſe immediatè in poteſtate noſtri arbitrij, ſicut ſunt actus liberi procedentes ab illo efficienter: non tamen concludit, quòd non ſit mediatè in poteſtate arbitrij. Etenim quamuis auxilium ſufficiens internum non procedat efficienter à libero arbitrio, ſed à Deo: nihilominus liberum arbitrium ex ſolis viribus naturæ poteſt habere aliquos actus imperfectos circa hæc auxilia, ſicut,& circa alia obiecta ſupernaturalia,ſibi propoſita,& explicata, inſufficientes tamen ad ſalutem. Poteſt enim quodámodo ſe ipſum aptare,vt ſibi donentur à Deo,vt quidam recentiores Theologi affirmãt. Et rationẽ aſſignãt.Nam ſi propoſita per Alchoranũ falſa beatitudine in rebus infimis conſtituta poſſunt homines illam optare,& à Deo petere:Cur etiam propoſita beatitudine vera,quæ in clara viſione Dei, in poſſeſſione & fruitione diuinorum bonorum, in conſortio Angelorum, in manſione cœleſti, &c.conſiſtit, non poſſent optare, & concipere ingens deſiderium tãti boni,& petere à Deo ad illud præduci?non enim quia bonũ aliquod ſupernaturale eſt, ideo viribus naturæ appeti nequit;imo eo facilius, & ardentius appetitur, ſi putetur,aliqua ratione poſſe obtineri, quia quo ſupernaturalius,eo eſt excellentius. Quo autem excellentius eſt, eo magis aptum eſt allicere ad ſe voluntatem.Hác rationem aſſignat P.Leſſius. Quia tamen bonũ illud eſt ſupernaturale;ideo ſolius naturæ viribus appeti nequit eo modo,

Solutio.

Molina cõcor.q.14. ar. 13. diſp. 45. §.ex iis, & Leonardus Leſſius lib. de gra.effi. c.10.num.4.

Digitized by Google

quo expedit ad ſalutem, vel vt iuſtificationis gratia conferatur, ſicut loquitur Concil. Trid. *ſeſſ.6. Canone* 3. Poterit ergo liberum arbitrium mediis huiuſmodi actibus imperfectis, quos viribus naturæ poteſt illicere circa auxilia interna præuenientis gratiæ ea deſiderando, & petendo obtinere infallibiliter à Deo, & hac ratione affirmari poterit, quòd ſint in eius poteſtate.

Conc. Trid.

Impugnatio.

Hæc tamen ſolutio non euacuat vim argumenti, & multa continet, quæ nõ modicam difficultatem habent. Et in primis admitti non poteſt, auxilia interna præuenientis gratiæ eſſe in poteſtate noſtræ voluntatis mediis aliis actibus ex ſolis viribus naturæ ab eadem voluntate elicitis: quia nullum actum poteſt liberum arbitrium elicere ex ſolis viribus naturæ, quo infallibiliter obtineat à Deo auxilia priora gratiæ præuenientis, vt *diſputatione* 55. *&* 56. *de Auxiliis* oſtenſum eſt ex profeſſo: Aliàs gratia præueniens non eſſet præueniens, ſed potius præuenta à libero arbitrio, & conſequenter eſſet pediſſequa illius. Vnde liberum arbitrium, non poteſt ex ſolis viribus naturæ petere, aut deſiderare, vt ſibi conferãtur auxilia præuenientis gratiæ, neque aliquid facere, quo infallibiliter eadem auxilia conſequatur, vt in diſputationibus præallegatis oſtenſum eſt. Aliàs initium præuenientis gratiæ eſſet ex nobis, quia, vt Auguſt. ait *lib. de correptione & gratia c.1. deſiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ eſt.*

Auguſtin.

VII.

Liberũ arbitrium circa

Quapropter dicendum eſt, liberum arbitriũ nõ poſſe abſque ſpeciali auxilio præueniẽtis gratiæ elicere circa obiecta ſupernaturalia actũ petendi,

petendi,quærendi,pulſandi, vel alios actus bonos conſimiles, etiam ſi dicatur, tales actus eſſe imperfectos, & inſufficientes, vt iuſtificationis gratia ei conferatur. Nam, vt ex dictis *diſp.2.de Auxiliis n.* 14.*&* 24.*& ſequent.*conſtat,etiam Semipelagiani aſſeruerũt,conatus illos naturæ antecedẽtes gratiam,vt medicum quærere,ſanitatem deſiderare,&c. eſſe imperfectos, & inſufficientes ad gratiam iuſtificationis conſequendá, niſi excitentur, & dirigantur per gratiam:& tamen quia poſuerunt conatus illos imperfectos naturæ antecedere gratiam præuenientem, ita vt eorum occaſione, vel intuitu daretur à Deo, meritò impugnati ſunt à S. Patribus, præſertim ab Auguſtin. & Proſpero, vt patet ex locis *diſp.* 55.*&* 56.*de Auxiliis* & aliàs ſæpe inductis. Pro nunc ſufficiant ad corroborandam hác noſtram ſententiam, & confutandam contrariam verba illa S. Aug.*lib.2. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap.* 8. *Fortaſſis ergo ipſi eo modo ſaltem ſeruant locum gratiæ, vt ſine illa ſentiant hominem poſſe habere boni; ſed imperfecti cupiditatem perfecti autem non facilius per illam poſſe; ſed niſi per illam omnino non poſſe. Verum, & ſic gratiam Dei dicunt ſecundùm merita noſtra dari, quod in Oriente Pelagius Eccleſiaſticis geſtis damnari timendo damnauit. Si enim ſine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipſum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ veniat adiutorium, ac ſic gratia Dei non gratis donabitur; ſed meritum noſtrum dabitur.* Ecce Sanctus Auguſtinus apertiſſimè docet non poſſe hominem ex ſolis viribus naturæ habere imperfectam cupiditatem ſupernaturalis boni

obiecta ſupernaturalia nullum actũ bonum elicere poteſt abſq. auxil. gratiæ.

Auguſtin.

Digitized by Google

boni operis, per quam adiutorium gratiæ infallibiliter conſequatur: quod etiam probat ex verbis illis Ioannis 15. *Sine me nihil poteſtis facere,* aduertens, quòd, *non ait ſine me nihil poteſtis perficere: ſed facere; nam ſi perficere dixiſſet, poſſent iſti dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis eſt; ſed ad perficiendum eſſe Dei adiutorium neceſſarium: Verùm audiant & Apoſtolum: Dominus enim, cùm ait, ſine me nihil poteſtis facere, hoc vno verbo initium, finemque comprehendit: Apoſtolus verò tanquam ſententiæ dominicæ expoſitor apertius vtrumque diſtinxit, dicens: Quoniam qui in vobis opus bonum cœpit, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu.* Et infra. *Videant quid reſpondeant dicenti Apoſtolo, non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid, quaſi ex nobiſmetipſis: ſed ſufficientia ex Deo eſt. Cogitare, ait, aliquid vtique bonum. Minus eſt autem cogitare; quàm cupere; cogitamus quippe omne quod cupimus, nec tamen cupimus omne, quod cogitamus: quoniam nonnunquam & quod non cupimus cogitamus. Cùm igitur minus ſit cogitare, quàm cupere, poteſt enim homo cogitare bonum, quod nondum cupit, & proficiendo poſtea cupere, quod antea non cupiendo cogitauit quomodo ad id quòd minus eſt, idem ad cogitandum aliquid boni non ſumus idonei tanquam ex nobiſmetipſis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, & ad id quod eſt amplius, id eſt, ad cupiendum aliquid boni ſine diuino adiutorio idonei ſumus ex libero arbitrio? Neque enim & hîc Apoſtolus ait, non quia idonei ſumus cogitare quod perfectum eſt, tanquam ex nobiſmetipſis, ſed cogitare ait aliquid, cui contrariũ eſt nihil. Vnde eſt illud Domini: Sine me nihil poteſtis facere,* quo nihil clarius dici

Ioan. 15. *Philip.* 1. 2. *Cor.* 3. *Ioan.* 15.

dici potuit pro noſtra ſententia. Si enim cogitare nihil poſſumus eorum, quæ pertinent ad ſalutem abſque adiutorio diuinæ gratiæ, multò minùs poterimus abſque auxilio gratiæ, ea deſiderare, aut petere. Videantur quæ in toto illo capite in confirmationem huius doctrinæ dicit Auguſt.

Ad Rationem inductam in contrarium facilè reſpondetur, quòd optare, & petere falſam beatitudinem per Alchoranum propoſitam, eſt actus malus, & peccatum, ac per conſequens eſt in nobis ex nobis, eo quòd peccatum ad ſolam deficientem voluntatem poteſt reduci. Cæterùm petere, & deſiderare veram beatitudinem, quæ in clara Dei viſione conſiſtit, & auxilia præuenientis gratiæ; quibus rationalis creatura ad eandem beatitudinem perducitur, eſt opus bonum dicens aliqualem ordinem ad auxilium gratiæ, & bonum ipſum ſupernaturale. Vnde non poteſt eſſe in nobis ex nobis, ſicut eſt peccatum, iuxta illud Oſeæ 13. *Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* *Oſeæ* 13.

Quintò probatur ratione eadem concluſio. Auxilia interna præuenientis gratiæ ſufficientis antecedunt operationem noſtri liberi arbitrij, vt ex etymologia ipſa nominis colligitur, ideo enim dicuntur auxilia præuenientis gratiæ, quia præueniunt operationē liberi arbitrij; ergo non ſunt in libera poteſtate eiuſdem arbitrij ita vt habeat illa; vel obtineat à Deo, quoties ſibi placuerit. Probatur conſequentia, nam id quod præuenit operationem liberi ar bitrij non poteſt eſſe in poteſtate illius.

VIII. Tertia cõcluſio; Etiam auxilium efficax præuenientis gratiæ non eſt in poteſtate liberi arbitrij, ita vt illud habeat quoties ſibi placuerit. Hæc concluſio poteſt accipi in duplici ſenſu, Primus eſt: Auxilium efficax non eſſe in poteſtate liberi arbitrij tanquam in cauſa efficiente, & in hoc ſenſu eſt certiſſima, & (vt exiſtimo) non negabunt illam Auctores oppoſitæ ſententiæ. Omnes enim fatentur; auxilium efficax præuenientis gratiæ eſſe à ſolo Deo efficienter, nec pendere à libero arbitrio, vt à cauſſa effectiua ſaltem vt liberum arbitrium eſt. Secundus ſenſus eſt, auxilium efficax non eſſe in poteſtate noſtri arbitrij medio aliquo actu libero producto ab eodem arbitrio cum auxilio ſufficienti, & in hoc ſenſu etiam affirmamus, auxilium efficax præuenientis gratiæ non eſſe in poteſtate noſtri arbitrij; ita videlicet, vt bene operando cum ſolo auxilio ſufficienti actum perfectum, comparatione cuius dicitur ſufficiens cõſequatur infallibiliter à Deo auxilium efficax præuenientis gratiæ. Hanc cõcluſionem ſic explicatam probant argumenta facta pro concluſione præcedenti.

Auxiliũ efficax præuenientis gratiæ non eſt in poteſtate noſtra.

Præterea probatur. Bonus vſus auxilij ſufficientis quo liberum arbitrium piam operationem producit, comparatione cuius dicitur ſufficiens eſt effectus auxilij efficacis, vt *diſp.* 58. *de Aux.* oſtẽſum eſt. Ergo talis bonus vſus præſupponit auxilium efficax, effectus enim præſupponit ſuam cauſſam. Ergo non eſt dicendum, quòd liberum arbitriũ bene vtendo modo prædicto Auxilio ſufficiente conſequatur vel obtineat à

Deo

Deo auxilium efficax, quo conuertatur. Confirmatur, nam vt *diſp.79. de Auxiliis* oſtenſum eſt, auxilium ſufficiens ſolùm tribuit poſſe piè operari actum illum, comparatione cuius dicitur ſufficiens: auxilium autem efficax tribuit infallibiliter piè operari. Ergo cum ſolo auxilio ſufficiente ad conuerſionem nunquam conuertetur homo, niſi à Deo conferatur illi auxilium efficax, quo præmoueatur à Deo, vt infallibiliter cõuertatur. Ergo quòd quis bene vtatur auxilio ſufficiente, conuertendo ſe ad Deum, procedit ab auxilio efficaci; ac per conſequens non eſt dicendum, quòd per bonum vſum auxilij ſufficientis, quo poteſt homo piè operari, conſequatur auxilium efficax, quo de facto piè operetur.

IX. *Petere gratiam eſt à gratia.*

Secundò probatur concluſio. Antequam homo petat aliquid à Deo, oportet quod aperiat os; nam apertio oris, ſiue externi, ſiue interni præcedit omnem petitionem & tamen ſine auxilio gratiæ nõ poteſt aperire os, vt petat ea, quæ pertinent ad ſalutem. Ergo multò minùs poterit illa petere. Minor probatur ex illo Pſal. 50. *Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.* Quem locum explicans S. Aug. *lib.2. contra duas Epiſtolas Pelag. ca.8. allegato* ait: *Nunquid iſtorum qui deſipiunt, vt aliud os, aliud labia eſſe contendant, & mirabili vanitate hominem dicant os aperire, labia hominis Deum, quanquam Deus illos, & ab hac abſurditate compeſcit, vbi ad Moyſen, famulum ſuum dicit: Ego aperiã os tuum, & inſtruam te, quid debeas loqui, in ſententia ergo illa, vt dicitur, aperi os tuum, & adimplebo illud, quaſi vnum videtur*

Pſal.50. Aug. libr.2. contra duas epiſt. Pelag. cap.6. 4.Eſdr.5.

Pſal.80.

videtur ad hominem pertinere, alterum ad Deum. In hac autem vbi dicitur, ego aperiam os tuum, & inſtruam te, vtrumque ad Dominum: Quare hoc? niſi, quia in vno iſtorum cooperatur homini facienti, alterum ſolus facit. Quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, vt faciat homo.

Tertiò probatur. Auxilium efficax prædeterminat voluntatem ad bonum vſum auxilij ſufficientis, vt *diſp.23.& 91.de Auxil.* oſtenſum eſt: ergo per bonum vſum auxilij ſufficientis non conſequitur liberum arbitrium auxiliũ efficax. *Diſp.23. 91. de Auxil.*

Quartò idem probatur, nam vt docet Sanct. Auguſtin. *lib.de Prædeſtinatione Sanctorum capit.* 11. vtrumque eſt in poteſtate Dei, & quod à nobis exigit, & quod nobis offert; ſed Deus offert auxilium efficax ad ſalutem, vt patet ex illo Apocalyp. 3. *Ego ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis aperuerit mihi introibo*, &c. Ergo in poteſtate Dei eſt hoc auxilium, non in poteſtate hominis. Si dicatur eo ipſo, quòd Deus offert auxilium efficax ad piè operandum rationali creaturæ habenti auxilium ſufficiens, relinquit in eius poteſtate, quod velit acceptare auxilium efficax: ac per conſequens, in eius poteſtate eſſe, quòd habeat illud auxilium in actu ſecundo, vel non habeat. Contra hoc eſt argumentum; quia per ipſum auxilium efficax efficit Deus, vt homo velit illud acceptare piè operando cum illo: Dicit enim Aug. *in libro de Prædeſtinatione Sanctorum ca. 8. Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro recipitur, ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primi-* *Auguſt.* *Apoc. 3.* *Solutio.* *Impugnat.* *Auguſt.*

tus

tus auferatur. Quibus verbis ſignificat gratiam efficacem cor emollire, vt illam recipiat bene operando. Ergo ab ipſa gratia efficaci prouenit, quòd liberum arbitrium velit eam recipere, & acceptare. Ergo impoſſibile eſt, quòd ratione huius acceptationis dicatur eſſe in poteſtate hominis ipſa gratia efficax: Sed dicunt, quòd gratia efficax in actu ſecundo nihil aliud eſt, quàm ipſa pia operatio, procedens à libero arbitrio, & gratia ipſa efficaci, vt à duabus cauſſis partialibus. Cùm ergo ipſa pia operatio liberi arbitrij ſit in poteſtate hominis, relinquitur gratiam efficacem in actu ſecundo eſſe in poteſtate illius: quamuis gratia efficax in actu primo, ſit in ſola poteſtate Dei. Sed contra hoc eſt, quia gratia efficax in actu ſecundo non importat formaliter piam operationem, vt procedit à libero arbitrio; ſed influxum, ſeu concurſum Dei, quo efficaciter in nobis, atque nobiſcum, vt operemur operatur; ſicut in Concilio Arauſicano dicitur. Atqui huiuſmodi concurſus Dei, ſiue influxus, vt procedit à Deo, non eſt in poteſtate hominis, eo quòd homo non facit, vt Deus ſecum concurrat ad piam operationem; ſed potius è conuerſo Deus per efficacem gratiam efficit, vt liberum arbitrium ſecum concurrat, & piè operetur, iuxta illud Ezech. 36. *Faciam, vt faciatis, & in præceptis meis ambuletis.* De quo plura dicta ſunt *diſput. 86. de Auxiliis.* Ergo gratia efficax etiam in actu ſecundo, non eſt in poteſtate hominis; ſed in poteſtate Dei. Accedit, quòd Deus, ſiue auxilium efficax, & liberum arbitrium non ſunt duæ cauſſæ partiales piæ opera

Solutio.

Impugnat.

Conc. Arau. cap. 9.

Ezech. 36.

operationis,ſicut duo trahentes nauim:ſed quælibet eſt totalis in ſuo genere, quarum vna, id eſt, liberum arbitrium eſſentialiter ſubordinatur,& ſubditur alteri,ſcilicet Deo,non ſolùm in eſſendo,ſed etiam in operãdo vt *diſp.*85*.de Auxiliis* oſtenſum eſt.Fatemur ergo piam operationem eſſe in libera poteſtate arbitrij à Deo excitati, & adiuti:ſed hanc poteſtatem habet ab ipſa gratia præparante. Vnde nulla erit hæc poteſtas in homine, niſi à Deo donetur. Donat autem Deus hanc poteſtatem pro ſua mera,& gratuita voluntate, quibus, & quando ſibi placet, iuxta
Matt. 11. illud Matt.11.*Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terra, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus,& reuelaſti ea paruulis. Ita Pater; quia ſic placitum fuit ante te.*

X. Sed pro maiori explicatione huius concluſionis, & eorum, quæ dicta ſunt in præcedentibus,notandum, intelligendam eſſe de bono vſu auxilij ſufficientis in ordine ad piam operationẽ, ſeu conuerſionem perfectam comparatione cuius dicitur ſufficiens. Verbi gratia, tribuit Deus peccatori auxilia externa, & interna præuenientis gratiæ excitantis, & ſufficientis, quibus poſſit, ſi velit, ad Deum conuerti per actum perfectæ pœnitentiæ, & dilectionis Dei ſuper omnia. Dicimus ergo,non eſſe in poteſtate hominis per bonum vſum talis auxilij ſufficientis, quo nimirum conſentit, vel non reſiſtit Deo vocanti conuertendo ſe in Deum per actum perfectæ pœnitentiæ, & charitatis obtinere ab ipſo Deo, & acquirere auxilium efficax præmouens, & prædeterminans creatam volunta-
tem

tem ad perfectum actum pœnitentiæ, vel charitatis, & idem dicendum proportionabiliter de aliis conſimilibus operationibus piis. Hoc dixerim propter aliquos Theologos, quos refert, & impugnat Magiſter Zumel *tom.* 3. *variarum quæſtionum ad primam partem, &* 1. 2. *de diuiſione gratiæ actualis ſect.*2.§.*Hanc obiectionem pag.*74. *in impreſſione Lugdunenſi*, aſſerentis in genere cauſſæ efficientis, gratiam efficacem eſſe priorem, quàm ſit ipſa conuerſio perfecta: at verò in genere cauſſæ materialis, ſeu diſpoſitiuæ conuerſio ipſa eſt prior, quàm talis gratia efficax; & conſequenter talis conuerſio eſt ille pius vſus liberi arbitrij, quo acquiritur hæc efficax gratia, quam dicunt conſiſtere in infuſione habituum gratiæ, & virtutum, per quos mens hominis roboratur, & elicit actum perfectæ conuerſionis. Sed hæc ſententia non videtur admittenda: arguitur enim contra illam, & ſimul probatur noſtra concluſio. Nam, vt ſæpè docet S. Thomas, licèt ad auxilia, ſeu dona habitualia præſupponatur, & prærequiratur diſpoſitio procedens à noſtro libero arbitrio moto à Deo auxilio actuali, quæ quidem diſpoſitio in genere cauſſæ materialis præcedat habitus infuſos; tamẽ in ordine ad ipſam motionem Dei actualem nulla prærequiritur, ſed nec præintelligi poteſt diſpoſitio, quæ in genere cauſſæ materialis præcedat motionem primi mouentis: qua ſine motione Dei nihil homo poteſt facere, quo ſe diſponat ad motionem illam actualem acquirendam, iuxta illud Ioan. 15. *Quia ſine me nihil poteſtis facere*: aliàs daretur proceſſus in infinitum. **M.Zumel.**

Nam

Nam ad illam motionem, qua homo ſe diſponit ad motionem efficacem acquirendam, eſſet neceſſaria alia motio Dei actualis, & rurſus ad illam alia, & ſic in infinitum. Vnde S. Thom. 3. *cont. gent. c. 149. ratione* 1. loquens de auxilio diuino mouente noſtrum liberũ arbitrium ſic concludit: *Homo igitur non mouet ſe ipſum ad hoc, quòd adipiſcatur diuinum auxilium, quod ſupra ipſum eſt, ſed potius ad hoc adipiſcendum à Deo mouetur. Motio autem mouentis præcedit motum mobilis ratione, & cauſſa. Non igitur propter hoc datur nobis auxilium diuinum; quia nos ad illud per bona opera promouemur, ſed potiùs nos ideo per bona opera proficimus, quia diuino auxilio præuenimur.*

S. Thom.

XI. Difficultas autem eſſe poteſt de alio bono vſu auxilij ſufficientis in ordine ad alios actus imperfectos tempore antecedentes conuerſionem perfectam, vel aliã piã operationẽ, comparatione cuius auxilium præexiſtens gratiæ præuenientis dicitur ſufficiens, non autem efficax: & conſiſtit in hoc: Vtrum per talem bonum vſum auxilij ſufficientis ſit in poteſtate hominis habere, quando voluerit auxilium efficax prædeterminans ad perfectam conuerſionem, & piam operationem, vel illud obtinere à Deo, & quiſnam & qualis ſit iſte bonus vſus.

Punctũ difficultatis.

Hanc difficultatem conatur diſſoluere Magiſter Zumel *loco ſuperius allegato pag. 76.* & reſolutio eius conſiſtit in hoc, quòd bonus vſus & pius auxilij ſufficientis ad conuerſionem perfectam; non eſt conuerſio ipſa, vt ex præmiſsis conſtat, ſed non repugnantia, qua homo non repugnat vocationi, nec illi apponit impedimentum.

Zumel.

Digitized by Google

mentum. Et ſi inquiratur, quid ſit hæc non repugnantia, reſpondet,quòd non eſt mera negatio,quia eſt non repugnantia libera:ſed includit multos actus poſitiuos plures,vel pauciores,iuxta qualitatem auxilij ſufficientis præuenientis gratiæ. Habent enim latitudinem hæc auxilia ſufficientia, ita vt quædam ſint maiora, quædam minora, quædam vehementiora. Concludit ergo, pium hunc vſum poſitum eſſe in eo, quòd homo velit per Dei gratiam attendere diuinæ vocationi,& motioni,neque ponẽdo obicem, neque renuendo, ſed potius attendendo quàm periculoſus ſit ſtatus ſui ipſius in peccato, quàm malum, & amarum ſit, reliquiſſe Dominum,& quantum bonum ſecum afferat pœnitentia,& conuerſio in Deum,&c.Sic enim incipit parare viam ad ſui conuerſionem ex diuina gratia,& bene vtitur Dei auxilio,& vocatione eius, præſertim ſi non ſe diuertat ad alia ſæculi negotia, quæ diſtrahunt ab illo incepto bono vſu. Tunc enim Deus dabit vberiora, & maiora auxilia acrius excitando, mouendo, & vocando. E conuerſo autem malè vtitur quis gratia ſufficiente, quãdo vocatur ad pœnitentiam, & conuerſionem, ſi vel contradicat, vel ponat obicem, aut reſiſtat Deo, ſicut illi de quibus dicitur Act.7.*Vos Spiritui ſancto ſemper reſtitiſtis.* Et Iob. 21. *Dixerunt Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Vel ſi nihil curet de vocationibus, & inſpirationibus, quibus excitatur à Deo,ſed in affectu,& ſtatu peccati perſiſtere velit. Qui ergo prædicto modo bene vſus fuerit prioribus auxiliis præuenientis, & *Act.7.* *Iob.21.*

Digitized by Google

excitantis gratiæ, infallibiliter conſequetur à Deo auxilia poſteriora, imo & auxilium efficax, quo perfectè ſe ad Deum conuertat, & piam operationem efficiat. Et hac ratione dicitur in poteſtate hominis excitati à Deo auxilio ſufficienti poſitum eſſe habere vel acquirere auxilium efficax neceſſariū, vt actu conuertatur, & piè operetur.

XII. *Auguſt.* Hæc ſententia videtur diminuta, & indiget maiori explicatione. Nam S. Aug. *l. de prædeſtin. Sanct. c. 6.* ait: *Multi audiunt verbum veritatis, ſed alij credunt, alij contradicunt: volunt ergo iſti credere, nolūt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? ſed cùm aliis præparetur, aliis nō præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt vtique, quid veniat de miſericordia eius, quid de iudicio.* Et idem ſæpiſſimè in aliis opuſculis repetit, præſertim *epiſtola 107. ad Vitalem, & li. 4. contra Iulianum Pelagian. capite 8. l. 1. de peccatorum meritis, & remiſſione capite 21. & 22. Et libro 2. cap. 5.* Cuius doctrinam ſecutus Sanctus Proſper ad excerpta Genuenſium *dubitatione 4.* inquit: *Nunquid dubium eſt, cùm verbum veritatis prædicatur, alios voluntate credere, alios voluntate non credere? Sed cùm illorum cor Deus aperuerit, illorum autem non aperuerit, diſcernendum eſt, quid veniat de miſericordia, quid de iudicio.* Sentiunt ergo Sanctus Auguſtinus, & Proſper, non eſſe in poteſtate hominis, per bonum vſum auxilij ſufficientis facere, vt Deus conferat illi auxilium efficax, quo per contritionem, vel actum charitatis ad Deum conuertatur.

Reſpondent, quòd verba adducta ex Aug. & alia

Digitized by Google

alia conſimilia debent intelligi de gratia efficaci: quatenus continet vocationem talem, qualem ſecundùm propoſitum eſſe dicit idem Aug.qua poſita certò ſequatur conuerſio ex hypotheſi talis vocationis. De hac enim gratia ſic conſiderata loquitur, cùm dicit, iuſto & occulto iudicio Dei quibuſdam negari, aliis verò miſericorditer concedi. Sed hæc reſponſio potius auget difficultatem propoſitam. De hac enim gratia efficaci loquimur; alia enim gratia actualis, quæ non infert infallibiliter conuerſioně perfectam, non eſt ſimpliciter gratia efficax comparatione eiuſdem conuerſionis: ſed ſolùm eſt gratia ſufficiens. Igitur vt clarè, & diſtinctè difficultatem propoſitam diſſoluamus aduertere oportet nos in hac parte loqui poſſe de homine exiſtěte in peccato mortali, vel originali, aut verò de homine iuſto. Et quidě ſi ſermo fiat de homine peccatore aliquãdo Deus pro ſua mera, & indebita gratia excitat illum, & mouet gratia ſufficienti cũ voluntate abſoluta, ſeu conſequente, quæ eſt voluntas ſecundùm propoſitum perducendi liberum eius arbitrium ad perfectam conuerſionem. Et in hoc caſu tot inſpirationes, & excitationes, tam externas, quàm internas multiplicat, vt faciat illum attendere ad excitationes diuinas, & ad ea, quæ inducũt illum ad veram pœnitentiam: nec permittit illum diuertere ad negotia ſecularia, vel conſiderationem eorum, quæ ad perſeuerãdum in peccato pertraherent eius volũtatě & tandě in eo inſtanti, quo Deus ſtatuit peccatorem ad ſe conuertere, mouet ex mera gratia abſque vllo præcedenti merito, vel diſpoſitione

M. Zumel. pagin.75.co. 5.

Digitized by Google

procedente ex ſolis viribus naturæ voluntatem eius auxilio efficaci prædeterminâte ad conuerſionem,& eum conuertit;quamuis conuerſio ipſa non fiat abſque libera cooperatione liberi arbitrij creati à Deo excitati,& adiuti Et ita quilibet pius vſus arbitrij,quo bene vtitur prima excitatione, ſeu gratia ſufficiente, vel aliis intermediis, referendus eſt tanquam in primam radicem, & cauſſam in abſolutum, & gratuitum decretum voluntatis diuinæ, & in auxilia præuenientis gratiæ, quibus miſericorditer præparatur voluntas à Domino. Et quamuis in libero hominis arbitrio à Deo excitato,& moto ſit libera poteſtas bene vtendi prioribus auxiliis præuenientis gratiæ attendendo ad inſpirationes diuinas,conſiderando turpitudinem peccati,magnitudinem gloriæ,bonitatem diuinam,&c.hæc tamen poteſtas nulla eſt,niſi à Deo donetur,vt ex præmiſſis conſtat.

XIII. Quandoque verò Deus excitat peccatorem,& præuenit gratia ſufficiente cũ voluntate antecedente conuertendi illũ,qua vult omnes homines ſaluos fieri,& ad agnitionẽ veritatis venire,non autem voluntate conſequente,quæ eſt voluntas efficax,& abſoluta,quam Sãct.Auguſt.vocat ſecũdum propoſitum:ſed iuſto, & occulto iudicio vult permittere,vt in eodẽ peccato perſiſtat,aut aliud de nouo cõmittat.Et tunc ſic ſe habet cum peccatore, vt licet per gratiam excitantem eum præueniat, & aliqualiter attendere ad diuinas inſpirationes efficiat:in pœnã tamẽ præcedentis peccati ſaltem originalis,vt cum S. Aug. docet Sanct.Thomas,continuata illa auxilia,vel maio-

Digitized by Google

ra ei non tribuit, quibus in pio vſu gratiæ ſuffi- *Auguſtin.*
cientis perſiſtat, ſed permittit, quòd ad alia di- *S. Thom.*
uertat, & diuinæ vocationi reſiſtat, præſtétque *2.2.q.2.a.1.*
impedimentũ, ne auxilium efficax recipiat, quo *ad 2.*
perfectè cõuertatur,& iuſtificetur,& in pœnam præcedẽtis peccati non tribuit illi auxiliũ efficax quo perfectè in Deũ conuertatur vel piè operetur. Quare autem Deus illũ ita vocet,vt vocantem ſequatur,iſtum autem non ſic vocet,quare iſtum conuertat, illum non conuertat:non eſt à nobis inquirenda ratio;ſed humiliter cum Apoſtolo dicendum: *O altitudo diuitiarum.* Et: *Non* *Rom.11.*
eſt iniquitas apud Deum. Aſſignari quidem poteſt cauſſa demeritoria ex parte huius peccatoris,quare non ita vocetur, vt efficaciter pœnitentiam agat, videlicet præexiſtens peccatum, quo ipſe prius deſeruit Deum,quàm deſeratur à Deo:ſed non poteſt aſſignari cauſſa ex parte alterius peccatoris,quare ita vocetur,vt vocantem ſequatur: quia nulla in illo præceſſerunt merita bona,ſed potius multa merita mala: vnde id reuocandum eſt ad gratuitam, & indebitam miſericordiam vocantis. Nec etiam poteſt aſſignari ratio ex parte noſtra, quare Deus faciat iſtam miſericordiã cum hoc peccatore potius,quàm cum illo,cùm vterque in eadẽ damnatione peccati conueniant,& pariter rei ſint.

Si verò propoſita difficultas de homine iam iuſtificato procedat, tunc etiam diſtinguendum eſt:ſi enim Deus abſoluto,& æterno decreto ſtatuit in bono iuſtitiæ illũ conſeruare, & ad opera pietatis efficaciter præmouere,dũ illũ excitat ad bonũ, tunc illi tot,& tales inſpirationes ſubmi-

 niſtrat

miniſtrat, vt earum virtute petendo, quærendo, pulſando impetret à Deo auxilum efficax, quo piam operationē, ad quam fuerat excitatus, exequatur, iuxta illud Mat. 7. *Petite, & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis.* Et hoc modo concedendū eſt, eſſe in poteſtate hominis iuſti, qui ad piam operationem ſufficienter excitatur bene vtendo prædicto modo gratia ſufficiente cum adiutorio diuino conſequi à Deo auxilium efficax, quo piam operationem, ad quam excitatur, efficiat. Si autem Deus voluntate ſolum antecedenti vult illum in bono cōſeruare, voluntate autem conſequenti ſtatuit ab æterno hominē quē excitat ad bonum in bono non conſeruare, ſed permittere, vt ab eo deficiat: quia nimirum eſt reprobus, vel ſi eſt prædeſtinatus, vult permittere, vt peccet, & ad tempus in peccato perſiſtat, ne de ſuis viribus præſumat, ſed ſuā infirmitatem, & fragilitatem agnoſcat: tunc excitat illum ad bonum auxilio ſufficienti, paratus quantum eſt ex parte ſua conferre illi auxilium efficax, quo piè operetur, & conuertatur niſi per illum ſteterit: & ſuadet, vt faciat quod poteſt, & petat, quod non poteſt, ſicut Concilium Tridentinum *ſeſſione 6.* loquitur cùm ait: *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis.* Sed quoniam ipſo Deo permittente homo ille iuſtus paruidendit excitationes gratiæ, eiſque contradicit propria fragilitate, vel malitia: nec petit à Deo vt illū adiuuet auxilia ſubminiſtrādo maiora, & efficaciora, Deo non tribuuntur illi. Vnde, vt ait S. Thomas

Matth. 7.

Concil. Trid. ſeſſ. de iuſtif. cap. 11.

S. Thom.

Thomas 1. *parte. quæſti.* 94. *artic.* 4. *ad* 5. *In tentatione non fuit primo parenti ſubuentum, ne deciperetur, licet tunc maximè indigeret; quia tam præceſſerat peccatum in animo, & ad diuinum auxilium recurſum non habuit.* Cum hoc tamen firmiter aſſerendum eſt, & ſine dubitatione tenendum, quòd ſi Deus voluntate conſequente iuſtum, qui peccat, conſeruare voluiſſet in bono rationis, & vocare ſecundùm propoſitum & ad piam operationem efficaciter mouere, id vtique ſua omnipotentia perfeciſſet: ſed tamen non omnes vocat ſecundùm propoſitũ, aut vocatione illa, quæ eſt ſine pœnitẽtia, vt ex Apoſtolo *ad Roman.* 8. & 11. colligit Sanct. Auguſtin. *lib. de prædeſt. Sanctorum c.* 16. & 17. Nec tamen propter hoc vocatio illa Dei, quæ non eſt ſecundùm propoſitum. reputari debet deluſoria, vel non ſeria, vt quidam obiiciunt, quia licet per eam ex malitia éius, qui vocatur non ſequatur conuerſio, vel pia operatio, quam Deus voluntate antecedenti intendit, conſequitur tamen Deus per eandem vocationem alios effectus, vel fines, quos abſoluta, & efficaci voluntate vult ſequi, quales ſunt manifeſtatio conditionis, & fragilitatis humanæ, & neceſſitas gratiæ diuinæ, & eius excellentia, ſine qua nihil poteſt homo eorum facere, quæ pertinent ad ſalutem, vt ſic non glorietur omnis caro coram illo. *Auguſt.*

XIV.

Ad primum argumentum ex factis à principio reſpondetur, nullam eſſe legem à Deo conſtitutam conferendi infallibiliter auxilia excitantis, vel adiuuantis gratiæ facientibus totum, quod in ſe eſt ex ſolis viribus naturæ, vt ex

dictis, & *diſput.* 56. *de Auxiliis* conſtat. Neque ex hoc ſequitur, quòd Deus deficiat in neceſſariis ad ſalutem, quia quantum eſt ex parte ſua, omnibus offert auxilia, quibus ſaluari poſſint, & re ipſa ſaluentur, ſi velint: ſed quòd aliqui huiuſmodi auxilia non recipiant, prouenit ex præcedenti peccato, quòd verò ea recipiant, prouenit ex miſericordia Dei, vt docet Sanctus Thomas, 2. 2. *quæſtione* 2. *articulo* 5. *ad primum*, vbi ait: *Auxilium gratiæ quibuſcumque diuinitus datur, miſericorditer datur: quibus autem non datur ex iuſtitia, non datur in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem originalis peccati, vt Sanctus Auguſtinus dicit in libro de correptione, & gratia cap.* 5. *&* 6.

S. Thom. *Auguſt.*

Ad ſecundum reſpondetur, liberum arbitrium poſſe vti auxilio ſufficienti, & piè operari cum illo, ſi velit; ſicut poteſt vti habitu ſupernaturali, ſi velit: ſed vt velit, requiritur auxilium efficax præuenientis gratiæ, quo illud poſſe ad actum ſecundum reducatur, vt *diſputatione* 87. 88. *&* 106. *de Auxiliis* dictum eſt. Vnde licèt pia operatio ſit in poteſtate arbitrij à Deo excitati, & adiuti, non tamen eſt in eius poteſtate facere, vt Deus ſecum concurrat ad eandem piam operationem: ſed potius concurſus voluntatis eſt in poteſtate Dei, qui ſua gratia efficaci efficit, vt voluntas ſe liberè determinet ad operandum, & operetur actum pium ad quem mouetur à Deo.

XV. Ad confirmationem reſpondetur, Deum non decreuiſſe cooperari creaturæ rationali, quaſi in cõfuſo, quoties ipſa voluerit vel quaſi expectans determinationẽ creatæ volũtatis: id enim repugnare

gnare videtur perfectioni prouidentiæ,& cauſſalitatis diuinæ,vt *d. 22.23.95.& 96.de Auxiliis* oſtenſum eſt:ſed in particulari decreuit, quòd liberum arbitrium creatum gratia præuenienti excitatum,& adiutum ſe determinet ad talem vel talem piam operationem in ſingulari. Vnde concurſus, & operatio voluntatis creatæ eſt in poteſtate Dei,concurſus autem Dei, ſiue auxilium efficax non eſt in poteſtate arbitrii creati, ſed in ſola poteſtate Dei.Sed dices, concurſus, *Obiectio* & cooperatio Dei eſt idem realiter,quòd pia operatio:ſed pia operatio eſt in poteſtate arbitrij. Ergo & concurſus Dei erit in poteſtate illius. Reſpondetur, quòd concurſus Dei immediatus in liberum arbitrium,vt in cauſſam mouens ipſum efficaciter ad operandum, diſtinguitur realiter ab operatione arbitrii, vt ſupra dictum eſt. Concurſus autem Dei ſimultaneus, & immediatus in ipſam piam operationem, & ſi non diſtinguatur realiter, tanquam res à re operatione arbitrii,tamen ab ea formaliter diſtinguitur;nam importat ipſam operationem, vt dicit realem dependentiam à Deo, vt à prima cauſſa efficiente:& hæc diſtinctio formalis ſufficit, vt operatio arbitrii ſit in eius poteſtate, non autem concurſus Dei formaliter loquendo.Vnde conſequentia facta eſt nulla,ſicut non ſequitur: hic motus eſt actio, & idem motus eſt paſſio. Ergo actio eſt paſſio, nam fit argumentatio ab identifica ad formalem.

XVI. Ad tertium reſpondetur, quòd vt homo verè dicatur poſſe operari aliquem actum, non eſt neceſſarium, quòd habeat in ſua poteſtate

Digitized by Google

omnia prærequiſita ad productionem talis actus vt *c.5.huius lib.*oſtenſum eſt. Etenim prædeſtinatio Petri, vt importat decretum abſolutum, & efficax Dei prædeſtinantis: non eſt in poteſtate Petri: ſed in ſola Dei poteſtate, & tamen prærequiritur, & præſupponitur ad omnes effectus prædeſtinationis, qui fiunt cum auxilio diuinæ gratiæ,quales ſunt actus Fidei, Spei, & Charitatis,& alia opera meritoria vitæ æternæ. Vt ergo aliquis actus ſit in poteſtate arbitrij, ſufficit, & requiritur, quòd liberum arbitrium verè poſſit illum producere,ſiue id poſſit ex facultate naturæ,ſiue ex auxilio diuinæ gratiæ, vt ex Sancto Thoma 2.2.*q.* 2. *art.* 5. *ad* 1. colligitur.

S.Thom.

Ad quartum reſpondetur, ſalutem eſſe poſitam in manu,ſeu poteſtate noſtri arbitrii, dum ſumus in via,quatenus per auxilium gratiæ poteſt homo ad Deum conuerti, & ſaluari: Sed illud auxilium non eſt in poteſtate hominis: ſed in poteſtate Dei, qui pro ſua miſericordia illud tribuit quibus, & quando ſibi placet, vt dictum eſt.Neque ex hoc ſequitur, quòd ſalus non ſit in poteſtate hominis cum auxilio gratiæ;ſed ſolùm infertur, quòd non ſit in poteſtate hominis ex propriis viribus, vel tanquam in primo inchoante & prima cauſſa efficiente & mouente. Et ad locum inductum ex *Eccleſiaſt.*15. reſpondetur, quòd, vt *diſputat.* 21. *de Auxiliis num.*11.*& diſputat.*98.*nu.*9. dictum eſt; homo non ita eſt conſtitutus in manu conſilii ſui, vt abſque Deo prædeliberante, & prædeterminante ſe ipſum determinet ad quam malue-

*Eccleſ.*15.

luerit partem. Non enim homo ita eſt liber, vt ſit liber à ſubiectione ſuperioris agentis,& mouentis: hoc namque eſt proprium Dei, eo quòd eſt liber per eſſentiam,& non per participationem: liberum autem arbitrium creatum, licet habeat dominium ſui actus, non tamen habet primum,& abſolutum illius dominium, vt *diſp.* 117. *de Auxiliis* oſtenſum eſt. Etenim liberum hominis arbitrium, vtpotè creatum, eſt ſub dominio Dei, & illi ſubiectum vt Sanctus Thomas 3. *contra gent. cap.* 199. probat ex illo Romanorum 9. *Non eſt volentis, ſcilicet velle, nec currentis, ſcilicet currere: ſed miſerentis Dei: quia ſcilicet oportet, quod ad bene volendum, & operandum homo diuino praeueniatur auxilio.* Et reſpondens eorum obiectioni, qui putant per hoc deſtrui libertatem arbitrii, ſubdit: *Non ergo per huiuſmodi verba excluditur liberum voluntatis arbitrium, ſicut quidam malè intellexerunt, quaſi homo non ſit Dominus ſuorum actuum interiorum, & exteriorum: ſed oſtenditur Deo eſſe ſubiectum.* In illis ergo verbis Eccleſiaſt. ſolùm ſignificatur, quòd non præfigitur homini virtus operatiua determinata ad vnum, ſicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantùm quaſi ab altero directæ in finem: non autem ſe ipſas agunt, quaſi ſe dirigentes in finem per conſilium, deliberationem. & electionem. Sic explicat illum locum S. Thom. 1. *p. quaeſt.* 22. *ar.* 2. *ad* 3. *S. Thom.*

Verum

ex obiecto, & omnibus circunſtantiis bonum moueamur; cùm tamen poſſet noſtrum liberum arbitrium tradere in alias diuerſas cogitationes, quibus ad actum moraliter malum excitaretur, & moueretur. Vtramque gratiam dicunt communicari nobis ex meritis Chriſti, & de vtraque indifferenter loqui Concilia, & Patres, cùm aduerſus Pelagianos aſtruunt, neceſſitatem gratiæ Dei per Ieſum Chriſtum, vt noſtrum liberum arbitrium operetur bonum. Aduertunt tamen, quòd vt eiuſmodi cogitatio ad bonum morale pertineat ad gratiam Dei per Ieſum Chriſtum, neceſſe eſt, vt ſit congrua, & attemperata libero arbitrio eius, qui per eam excitatur, & habeat adiunctam ſcientiam conditionem, qua Deus certò cognouit liberum arbitrium eſſe operaturum actum bonum moralem ex hypotheſi, quòd tali cogitatione tangeretur, excitaretur, & moueretur. Etenim ſi hanc præſcientiam coniunctam non habeat, ſed potius Deus præſciat, hominem non eſſe conſenſurum, ſed repugnaturum eiuſmodi cogitationi, & excitationi, fatentur talem cogitationem non pertinere ad gratiam Dei per Ieſum Chriſtum, ſed eſſe effectum cauſſatum ex communi Dei prouidentia, nec non ex ſerie cauſſarum ſecundarum. Probant autem iſtam ſententiam ſequentibus argumentis.

Vaſq. 1. 2. diſp. 189. c. 16. numer. 134. & diſp. 190. c. 1.

II. Primum argumentum deſumitur ex auctoritate Summorum Pontificum, & Conciliorum. Etenim Cœleſtinus Papa *in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ c.* 7. ait: *Quod nemo niſi per Chriſtum libe-*

Cœleſ. Pap.

liberè bene vtatur arbitrio. Et c. 9. *Ita Deus* (inquit) *in cordibus hominũ atque in ipſo libero operatur arbitrio, vt ſancta cogitatio, piũ conſiliũ, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit; quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus. Ad hanc enim nos profeſſionem idem doctor inſtituit, qui cùm ad totius orbis Epiſcopos de diuina gratiæ opitulatione loqueretur: Quod ergo, ait, tempus interuenit, quo eius non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, cauſiſque, cogitationibus, motibus adiutor, & protector orandus eſt. Superbum eſt enim, vt quicquam ſibi humana natura præſumat.*

Conc. Ara. Secundus locus habetur in Concilio Arauſicano 2. *Can.* 9. vbi ſic dicitur; *Diuini eſt muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate, & iniuſtitia tenemus: quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur.* Quibus verbis ad quamlibet cogitationem, & operationem bonam etiam moraliter neceſſariam eſſe definit gratiam Dei. Hæc autem gratia non ſemper eſt ordinis ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam, quoniam bona opera moralia, ad quæ eiuſmodi gratia donatur; ſunt naturalis ordinis, quibus ſubinde gratia ipſa Dei proportionari debet. Ergo neceſſariò admittenda eſt illa diſtinctio gratiæ in gratiam ſupernaturalem, & gratiam naturalem ſecundùm ſubſtantiam à dono creationis diſtinctam.

Tertius locus habetur in *Can.* 22. eiuſdem Concilii, vbi ſic definitur: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum, ſi quis autem habet homo veritatem, atque iuſtitiam, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, vt ex eo quaſi guttis quibuſ-*

Digitized by Google

buſdam irrorati non deficiamus in via. Vbi Concilium veritatem oppoſitam mendacio, qua homo etiam in materia morali profert, ex Dei gratia procedere affirmat. Ergo agnoſcit aliquam gratiam naturalem ſecundùm ſubſtantiam à gratia ſupernaturali, & à gratia creationis diſtinctam.

III. Secundò arguitur auctoritate Sanctorum Auguſtini, & Thom. qui hanc ipſam diſtinctionem gratiæ ſtatuiſſe videntur: Etenim S. Aug. *Aug.* ad primam cogitationem, qua mens noſtra tangitur à Deo, & voluntas delectatur, vt rectè operetur, recurrit, vt contra Pelagium oſtendat, primum initium gratiæ, vel pię operationis non eſſe ex nobis, nec ex facultate naturali noſtri arbitrij, ſed à ſolo Deo, vt patet *lib.1.de prædeſtinat. Sanct.c.2.* vbi ex hoc principio neceſſitatem gratiæ ad credendum probauit: non quia obiectũ ſit ſupernaturalis ordinis: ſed quia cùm cogitare non poſſimus aliquid ex nobis quaſi ex nobis, nec etiam poterimus credere, quod eſt cum aſſenſu cogitare. Eodem argumento vtitur *lib.2. con. duas epiſtolas Pelagianorum c.8. circa medium.* Item etiam *lib.1. ad Simpl. quæſt.2. circa finem*, oſtendens quomodo bona noſtra opera eligantur à Deo, nec quicquam gratiæ derogetur, inquit: *Reſtat, vt volũtates eligantur à Deo, ſed voluntas ipſa, niſi aliquid occurrerit, quod delectet, atque inuitet animum, moueri nullo modo poteſt, hoc autem, vt concurrat nullo modo eſt in hominis poteſtate.* Et *lib.2. de peccat. meritis, & remiſſione cap.17.* inquiens quare homines ſine peccato non ſint, reſpondet: *Poſſem facillimè, ac veraciſſimè reſpon-*

Digitized by Google

ſpondere, quia homines nolunt. Sed ſi ex me quæritur quare nolunt, imus in longum. Veruntamen hoc etiam ſine praiudicio diligentioris inquiſitionis breuiter dicam. Nolunt homines facere, quod iuſtum eſt, ſiue quia latet an iuſtum ſit, ſiue quia non delectat. Et infra: *Vt autem innoteſcat, quod latebat, & ſuaueſiat, quod non delectabat, gratia Dei eſt.* Conſtat autem non omnem cogitationem, & cognitionem, aut etiam delectationem, qua voluntas inclinatur ad rectè operandum, eſſe ſupernaturalem ſecundùm ſubſtantiam. Ergo neceſſariò admittenda eſt gratia Dei à dono creationis diſtincta, quæ ſit naturalis ſecundùm ſubſtantiam: ac per conſequens diuiſio prædicta gratiæ eſt ab omnibus Theologis admittenda.

IV. *S. Thom.* Sanctus Thomas eandem diſtinctionem videtur admittere *q.24. de veritate ar.*14. vbi cõſtituens differentiam inter cauſſas naturales, & liberas, inquit, quòd cauſſæ naturales ſunt determinatæ ad vnum, *ſed voluntas hominis non eſt determinata ad vnam aliquam operationem, ſed ſe habet indifferenter ad multas, & ſic quodammodo eſt in potentia, niſi mota per aliquod actiuum, vel quod ei exterius repræſentatur; ſicut eſt bonum apprehenſum, vel quod in ea interius operetur, ſicut eſt ipſe Deus. Omnes autem exteriores motus à diuina prouidentia moderantur, ſecundùm quod ipſa iudicat aliquem eſſe excitandum ad bonum his, vel illis actionibus. Vnde ſi gratiam Dei velimus dicere non aliquod habituale donum, ſed ipſam miſericordiam Dei per quam interius motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominis ſalutem, ſic nec vllum*

bonum

bonum homo poteſt facere ſine gratia Dei. Sed communiter loquentes vtuntur nomine gratiæ pro aliquo dono habituali iuſtificante. Quibus verbis apertè docet, motionem illam, nempe cogitationem, qua Deus mouet voluntatem eſſe ex Dei gratuita voluntate,& donum diſtinctum à dono creationis, propterea quòd natura noſtra indifferens ſit ad hoc, vel illud cogitandum, nempe ad malum, & bonum, & ex tali aut tali cogitatione ad hoc, aut illud amplectendum, in quo differentiam aſſignat inter naturam rationalem, & alia agentia naturalia, vt conſtat ex verbis citatis. Et clarius *2.2. q. 136. art. 3. ad 2.* ait: *quòd bonum politicæ virtutis commenſuratum eſt naturæ humanæ, & ideo abſque auxilio gratiæ gratum facientis poteſt voluntas humana in illud tendere, licèt non abſque auxilio gratiæ Dei: ſed bonum gratiæ eſt ſupernaturale.* Vnde non poteſt in illud tendere per virtutem ſuæ naturæ; & ideo non eſt ſimilis ratio. Vbi expreſſe admittit gratiam Dei ordinis naturalis ſecundùm ſubſtantiam.

Id ipſum confirmant auctoritate aliorum plurium SS. Patrum, quorum teſtimonia adduxi *lib. 4. de Auxilijs* inter diſputandum de viribus naturalibus, quas in natura lapſa habet liberum arbitrium ad operandum opera bona moralium virtutum, & ſuperãdas tentationes, quas ad ſeruanda præcepta naturalia oportet vincere. Si dicatur ad hæc argumenta eſſe quidem gratiam Dei, quòd recta cogitatione, & congrua nos præueniat, qua ſcit noſtrum arbitrium eſſe moraliter bene operaturum ex hypotheſi, quod per illam excitetur, & moueatur; ſed hanc gratiam

non eſſe ſpecialem gratiam Dei per Ieſum Chriſtum, de qua contra Pelag. Concilia, & Patres loquuntur, ſed reuocari ad gratiam creationis. Contra hoc eſt

V. Tertium arg. Gratia Dei per Chriſtum ex mente Aug. *in epiſt.* 105. eſt illa, ad quam nobis promerendam Chriſtus mortuus eſt: Chriſtus autem eſt mortuus, vt iuſti eſſemus, & rectè ſecundùm virtutem viueremus, vt pluribus in locis docet Apoſt. Ergo omnis gratia qua Deus nos excitat & adiuuat ad rectè viuendum etiam in materia moraliter verà, eſt ſpeciali gratia Dei per Ieſum Chriſtum.

Vaſq. 1.2. *diſp.* 188. *c.* 2. *n.* 5.

Confirmatur. Gratia ſpecialis à dono creationis diſtincta illa eſt, quæ condiſtinguitur à gratia generali omnibus creaturis communi; vt ex ipſa nominis etymologia conſtat; ſed gratia Dei de qua in præſenti loquimur, non eſt communis omnibus creaturis etiam rationalibus, ſed particularis, qua illi duntaxat præueniuntur, qui rectè operantur. Ergo reuera eſt gratia Dei ſpecialis; omnis autem gratia ſpecialis eſt gratia Dei per Ieſum Chriſtum, ad quam nobis conferendam Chriſtus ipſe tuus eſt. Ergo.

Quartò. Omne initium gratiæ ſupernaturalis, quantumuis imperfectum, datur nobis ex meritis Chriſti, vt pluribus in locis docet Aug. ſed omnis recta cogitatio, & omne auxiliũ, quo noſtrum liberum arbitrium excitatur, & adiuuatur ad rectè operandum in quacumque materia etiam morali, eſt aliquale initium gratiæ ſupernaturalis, licèt imperfectum: nam per bona opera moralia, ex eodem auxilio facta diſponitur

nitur homo ſaltem remotè ad iuſtificationis gratiam conſequendam, vt docent Theologi non pauci: aliàs illa bona opera moralia fruſtra fierent, & ad nihil conducerent. Ergo eiuſmodi gratia datur nobis ex meritis Chriſti.

Quintò probari poteſt eadem ſententia argumentis, quibus multi Theologi conuicti cenſent, hominem in natura lapſa abſque auxilio gratiæ Dei per Ieſum Chriſtum, quod ſaltem ſit ordinis naturalis ſecundùm ſubſtantiam, non poſſe operari aliquod opus bonum etiam morale, nec reſiſtere minimæ tentationi, vel implere aliquod præceptum naturale, quæ tamen argumenta *d.*50. *de Auxiliis* adducta ſunt, & ſoluta.

Hæc tamen ſententia, quãuis aliquibus Theologis, vt auctor præfatæ diſtinctionis affirmat, placuerit, nobis tamen non probatur. Exiſtimamus enim omnem illam gratiam, ex qua deſumitur primum initium noſtræ iuſtificationis, eſſe ordinis ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam: & de hac loqui Concilia, & Patres, qui contra Pelagian. primum initium iuſtificationis, & ſalutis noſtræ ex gratia Dei per Ieſum Chriſtum deſumendum eſſe affirmant. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quòd aliquis actus dupliciter poteſt eſſe ſupernaturalis. Primo modo ſecundùm ſuam ſubſtantiam, & eſſentiam, ſicut viſio beatifica, actus fidei, vel charitatis infuſæ, & alij huiuſmodi. Secundo quantũ ad modum, quo producitur, licet ſecũdùm ſe naturalis ſit, & poſſit ſolis viribus naturæ produci, ſicut oculus reſtitutus cœco per miraculũ eſt naturalis, quãtũ ad ſubſtãtiã, & eiuſdẽ ſpeciei cũ oculo

VI. *Vaſquez.*

Actus dupliciter poteſt eſſe ſupernaturalis, vel ſecundũ ſubſtantiã, vel quantum ad modum.

producto per naturalem generationem hominis; ſed quantum ad modum producendi eſt ſupernaturalis; quantum à priuatione ad habitum non eſt regreſſus per naturam. Vnde oculus ſemel amiſſus non poteſt iterum, niſi virtute ſupernaturalis agentis cœco reſtitui. Idem contingit proportionabiliter in moralibus. Etenim actus exterior eleemoſynæ, qui fit ex pietate quadam naturali nulla mala appoſita circunſtantia, eiuſdem ſpeciei eſt, quantum ad ſubſtantiam, ſiue fiat ab ethnico, ſiue ab homine fideli in charitate exiſtente. Cæterùm quoties in homine iuſto illemet actus refertur per charitatem formaliter, aut virtualiter in vltimum finem ſupernaturalem, eſt alterius ſpeciei, & ſupernaturalis quantum ad modum: quoniam per ſolas vires naturæ abſque ſpeciali auxilio ſupernaturalis ordinis referri non poteſt in finem ſupernaturalem, aut illum attingere.

VII. Notandum ſecundò, eſſe magnam differentiam inter actum noſtrum vitalem, & liberum, qui eſt ſupernaturalis quantum ad modum, & inter primum auxilium gratiæ, quo Deus mouet intellectum noſtrum, & voluntatem ad actus indeliberatos. Etenim actus noſtri deliberati, etiam ſi naturales ſint quantum ad ſubſtantiam, participant tamen ſupernaturalitatem, quantum ad modum ex gratia præueniẽte ſimpliciter prima, à qua procedunt, & ex fine, vel forma ſupernaturali, ad quam ordinantur, tanquã eius diſpoſitiones, quæ debent eſſe eiuſdẽ ordinis cum forma. Cæterùm gratia illa primò præueniens, ex qua primum initium ſalutis noſtræ

Gratia primò præueniẽs noſtrum

ſtræ cauſſatur, cùm non ſit formaliter actus vitalis, ſed ſolùm cauſſaliter, vt *diſput.*74.*de Auxiliis* oſtenſum eſt, nec præſupponat aliam priorem gratiam ſupernaturalis ordinis, ex qua modum ſupernaturalitatis participet, neceſſe eſt, quòd ſit quantum ad ſubſtantiam ſupernaturalis. Aliàs enim talis motio, vel gratia eſſet merè naturalis, & nulla ratione ſupernaturalis, etiam quantum ad modum, ac per conſequens procederet à Deo, vt eſt creator, non autẽ in quantum eſt redemptor generis humani: & ita reuera non eſſet reputanda gratia Dei per Ieſum Chriſtum, ſed dicenda eſſet gratia creatoris, & ad gratiam creationis reuocanda, qualem multoties admiſit Pelagius, vt pluribus in locis S. Aug. commemorat, immo & Concilium Mileuitanum, & alia, quæ contra Pelagium congregata fuere, vt patebit infra.

intellectum, & volũtatẽ debet eſſe ſupernaturalis ſecundũ ſubſtãtiam.

VIII. Tertiò ſupponendum ex dictis *diſput.*74. *de Auxiliis*, quòd licèt actus noſtri vitales ex motione gratuita Spiritus ſancti prouenientes poſſint habere rationem gratiæ excitantis, & præuenientis in ordine ad alios actus ſupernaturales ſubſequentes, quibus ad iuſtificationem, vel piam operationem diſponitur voluntas noſtra, & præparatur à Domino: tamen in ipſa ſerie auxiliorum præuenientis gratiæ deueniendum eſt ad aliquod auxilium ſimpliciter primum, quod non ſit formaliter actus noſter vitalis, ſed principium effectiuum, quo intellectus noſter, aut voluntas eundem actum vitalem eliciat.

His ſuppoſitis probatur noſtra ſententia, & ſimul impugnatur opinio præcedẽs. Primò. Illa gratia

Gratia Dei per Ieſum Chriſtũ de-

Digitized by Google

bet eſſe ordinis ſupernaturalis ſecũdum ſubſtantiam.

gratia naturalis ordinis ſecundùm ſubſtantiam, quæ aſſeritur eſſe primũ noſtræ ſalutis initium, non differt à gratia creationis,quam admiſit Pelagius,ſed potius ad ipſam reuocatur. Ergo illa non eſt reuera dicenda gratia Dei per Ieſum Chriſtum. Probatur conſequentia: nam Chriſtus Dominus non eſt mortuus , vt gratia creationis communicaretur nobis,ſed vt gratiam redemptionis acciperemus, per quã mundaremur à peccato; & regni cœleſtis participes efficeremur. Antecedẽs probatur. Gratia creationis non terminatur ſolùm ad eſſe naturæ,vel ad eſſe potentiarum,quæ conſequuntur naturã,ſed etiam eſt principium effectiuum operationum , quæ intra limites naturæ competunt rebus creatis. Creauit enim Deus res naturales,vt operarẽtur, iuxta illud Geneſis 2. *Tulit ergo Dominus Deus hominem,& poſuit eum in paradiſo voluptatis,vt operaretur,& cuſtodiret illum.* Et *eodem cap.* poſt productionem omnium creaturarum ſubditur: *Et benedixit diei ſeptimo,& ſanctificauit illum: quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus vt faceret*, id eſt, quod creauerat,vt operaretur. Vnde Ariſtot. *Vnumquodque eſt propter ſuam operationem.* Et hinc ortum habuit illud commune proloquium Philoſophorum: *fruſtra eſt potentia, quæ non reducitur ad actum.* Ergo omnis illa gratia,qua Deus mouet potentias naturales, aut liberas ad operationes ſibi congruentes intra limites naturæ præciſe,pertinet ad gratiam creationis,& eſt reuera donum naturale.

Gen.2.

IX. Confirmatur. Deus non creauit hominem,vt operaretur malũ, ſed potius, vt operaretur bonum

num ſuæ naturæ proportionatum: etenim peccatum, ſicut & quodcumque aliud malum eſt præter intentionem naturæ, & procedit à cauſſa ſecunda deficiente, vt deficiens eſt. Ergo ad auctorem naturæ pertinet, & ad eius prouidētiam excitare homines bonis cogitationibus moralibus, & eos mouere, vt bonum morale ſibi proportionatum operentur intra limites naturæ, licèt aliquando deficiant, & operentur malum ex vertibilitate, & defectu proprij arbitrij. Ergo talis bona excitatio merè moralis procedit à Deo, vt eſt auctor naturæ, ac per conſequens debet ad gratiam creationis reuocari.

Secundò probatur. Pelagius ad occultandam, & defendendam ſuam hæreſim ſæpiſſimè vſus eſt nomine *gratiæ*, quæ eſt naturalis ſecundùm ſubſtantiam, & eam admiſit, videlicet naturam gratis creatam, exemplum Chriſti, legē & præcepta, & bonas cogitationes, atque excitationes ſtupentis voluntatis naturales ſecundùm ſubſtantiam gratis à Deo immiſſas: & has dicebat eſſe gratiam Chriſti, de qua ſacra loquebatur Scriptura, & à qua initium noſtræ deſumebatur ſalutis: & tamen Concilia, & Patres ex aduerſo vrgebant Pelagium, non eſſe hanc gratiā Chriſti, quam ſacræ tradunt Scripturæ. Ergo neceſſe eſt dicere, gratiam illam Chriſti, ex qua primum initium noſtræ ſalutis deſumitur, eſſe quantum ad ſubſtātiam ſupernaturalis ordinis, ac per conſequens in propoſita difficultate non eſſe admittendam illam diſtinctionē, qua gratia Dei per Ieſum Chriſtum in gratiā ſupernaturalem, & gratiam naturalē ſecundùm ſubſtantiam XI. diuiditur.

X. *Gratia creationis, quam admiſit Pelagius, in quo cōſiſtat.*

diuiditur. Antecedens probatur ex Concilio Carthaginéſi, *epiſt. ad Innocẽtium quæ eſt* 90. apud Auguſtinum: vbi de Pelagio loquens, & Cœleſtio: *In eo*, inquit, *gratiam Dei putandam aſſerunt, quòd talem hominis inſtituit, creauitque naturam, qua propria voluntate legem Dei poſſet implere.* Et Sanctus Auguſtinus *lib. de hæreſibus ad Quod vult Deum, hæreſi* 88. *Illam*, inquit, *gratiam Dei ſine qua nihil bonum facere poſſumus, non eſſe dicunt niſi in libero arbitrio, quod nullis ſuis præcedentibus meritis ab illo accepit noſtra natura, ad hoc tantùm ipſo adiuuante per ſuam legem, atque doctrinam, vt diſcamus quæ facere, & quæ ſperare debeamus; non autem ad hoc per donum Spiritus ſancti, vt quæ didicerimus eſſe facienda, faciamus.* Et ipſe Pelagius, vt refert Aug. *lib. de grat. Chriſt. cont. Pelag. & Cœleſt. c.* 10. admiſit cogitationem, & excitationem bonam, qua Deus ſtupentem ſuſcitat voluntatem, & ſuadet omne, quod bonum eſt: & hanc dicebat eſſe gratiã Dei per Chriſtum, de qua loquũtur Script. Verba Pelagij ſunt: *Operatur in nobis velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos mutorum more animalium tantummodo præſentia diligentes futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit: dum reuelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem: dum nobis (quòd tamen alibi negare non potuit) ſuadet omne quod bonum eſt.* Idem conſtat ex aliis locis S. Aug. & aliorum Patrum *diſp.* 1. *de Auxiliis* à nobis inductis.

Auguſt.

Ex quibus omnibus deſumitur efficax argumentum. Concilia, & Patres, dum contra Pelagium aſſerunt, neceſſarium eſſe auxilium gra-

tiæ

tiæ ad noſtram ſalutem, & ad omnia præcepta legis implenda, planè loquuntur de auxilio ſupernaturalis ordinis, non autem de congrua cogitatione naturali,aliàs facilè poſſet quis eludere omnem Conciliorum, & eorumdem Patrum doctrinam, & dicere, ad credendum, & ſperandum, & diligendum Deum, & vitam æternam promerendum nullum eſſe neceſſarium auxilium ſupernaturalis ordinis ex parte gratiæ præuenientis, ſed ſufficere auxilium gratiæ naturalis ordinis conſiſtens in illa cogitatione congrua per cauſſas naturales excitata, & ita eneruarentur eorum diffinitiones, quibus vtuntur Scholaſtici ad impugnandam hæreſim Pelagianam.

Confirmatur. Vt conſtat ex dictis in ſecundo fundamento, gratia illa naturalis ordinis ſecundùm ſubſtantiam, quæ aſſeritur eſſe abſolutè primum initium noſtræ ſalutis, non eſt ſupernaturalis ſecundùm modum,aliàs oporteret, vt illam præcederet alia gratia ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam, à quo modum illum ſupernaturalitatis participaret, quod eſt contra hypotheſim. Ergo ſi ex aliqua gratia naturali; ſecundùm ſubſtantiam primò incipit noſtra ſalus, ſequitur quòd primum initium noſtræ iuſtificationis, & ſalutis deſumeretur ex aliquo dono merè naturali,ac per conſequens primum initium gratiæ eſſet ex natura,quod in Pelagianis damnant Scripturæ,& Patres. XII.

Vaſqu. 1.2. diſp.189.ca. 16.n.145. & 1.n.d.91.ca. 14.

Reſpondent,quòd hoc auxilium ordinis naturalis ſecundùm ſubſtantiam *dici poteſt quodammodo ſupra naturam noſtram, quatenus eſt ſupra noſtram*

Digitized by Google

ſtram induſtriã, & ſollicitudinem ſine qua Deus noſtrã nobis talem cogitationem præparauit, & conceſſit, cùm poſſet oppoſitam immittere. Tum etiam quia hæc auxilia, quæ nobis confert ad rectè viuendum in quocumque genere virtutis, & ad vincendas tentationes, & concupiſcentias, datur nobis à Deo ex intentione noſtræ beatitudinis, quæ eſt finis noſter ſupernaturalis. Ex eo tamen, quod hoc auxilium gratiæ non ſit ordinis ſupernaturalis ſecundùm naturam & ſubſtantiam priori illo modo, negari non debet eſſe tale, quale Patres à Pelagio concedi pro viribus contenderunt. Illi enim non ſolùm contenderunt contra Pelagium, Deum quædam in nobis ſupernaturali reuelatione cooperari gratia ſua, ſed etiam vniuerſim probare conati ſunt, eſſe nobis neceſſarium quoddam genus gratiæ à ſolo Deo per ſanctam cogitationem præparatum ad rectè viuendum, & tentationes ſuperandas per varias occaſiones multiplicatum, & quo tandem iuſtificaremur, non quòd eodem numero auxilio, quo incipimus rectè viuere, & vincere tentationes, ad iuſtificationem, & remiſſionem peccatorum perueniamus; quia hæc diſtincta gratia eſt: ſed quia talibus initiis Spiritum compunctionis, & iuſtificationis à Deo impetramus: ob quam rationem Patres Concilij Mileuitani, & Africani, & Auguſtinus quodlibet auxilium, quo debellamus tentationes, & rectè viuimus, appellarunt gratiam iuſtificationis.

XIII. *Supernaturale quantum ad modum quid dicatur.*

Hæc tamen ſolutio eſt inſufficiens, & multa in ea coaceruantur, quæ ſolidum fundamentum non habent. Arguitur enim contra illam. Vt aliquid ſit ſupernaturale, quantum ad modum, non ſatis eſt, quòd ſupra noſtram induſtriam fuerit nobis præparatum, niſi abuti velimus

mus vocabulis, quod non licet doctori Theologo: aliàs quicquid nobis confertur ab alio citra omnem induſtriam noſtram eſſet reuera ſupernaturale, quantum ad modum. Præterea vt aliquid ſit, quantum ad modum, ſupernaturale, non ſatis eſt quod ſit ſupra naturam, vel induſtriam huius, vel illius perſonæ, vel ſuppoſiti: ſed neceſſariò requiritur, quòd ſecundùm illum modum ſit ſuper facultatem, vel induſtriam cuiuſlibet naturæ creatæ: aliàs profectò calor exiſtens in igne eſſet, quãtum ad modum, ſupernaturalis ordinis; quia eſt ſupra omnem facultatem, & naturam aquæ. Cùm ergo prima excitatio moralis multoties cauſetur in nobis ex ſollicitudine, & induſtria alterius; putà angeli, vel concionatoris ſuadentis bonum, relinquitur, talem cogitationem non eſſe ſupernaturalem, quantum ad modum, ſed merè naturalem.

Illud verò, quod addunt vlterius, illam primam cogitationem eſſe ſupernaturalem ex parte finis; quia videlicet datur à Deo ex intentione noſtræ beatitudinis, quæ eſt finis noſter ſupernaturalis, potius fauet noſtræ ſententiæ, & argumentum factum corroborat. Nam illa intentio Dei mandari debet executioni per media eidem fini ſupernaturali proportionata, & eiuſdem ordinis cum illo: ſed prima cogitatio moralis, quantumuis congrua, non eſt eiuſdem ordinis cum gratia, vel fine ſupernaturali, niſi procedat ab intellectu eleuato per aliquod principium actiuũ ſupernaturale, ſiue illud principium actiuum ſit qualitas, ſiue motio ſupernaturalis.

Ergo

Ergo vt Deus intendat per illam primam cogitationem moralem mouere hominem, vel perducere ad finem ſupernaturalẽ mediis aliis auxiliis, & piis operationibus, neceſſe eſt, quòd in tempore auxilio ſupernaturali moueat intellectum ad eliciendam vitaliter illam primam cogitationem, vel cognitionem, qua inclinatur affectus ad bonum quodcumque exequendum. Hoc ergo genus gratiæ expetebant Concilia, & Patres à Pelagianis, & Semipelagianis, vt ex illa, & non ex aliquo dono naturali, vel ex ipſa natura primum initium noſtræ deſumeretur ſalutis.

Nec eſt admittendum, cogitationem bonam, aut operationem moralem factam ſolis viribus naturæ ante omnem motionem, vel inſpirationem præuenientis gratiæ, quæ ſecundùm ſubſtantiam ſit ordinis ſupernaturalis, eſſe diſpoſitionem, vel conditionem ſine qua non, aut initium aliquod cuius intuitu ſpiritus compunctionis, aut gratia iuſtificationis, vel auxilia ſupernaturalia nobis dentur, vt *diſput.55.& 56.de Auxiliis*, oſtenſum eſt.

XIV. *Argum. ad hominem.* Tertiò probatur. Vt fatetur auctor oppoſitæ ſententiæ, bona cogitatio moralis, ſi non habeat coniunctam præſcientiam cooperationis arbitrij futuræ ex hypotheſi, quod tali cogitatione tangeretur, & moueretur, non pertinet ad gratiam Dei per Ieſum Chriſtum. Ergo etiamſi habeat coniunctam illam præſcientiam, vel futuram cooperationem eiuſdem arbitrij, non pertinebit ad gratiam Dei per Ieſum Chriſtum. Etenim præſcientia illa conditionalis, aut futura cooperatio

peratio

Digitized by Google

peratio arbitrij bona moraliter nihil ponit in ipſa cogitatione, vel excitatione præueniente, ratione cuius ſit gratia Chriſti illa, quæ aliter gratia Chriſti non eſſet; aliàs quòd aliqua gratia præueniens ſit gratia Chriſti, vel non ſit gratia Chriſti, penderet ex qualitate cooperationis noſtri arbitrij pro innata eius libertate, & ſimiliter efficacia eiuſdem gratiæ proueniret ex bono vſu, & cooperatione noſtræ voluntatis, quod tamen videtur repugnare Sacræ Scripturæ, Cõciliis & Patribus, vt in *lib. de Auxiliis* oſtendi.

Confirmatur. Vel illa præſcientia conditionata antecedit decretum abſolutum, & efficax, quo Deus ſtatuit, vt cum tali cogitatione, & excitatione operetur homo abſolutè, vel ex hypotheſi actum moraliter bonum ex obiecto, & circunſtantiis, ad quem mouetur: vel ſequitur idem decretum. Primum non poteſt dici; nam ſcientia futurorum contingentium conditionatorum à voluntate creata dependentium, quæ ante omne liberum decretum ſuæ voluntatis in Deo conſtituitur, fictitia videtur, & falſi nominis ſcientia, vt *diſput. 7. de Auxiliis* latiſſimè oſtenſum. Ergo non poteſt ex illa pendere gratia Chriſti. Si verò dicatur, ſicut reuera dicendum eſt, illam ſcientiam conditionatam eſſe in ſigno rationis poſt idem decretum, vt ex dictis *lib. 1. c. 1. 2. & 3.* conſtat, tunc vrgeo argumentum. Cùm Deus vtitur gratia præueniente tanquam inſtrumento ad efficiendum, vt homo rectè cooperetur cum illa, communicat motioni eiuſdem gratiæ aliquam virtutem intentionalem, qua efficit, vt voluntas rectè cooperetur, vt conſtat ex

ſtat ex

ſtat ex S. Thom. *qu.3.de potentia,art.* 7.*ad* 7. vbi conſimilem virtutem conſtituit in inſtrumentis, dum ad opus artis mouentur ab artifice. Et eandem virtutem ait eſſe conſtituendam in Sacramentis nouæ legis, dum mouentur, & applicantur ad cauſſandam gratiam in anima. Vel ergo illa virtus eſt naturalis ordinis; & tunc non poterit per illam homo, vel per cogitationem bonam moraliter efficere aliquod bonum opus, quod ſupergrediatur ordinem naturæ, vel pertineat ad ſupernaturalem ordinem gratiæ. Si verò dicatur illam virtutem intentionalem eſſe ordinis ſupernaturalis ſecundùm ſe, habemus intentum; quia hoc admiſſo fateri oportebit, quod ad piam cogitationem, quæ eſt primum noſtræ ſalutis initium, neceſſariò prærequiritur aliquod ſpeciale auxilium gratiæ ordinis ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam.

XV. *Gratia efficax & ſufficiēs debent eſſe eiuſdem ordinis.*

Quartò. Quotieſcumque gratia efficax eſt ordinis ſupernaturalis, etiam gratia ſufficiens debet eſſe eiuſdem ordinis; quia eiuſdem ordinis eſt potentia cuius eſt actus. Vnde è conuerſo, quando gratia ſufficiens, quæ tribuit poſſe, eſt naturalis ordinis, etiam gratia, ſeu motio efficax, quæ tribuit actualiter operari, eſſe debet eiuſdem ordinis naturalis. Sed quando cogitatio bona, & excitatio moralis non eſt congrua, & efficax, ſed ſolùm ſufficiens, cui tamen homo reſiſtit, tunc eſt purè ordinis naturalis, nec pertinet ad gratiam Dei per Ieſum Chriſtum, ſed ad gratiam creationis reuocatur, vt fatetur auctor oppoſitæ ſentētiæ. Ergo etiam non

non pertinet illa cogitatio ad gratiam Dei per Ieſum Chriſtum, licèt mediatè, vel immediatè perducat hominem efficaciter ad efficiendum opus moraliter bonum ex obiecto, & circumſtantiis.

Quintò id ipſum efficaciſſimè probatur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.6.de iuſtificatione cap.5.* vbi agens de neceſſitate præparationis ad iuſtificationem in adultis, *declarat ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe,hoc eſt,ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auerſi erant,per eius excitātem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationē eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur.* Et c.6. *Diſponuntur autē ad ipſam iuſtitiam; dum excitati diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum credentes vera eſſe, quæ diuinitùs reuelata, & promiſſa ſunt; atque illud in primis à Deo iuſtificari impium per gratiam eius,per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Et clarius *in cap.* 8. docet Sancta Synodus, quòd fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum; & radix totius iuſtificationis,quod etiam docet S. Auguſtinus *epiſt.* 105.*& lib.4.contra Iulianum cap.* 3. & aliis in locis, quamplurimis. Et Cœleſtinus *ep.1.ad Epiſcopos Galliæ cap.* 12. vbi definit: *Deum eſſe auctorem omnium bonorum affectuum, atque operum, & omnium ſtudiorum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur.* Sed ad fidem etiam inchoatam,requiritur auxilium gratiæ ſupernaturalis ordinis ſecundùm ſubſtantiam.Ergo nulla eſt admittenda

Concil.Trid.

Fides qualiter ſit noſtræ iuſtificationis initium.

Auguſt.

Cœleſtinus.

ante

Digitized by Google

ante fidem inchoatam, vel perfectam gratia ordinis naturalis ſecũdum ſubſtantiam, à qua primum exordium noſtræ iuſtificationis incipiat; aliàs enim fides non eſſet primum initium noſtræ ſalutis, ſiquidem ante omnem cognitionem, vel cogitationem piam de myſterio fidei daretur aliud initium, à quo primò inciperet noſtra. *S. Auguſtin.* ſalus, & conſequenter S. Auguſt. non reduxiſſet primum initium noſtræ ſalutis ad primam cogitationem, qua apprehenduntur res fidei, vt credantur.

XVI. *Vaſquez diſ. 189. c. 16. nu. 137. & diſp. 100. cap. 12.* Sed dicunt, ſacrum Concilium, & Auguſtinum loqui non de quocunque fundamento, & initio noſtræ iuſtificationis, ſed de fundamento, & initio omnino neceſſario. Quamuis enim alia cogitatio, & gratia per Chriſtum poſſit eſſe fundamentum iuſtificationis, tamen non eſt neceſſarium ſicut fides. Et eodem modo explicant locum ex Cœleſtino adductum, & verba illa 2. *2. Petri 1.* Petri 1. *Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam, & pietatem donata ſunt per cognitionem eius*, id eſt, Chriſti; ex quo teſtimonio graues Theologi colligunt, à cognitione Chriſti, quæ eſt per fidem, ſumendum eſſe initium ſalutis, & omnium donorum, quæ ad pietatem pertinent; loquitur enim Petrus (inquiunt) de initio neceſſario. Probant autem hanc explicationem: nam Auguſtinus in Cornelio ante fidem *Aug. epi. 57. quæſt. 2. poſt medium & li. 1. ad Simplic. qu. 2. in princ.* Chriſti multa bona opera ex gratia ipſius agnoſcit. Præterea; nam Petrus Apoſtolus antequam cognoſceret Chriſtum, habuit aliqua auxilia gratiæ. Non ergo denotat in illis verbis, vel Concilium Trident. omnia; & ſingula bona, quæ ſunt

Digitized by Google

ſunt ex gratia Chriſti fuiſſe nobis communicata per cognitionem eius, vt antequam illum cognoſceremus, nihil habuiſſemus per ipſum: ſed ſolùm ſignificare voluit, quòd nullum ſit genus boni operis pertinens ad vitam æternam & pietatem, quod per Chriſti fidem non communicetur nobis.

XVII. Hæc explicatio non videtur verbis Concilij, & Auguſtini ac Petri Apoſtoli ſatis congruere. Loquuntur enim de primo initio noſtræ ſalutis, ante quod nullum aliud exordium noſtræ iuſtificationis præceſſit, quòd videtur colligi ex illo ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quod eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator eſt.* (*Heb.* 11.) Cùm ergo per quodcumque initium ſalutis noſtræ aliquo modo accedamus ad Deũ auctorem gratiæ, & ad iuſtificationem diſponamur, relinquitur ad eiuſmodi initium, neceſſariam eſſe in omni ſtatu cognitionem, ſeu fidem ſaltem implicitam redéptoris noſtri Ieſu Chriſti, *in cuius nomine oportet nos ſaluos fieri*, vt dicitur *Actorum* 4. (*Actorum* 4.) Et ratio Theologica id ſuadet; quia nullus poteſt accedere ad Deum auctorem gratiæ, niſi aliquo modo illum cognoſcat; quia nihil eſt volitum, quin præcognitum: ſed cognitio Dei auctoris gratiæ haberi non poteſt à nobis niſi per fidem, & reuelationem diuinam: Ergo quodcumque initium noſtræ ſalutis, quo ad Deum accedimus, pendet neceſſariò ex cognitione fidei, ac per conſequens ante primam cogitationem, vel cognitionem fidei nullum poteſt eſſe in nobis æternæ ſalutis initium. Quod autem hæc fuerit mens Sancti Auguſti- (*Auguſt.*)

ni conſtat ex *lib.* 4. *contra Iulianum cap.*3. vbi inter alia inquit: *Ac per hoc Chriſtus gratis mortuus eſt ſi homines ſine fide Chriſti ad fidem veram, ad virtutem veram, ad iuſtitiam veram, ad ſapientiam veram quacumque re alia, quacumque ratione perueniant. Prorſus ſicut de lege veriſſimè ait Apoſtolus, ſi per legem iuſtitia; Ergo Chriſtus gratis mortuus eſt: Ita veriſſime dicitur, ſi per naturam voluntatemque iuſtitia; Ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Si per doctrinam hominum qualiſcumque iuſtitia: Ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* En S. Doctor apertè negat, poſſe quempiam peruenire ad Chriſtum ſine fide Chriſti, quacunque re alia, quacunque ratione peruenire dicatur. Sentit ergo, quòd per cogitationem moralem, quæ miniſterio hominum, vel per alias cauſſas ſecundas naturalis ordinis excitatur in nobis ante fidem Chriſti, nullus peruenit ad Chriſtum, neque incipit ad Chriſtum accedere: ac per conſequens primum initium noſtræ ſalutis nunquam incipere in prima illa cogitatione morali, qua ante omne auxilium ſupernaturalis ordinis ſecundùm ſubſtantiam præuenimus à Deo. Nec obſtat id quod arguens obiicit de Cornelio. Nam vt 2. 2.*q.*10.*art.*4.*ad* 3. docet S. Thom. *Ille infidelis non erat, alioquin eius operatio accepta non fuiſſet Deo, cui ſine fide nullus placere poteſt. habebat autem fidem implicitam nondum manifeſtata Euangelij veritate. Vnde, vt eum in fide plenius inſtrueret, miſſus eſt ad eum Petrus.* Habebat ergo antequam à Sancto Petro edoceretur, fidem Chriſti implicitam, ſine qua in nullo ſtatu potuit homo iuſtificari. Vnde eius orationes, & eleemoſynæ, quibus

Ad Gal. 1.

S. Thom. Cornelius antequã doceretur à Petro fidem habebat implicitam Chriſti.

quibus Deo placuit, & Chriſti fidem explicitam obtinuit, procedebant ex auxilio præuenientis gratiæ ſupernaturalis ordinis ſecundùm ſubſtantiam: & idem ſentiendum de Beato Petro Apoſtolo. Nam cùm fuerit profeſſione Iudæus, antequam vocaretur à Chriſto, habuit reuera fidem implicitam Saluatoris noſtri in lege, & Prophetis præſignati, & Iudæis promiſſi. Hæc autem omnia patebunt amplius ex ſolutionibus argumentorum.

Cœleſtinus Papa.

Ad Primum ex factis à principio reſpondetur primò, quòd Cœleſtinus in illa epiſt. decretali loquitur de bono vſu liberi arbitrij, bonis cogitationibus, & affectibus noſtræ voluntatis, ex quibus aliquod initium noſtræ ſalutis deſumitur. De his enim erat controuerſia contra Pelagianos, quos in illa epiſtola damnare intendit: id quod indicant illa eius verba: *Sancta cogitatio, pium conſilium.* Etenim cogitatio boni moralis, quam intra limites naturæ habet infidelis, aut etiam peccator fidelis abſque ſpeciali auxilio gratiæ ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam, non eſt cogitatio ſancta vel pia, nec per illam incipit auerti ab impietate, & ad pietatem, ſeu cultum auctoris gratiæ conuerti, vt ex præmiſſis conſtat.

In Deũ referenda ſunt omnia bona opera noſtra, etiã naturalia, tanquam in primum motorem.

Secundò reſpondetur, quòd omnis cogitatio, pium conſilium & quilibet motus noſtræ voluntatis bonus referendus eſt in Deum, tanquam in primum auctorem, & cauſſam efficientem; aliter tamen, & aliter. Etenim ſi ex eiuſmodi bonis actibus aliquod initium noſtræ deſumatur ſalutis, referendi ſunt in Deum, in

quantum eſt auctor gratiæ, ac per conſequens tales actus procedunt à noſtris potentiis eleuatis, & motis à Deo per auxilium ſpeciale ſupernaturalis ordinis ſecundùm ſubſtantiam. Si autem illi actus boni moraliter intra limites naturæ contineantur, neque dicant aliquem ordinem ad gratiam tanquam initium illius, vel diſpoſitio, aut aliquid aliud, cuius intuitu auxilia ſupernaturalia præuenientis gratiæ nobis conferantur, tunc reuocari debent ad ipſum Deum, vt eſt auctor naturæ, & prima cauſſa mouens per concurſum generalem, & adiuuans potentias rationalis creaturæ ad eiuſmodi actus eliciendos, vt *diſp.* 18. *&* 23. *de Auxiliis* oſtendi, & per hæc patet ſolutio ad ſecundum locum ex *can.* 9. eiuſdem Concilij Arauſicani adductum.

XIX. *Mag. Alorca diſp. 3. de gratia mēb. to. 5. Homo qualiter nihil habeat de ſuo, niſi mendacium.*

Ad tertium locum ex *can.* 22. reſpondetur, quòd illa propoſitio: *nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum*, in multiplici ſenſu explicatur à Theologis. Prima explicatio eſt, quòd in illis verbis eſt ſermo de peccatis, quæ opponuntur actibus ſupernaturalis ordinis, de quibus loquebatur Concilium: & de his veriſſimum eſt, voluntatem ex ſe non valere, niſi ad peccandum. Nam circa ſupernaturalia nihil poteſt ex ſe abſque gratia, niſi deficere, & declinare in oppoſitum. Placet hæc explicatio aliquibus Theologis, & videtur habere fundamentum in S. Auguſt. *epiſt.* 107. *ad Vitalem,* vbi ait: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*, id eſt, amiſimus virtutem, & facultatem ad diligendum Deum ſuper omnia ſolis viribus naturæ, quam tamen virtu-

Auguſtin.

tem

tem habeat primus parens in natura integra. Hæc tamen explicatio, quamuis congruat aliquibus locis Scripturæ; Conciliorum, & ſanctorum Patrum, non tamen poteſt omnibus adaptari. Videtur enim diminuta, quoniam aliquid amplius ſignificare volunt loca inducta. Secunda explicatio eſt, quòd in illis locis accipitur impropriè peccatum pro actu defectuoſo, & inſufficienti ad vitam æternam, quæ explicatio colligitur ex Auguſt. *lib. 4. contra Iulianum cap. 3.* vbi opera infidelium appellat peccata, ſi abſque gratia fiant; quia nihil conducunt ad ſalutem. In quo ſenſu Ezech. 20. præcepta veteris legis dicuntur non bona; quia erant inſufficientia ad iuſtificationem. Et S. Paulus eadem legis præcepta, & ceremonias appellat infirma, & egena elementa, quia gratiam non continebant, nec eam ad ſeruandam legem conferebant, propter quod S. Aug. *de gratia Chriſti contra Pel. & Cœl. c. 8. to. 7. Lex* (inquit) *Vetus magis iubet, quàm iuuat: docet morbum, ſed non ſanat.* *Secunda explicatio.* *Auguſt.* *Ezech. 20.*

Hæc etiam explicatio, quamuis aliquibus multum placeat, patitur eandem prorſus difficultatem, quàm præcedens; nam Scriptura Sacra abſolutè, & vniuerſaliter ait: *Sine me nihil poteſtatis facere.* Et iterum: *Quid habes, quod non accepiſti; ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Tertia explicatio eſt, vt dicatur homo non habere niſi peccatum regulariter loquendo & pro maiori parte. Nam quod, præter peccatum, habet parum eſt, & pro nihilo reputatur; qua phraſi dicitur Geneſ. 6. *Omnis caro corruperat viam ſuam.* Et Pſal. 13. *Non eſt qui faciat bo-* *Ioan. 15.* *1. Cor. 4.* *Tertia explicatio.* *Gen. 6.*

cum, non eſt vſque ad vnum; quia nimirum regulariter, & pro maiori parte ita contingit. Hæc etiam explicatio eaſdem prorſus patitur difficultates, quas præcedentes.

XX. *Quarta explicatio.* Vnde ſit quarta explicatio, & legitima, quæ omnibus præallegatis locis valde congruit, quòd nimirum homo non habet à ſeipſo aliquod prorſus bonum, ſiue ſit ſupernaturale, ſiue morale, ſiue naturale; omnia enim hæc accepit à Deo, in quantum eſt auctor gratiæ ſi bonum illud fuerit ſupernaturale, vel in quantum eſt auctor naturæ, ſi tale bonum fuerit naturalis ordinis, vel morale, vt in ſolutione ad primum explicauimus. Et ratio huius eſt; nam, vt ait S.Thom. *in 2.ſentent. diſtinction.37. q.2.art.2.c.* & nos in *lib.de Auxil.diſp.*15.*n.*18. & *diſp.*96.*num.*3. oſtendimus, quod non habet à ſe ipſo eſſe, non habet à ſe operari, ſed ab alio à quo accepit eſſe. Cùm ergo nulla creatura habeat à ſe ipſa eſſe proprium, ſed illud acceperit à Deo per liberalem communicationem, relinquitur: quòd non habet à ſe operari aliquod bonum. Solum autem mendacium, & peccatum habet homo à ſe ipſo; nam Deus non eſt auctor peccati, vel cauſſa illius, ſed ſolum liberum arbitrium creatum, quod niſi per gratiam firmetur in bono, ex ſe ipſo defectibile eſt, vt cũ aliis Patribus docet S. Thomas; quia ex nihilo factum eſt. *S.Thom.* Vnde Oſeæ 13. dicitur: *Perditio tua Iſraël: tantummodo in me auxilium tuum.*

XXI. *Auguſtin.* Ad ſecundum arg. reſpondetur, quòd in *c. illo 2. de præd.Sanct.* loquitur S.Auguſt. de prima cogitatione, ex qua primum initium ſalutis noſtræ

ſtræ deſumitur. Contendebat enim contra Pelagium non ex natura, nec ex aliquo dono naturali, ſed ex ſpeciali auxilio gratiæ deſumendum eſſe. Auxilium autem, quo Deus mouet ad fidem eſt ſupernaturalis ordinis ſecundùm ſubſtantiam. Vnde ille locus Auguſtini potius confirmat noſtram ſententiam, quàm eam impugnet: & idem dicendum ad *cap. 8. lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum*. Ad alia loca eiuſdem Auguſtini dicitur, ſolùm concludere, delectationem illam, & cognitionem qua id, quod latebat, apparet, referendam eſſe in Deum, tanquam in primum auctorem, aliter tamen, & aliter, vt in ſolutione ad primum dictum eſt.

Ad loca S. Thomæ dicendum, motionem, & excitationem, qua ad opus bonum morale noſtrum liberum arbitrium intra limites naturæ excitatur, eſſe quidem gratiam Dei, ſed tamen procedit ab eo, vt eſt auctor naturæ, & conſequenter eſt ad gratiam creationis reuocanda, vt dictum eſt. Vnde non eſt hæc illa gratia, quæ per Chriſtum nobis datur. Gratia autem actualis, qua Deus mouet nos ad ſalutem, & iuſtificationem, eſt quidem gratia Chriſti, de qua loquuntur Concilia, & Patres, dum errorem Pelagianorum impugnant; ſed hæc gratia eſt ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam; licet à gratia habituali iuſtificante diſtinguatur, & iuxta hanc doctrinam intelligitur S. Thomas locis inductis, quod ex ipſo contextu colligitur. Non enim ait, quòd voluntas non poſſit operari aliquod bonum commenſuratum naturæ humanæ abſque auxilio gratiæ Chriſti, ſed, inquit, abſque

Gratia **Dei** *per Ieſum Chriſtum quale eſſe debeat.*

Digitized by Google

auxilio gratiæ Dei, vt vtrumque auxilium gratiæ comprehenderet, illud nimirum, quod Deus nobis confert, in quantum eſt auctor naturæ, & illud quo nos mouet, in quantum eſt auctor gratiæ. Et hoc auxilium eſt illud, quod ex meritis Chriſti nobis datur.

XXII. Ad tertium argumentum conceſſa maiori, dicitur ad minorem, quòd Chriſtus non eſt mortuus, vt vnum, aut alterum actum moralem bonum ex obiecto, & circunſtantiis intra limites naturæ efficeremus, nam ad illum ſunt vires ſufficientes in natura infirma, ſed mortuus eſt, vt rectè in materia cuiuſlibet virtutis operemur; & per bona opera vitam æternam conſequamur. Vnde ad cogitandum; vel efficiendum vnum, aut alterum facile opus bonum morale nulla eſt neceſſaria gratia Dei per Ieſum Chriſtum, ſed ſufficit motio Dei in quantum eſt auctor naturæ, vt dictum eſt.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd illa gratia eſt quidem ſpecialis, vt diſtinguitur contra communem ordinis naturalis; nam quibuſdam ſpecialiter confertur, ad hoc, vel illud opus bonum morale faciendum. Sed tamen etiam hæc gratia ſpecialis eſt merè naturalis, & procedit à Deo, vt eſt auctor naturæ, & conſequenter ad gratiam creationis reuocatur; non autem eſt gratia illa ſpecialis, quæ confertur nobis per Chriſtum. Sicut enim in ordine ſupernaturali datur gratia communis omnibus iuſtis, qui merentur vitam æternam: & gratia ſpecialis, vel ſpecialiſſima, quæ donatur aliquibus, qualis fuit gratia Apoſtolis collata, & ſingulariſſimum donum

num

Digitized by Google

num Beatiſſimæ Virgini conceſſum, vt nullum committeret peccatum etiam veniale: ita intra ordinem naturæ datur motio, ſeu excitatio communis omnibus, qui liberè operantur; & motio, ſeu excitatio ſpecialis, quæ ſolùm præparata eſt iis, qui vnum, aut alterum opus morale bonum ex obiecto, & circunſtantiis viribus naturæ operantur.

Ad quartum dicitur, cogitationes morales, & opera illa bona, quæ in natura lapſa poſſunt fieri ab homine ſolis viribus ſuis abſque auxilio gratiæ ſupernaturalis ordinis, nullo modo eſſe initium gratiæ, qua iuſtificamur, & ſaluamur. Nec admittenda eſt ſententia illa Theologorum, qui oppoſitum aſſerunt, vt latius oſtendimus *diſput.* 55. 58. *&* 68. *de Auxiliis.*

Ad quintum negamus, ita eſſe liberum hominis arbitrium in natura lapſa infirmatum, & læſum, vt non poſſit ſolis viribus naturæ abſque auxilio gratiæ per Ieſum Chriſtum efficere aliquod opus morale bonum ex obiecto, & omnibus circumſtantiis, vt *diſp.* 50. *de Auxil.* oſtenſum eſt. XXIII.

* * *

RESPONSIONVM AD OBIECTIONES ADVERSVS CONCORdiam liberi arbitrij cum diuina præſcientia, prouidentia, & prædeſtinatione:

Atque cum efficacia præuenientis gratiæ, prout à S. THOMA, *& Thomiſtis defenditur, & explicatur,*

Liber Quartus.

In quo agitur de natura liberi arbitrij & explicatur qualiter cum infallibilitate præſcientiæ, prouidentiæ, & prædeſtinationis diuinæ cohæreat: nec non cum efficacia auxiliorum præuenientis gratiæ.

QVONIAM duorum extremorũ concordia cognoſci non poteſt, niſi eorum natura dignoſcatur, ideo poſtquam in præcedentibus libris egimus de ſcientia Dei, de prædefinitionibus, & cauſſalitate diuinæ gratiæ, atque de cauſſalitate, qua liberum arbitrium cum gratia præueniente actus ſupernaturales pro

producit : reliquum eſt, vt in hoc vltimo libro de naturā liberi arbitrij, & concordia illius cum infallibilitate diuinæ præſcientiæ, prouidentiæ, & prædeſtinationis : necnon cum efficacia præuenientis gratiæ pertractemus, circa quod ſeptem ſunt diſcutienda.

Primò. Qualiter intelligenda ſit illa definitio, ſeu deſcriptio liberi arbitrij, videlicet *liberum arbitrium eſt, quod poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum poteſt agere, & non agere.*

Secundò. Vtrum neceſſitas actus conſentiendi ex ſuppoſitione abſoluti decreti voluntatis diuinæ, & auxilij efficacis præuenientis gratiæ, quæ aliàs dicitur neceſſitas in ſenſu compoſito, ſeu conditionata ſtet ſimul cum libertate eiuſdem actus.

Tertiò. Vtrum de potentia Dei abſoluta fieri poſſit, vt voluntas ſe determinet, vel determinetur à Deo per iudicium rationis indifferens ad volendum aliquod bonum particulare, & nihilominus ex neceſſitate abſoluta, velit illud abſque vſu libertatis.

Quartò. Quid intelligat Sanctus Anſelmus per neceſſitatem præcedentem, ſeu antecedentem, quæ libertati repugnat, & per neceſſitatem conſequentem; quæ libertatem non lædit.

Quintò. Qualiter, & in quo ſenſu Sanctus Auguſtinus, & Thomas vtantur illa diſtinctione neceſſitatis antecedentis, & conſequentis, ſiue in ſenſu compoſito, & diuiſo ad concordandam libertatem arbitrij cum neceſſitate præcedente, ſiue ex ſuppoſitione.

Sextò. Vtrum determinatio, ſeu influxus, & coope

cooperatio liberi arbitrij cum auxiliis præuenientis gratiæ, vt emanat à libero arbitrio ſit effectus Dei, ſiue operationis diuinæ in genere cauſſæ verè efficientis, ſeu phyſicè; An ſolùm in genere cauſſæ moralis.

Septimò. Proponitur, & explicatur diſcurſus vtriuſque concordiæ, oſtenditúrque differentiam inter earum defenſores totam conſentire circa vnicam propoſitionem capite præcedenti ſtabilitam, cum qua aliæ ferè omnes, in quibus diſſentiunt antecedenter ſunt, vel conſequenter connexæ.

Qualiter intelligenda ſit illa definitio, ſeu deſcriptio liberi arbitrij, videlicet liberum arbitrium eſt, quod poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, poteſt agere, & non agere.

CAPVT I.

I. PRIMA ſententia eſt, definitionem illam eſſe intelligendam in ſenſu cõpoſito, ita nimirum, quod ſtantibus omnibus prærequiſitis ad agendum, tam ex parte intellectus, & voluntatis creatæ, quàm ex parte Dei poſſit liberum arbitrium, etiam in ſenſu compoſito, non agere, id eſt, coniungere, ſeu componere, tam ipſum agere, quàm ipſum non agere cum omnibus illis prærequiſitis ad agendum. Et aliàs exiſtimant ſaluari non poſſe

poſſe libertatem arbitrij, & eius vſum. Ita ſentit Pater Suarez *tom. 1. de diuina gratia Prologom. 1. de libertate arbitrij cap. 3. num.* 8. & alij. Probat ſuam ſententiam ſequentibus argumentis. *P. Suarez.*

Primò. *Quia poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, poſſe non agere in ſenſu diuiſo; id eſt, retinere poteſtatem ad non agendum ablata aliqua conditione ex prærequiſitis, non eſt proprium potentiæ liberæ, ſed cuilibet naturaliter agenti conuenit. Nam Sol etiam ita illuminat, cùm omnia requiſita concurrunt, vt poſſit non illuminare, ſi feneſtræ claudantur: & oculus videt obiectum imprimens ſpeciem, & aptus eſt ad carendum viſione, ſi auferatur ſpecies; & intellectus ipſe, dum credit à voluntate motus; potens eſt ad non credendum, ſi voluntas, aut non moueat, aut in contrarium actum inclinet: non enim ſuam potentiam in actu primo, quam innatam habet ad vtrumque actum, amittit, quando ad credendum per voluntatem applicatur. Ergo poſitis omnibus requiſitis eſt potentia non credendi, vel diſſentiendi in ſenſu diuiſo. Ergo id non eſt ſatis ad potentiam formaliter liberam, vel dicendum eſt, intellectum eſſe potentiam formaliter liberam, quod nec verum eſt, neque à dictis auctoribus admittitur. Ergo, vt illis verbis formalis libertas voluntatis explicetur, neceſſe eſt, vt in ſenſu compoſito accipiantur.*

Secundò idem probat ſumendo argumentum ſatis tritum, *ex ipſamet volũtate: Nam in beatitudine nõ liberè, ſed neceſſariò beatus amat Deũ, quia poſitis prærequiſitis ad illum amorem, non poteſt non amare in ſenſu compoſito: & nihilominus ibi etiam retinet poteſtatem non amandi in ſenſu diuiſo: nam ſi* *Idem eodem c. 3. nu. 9.*

viſio

Digitized by Google

viſio ad illum amorem requiſita auferatur, poterit voluntas ab illo amore ceſſare: ſicut in Paulo contigit, ſi in raptu Deum vidit. Neque refert, quòd illa neceſſitas aliunde proueniat, nimirum ex vi obiecti, & viſionis, quia nihilominus ſub illa manet poteſtas ad non amandum in ſenſu diuiſo, & in hoc tantùm ſit æquiparatio. Deinde voluntas in actibus indeliberatis quales ſunt etiam motus gratiæ excitantis, ex neceſſitate, & ſine libertate operatur: quia poſitis præuiis requiſitis ad illum actum, non poteſt actum continere: cùm tamen in ſenſu diuiſo poſſit ab illo ceſſare, vt conſtat. Ergo.

Ariſtot. Confirmat hoc primò. *Nam in brutis idem genus indifferentiæ inuenitur: poſſunt enim ſponte ſua, & moueri, & quieſcere, & ad vnam partem, & ad oppoſitam moueri. Propter quod dixit Ariſt. 8. Phyſic. text. 40. habere in ſe ipſis moueri, & non moueri: & ideo quando poſitis omnibus requiſitis aliquid appetunt, poteſtatem retinent ad ceſſandum ab illo appetitu, & ad cõtrarium appetendum in ſenſu diuiſo, id eſt, ſi aliquod ex illis prærequiſitis auferatur, vel aliud diuerſum adhibeatur. Et nihilominùs, quia poſitis prærequiſitis, ita ad vnum determinantur, vt in ſenſu compoſito, id eſt, illis ſtantibus, nec aliud appetere, nec ab illo appetitu ceſſare valeant, ideo ſine libertate operantur.* Ergo, &c.

S. Thom. Confirmat id ipſum ſecundò auctoritate S. Thomæ *quæſt. 24. de veritate art. 2.* vbi ſic ait: *In brutis eſt quædam ſimilitudo liberi arbitrij, in quantum poſſunt agere, vel non agere vnum, & idem; ſecundùm ſuum iudicium. Sed quia eorum iudicium eſt determinatum ad vnum, per conſequens eorum appetitus, & actio ad vnum determinatur.* Et in ſolutione ad ſecundum, & tertium dicit eſſe in brutis

Digitized by Google

tis quandam indifferentiam actionum,quia eorum potentia motiua non magis inclinatur ex ſe ad vnum motum, quàm ad alium, & idem ſuo modo eſſe in appetitu eorum,& tamen non eſſe libertatem,quia poſita apprehenſione,& iudicio phantaſiæ, ad vnum determinantur. Ex quibus verbis colligitur, neceſſarium eſſe ad libertatem, vt ſtante eodem iudicio cum talibus prærequiſitis, tam actio, quàm non actio ſit in poteſtate agentis: nec ſatis eſſe, quòd in eò ſit poteſtas ad agendum, & non agendum, variato iudicio: nam hanc etiam poteſtatem habent bruta: eadem autem ratio eſt de cæteris prærequiſitis.Ergo.

Tertiò argumentatur ſic: *quia non qualibet poteſtas agendi, & non agendi ad libertatem ſufficit,ſed illa, quæ eſt ex interna poteſtate, & eminenti virtute, ac dominio: At verò ita operari poſitis omnibus requiſitis ad agendum, vt ſolum poſſit facultas ab operatione ceſſare in ſenſu diuiſo, id eſt, ſublato aliquo ex requiſitis, non eſt poſſe ceſſare ex interna poteſtate, & dominio actionis: ergo non ſatis eſt ad libertatem. Minor probatur, quia tunc non ceſſatur ex poteſtate non agendi, ſed potiùs ex impotentia agendi, quia nimirum nulla cauſſa agere valet, niſi poſitis omnibus requiſitis ad agendum.* II. *Idem eodem c.5.nu.10.*

Confirmatur primò: [quia aliàs poſtquam voluntas poſitis omnibus prærequiſitis velle incepit, non poterit ſua ſponte ab actuali voluntate ceſſare, ſtantibus iiſdem prærequiſitis, ſed oportebit aliquod illorum auferri,vt ipſa ceſſet: hoc autem eſt & contra experientiam,& contra vſum libertatis. Ergo. Sequela probatur: nam eadem

eadem eſt ratio de inceptione actus,& de perſeuerantia in illo:imo aliqui exiſtimant magis neceſſariam eſſe continuationem, quàm inceptionem,ſaltem pro breui morula,quod nec verum eſt,nec noſtra nunc refert: ſatis enim eſt, quòd æqualis ratio intercedat.Si ergo voluntas ſtantibus omnibus prærequiſitis ad perſeuerandũ,poteſt ſua ſponte,& interna vi ab amando ceſſare, componendo ſimul illam ceſſationem cum illis prærequiſitis,eadẽ profecto, vel maiori ratione poterit non inchoare amorẽ,ſtantibus omnibus prærequiſitis, negationem agendi cum eiſdem prærequiſitis ſimul componendo: vel ſi hoc poſterius non poteſt, profecto nec illud prius poteſt.]

Confirmatur ſecundò à contrario:*Quia ſi poſitis illis prærequiſitis nõ relinquitur poteſtas non agendi in ſenſu compoſito.Ergo ex potẽtia ſic conſtituta cum omnibus prærequiſitis neceſſariò ſequitur actio. Ergo talis actio non eſt libera,cùm ex neceſſitate ſequatur ad potentiam antecedenter ad omnem vſum libertatis ita diſpoſitam, vt cum tali diſpoſitione non poſſit actionem continere, & ſine illa præparatione non poſſit illam elicere.*

III. *Idem eodem c.3.num. II.* *Capreolus.*

Quartò ſic arguit. Sequeretur ex contraria ſententia, voluntatem nunquam habere potentiam proximam agendi, & non agendi: conſequens eſt contra libertatis vſum. Ergo. Sequela probatur,quia,vt rectè dixit Capreol. *in 2.d.18. quæſt.1.ar.3.ad ſecundum,& tertium contra quartam concluſionem*,potentia in ſolo ſenſu diuiſo ſolùm eſt potentia remota,nã potentia proxima includit omnia requiſita ad actum. Et probatur clarè, quia

quia illa,quæ dicitur poteſtas,ſolùm in ſenſu diuiſo ,non poteſt immediatè reduci ad actum,ſed oportet,vt præcedat aliqua diſpoſitio,aut mutatio, qua potentia reddatur proxima acquirendo aliquid neceſſarium ad actum,vel tollendo impedimentum actus,vt homo carens lumine gloriæ dicitur potens ad videndum Deum , non in ſenſu compoſito, ſed diuiſo, id eſt,ablata illa carentia. Et ideo illa potentia eſt remota:idemque in vniuerſum inuenietur in omni actu poſſibili in ſenſu tantùm diuiſo. Si ergo voluntas poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, poteſt non agere tantùm in ſenſu diuiſo , non eſt tunc potentia proxima ad non agendum , ſed tantùm potentia remota.Et è contrario quando non habet omnia prærequiſita ad agendum, non eſt potentia proxima ad agendum ſed tantùm remota : nunquam ergo eſt potentia proxima ad agendum, & non agendum,ſed ad alterum tantùm. Minor autem,ſeu falſitas conſequentis probatur ; quia hoc modo tollitur in effectu verus vſus libertatis;quia poteſtas remota reuera non exercetur, nec reducitur in actum niſi in ſtatu proximo conſtituta , vt poteſtas quam habet album , vt ſit nigrum ; non reducitur in actum , niſi ablata albedine , & quandiu illa potentia eſt ſub albedine non exercet actum alterius poteſtatis , & ſic de aliis; ergo ſi voluntas nunquam eſt in potentia proxima ad vtrumque actum agendi,& non agendi,vel agendi hoc , aut illud, nunquam exercet poteſtatem liberam , quia ſolum eam partem exercet , ad quam proximè eſt præparata.

IV. *Idem eodem c.3.n.12.*

Quintò vrget rem moraliter conſiderando, quia non datur vſus libertatis, niſi quando operanti imputari poteſt carentia actionis, & conuerſionis: at verò ad hoc non ſatis eſt potentia remota, quæ non poteſt ad proximam reduci per ipſam voluntatem, qualis eſt illa poteſtas in ſenſu diuiſo, quia poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, quæ antecedunt libertatem, non eſt in poteſtate hominis cum illis componere carentiam actionis. Ergo non poteſt illi imputari, quòd tunc non abſtineat à tali actione. Ergo nec actio ipſa illi poteſt tribui, tanquam libera, id eſt, tanquam procedens ex dominio agendi, & non agendi. Vt ergo per illam deſcriptionem vera libertas explicetur, oportet, vt in ſenſu compoſito intelligatur.

Sextò probat deſcriptionem prædictam intelligendam eſſe de omnibus prerequiſitis, etiam ex parte Dei: Nam iuxta mentem antiquorum Doctorum, qui deſcriptionem illam tradiderũt, vel vt certam ſuppoſuerunt, nec Dei concurſum aut voluntatem ab illa excipiunt, ſed putant, vel non pertinere ad illa prærequiſita, vel ſi aliquo modo pertinet, cum illa & aliis, vt antecedunt, poſſe componi tam agere, quàm non agere diuiſim ſumpta. Et propterea dici etiam ſolet, non poſſe eundem effectum eſſe ſimul euitabilem in ordine ad cauſſam ſecundam, & ineuitabilem in ordine ad primam, [illegible] vt ſentit Caietanus 1. *parte, quæſt.* 21. *art* 4. & [illegible] enſis *lib.* 1. *Doctrinal. fidei c.* 28. Occam in [illegible] *diſtinctione* 38. *quæſt.* 1. Gregorius *quæſtione* 22. *ar.* 3. Gab. *articulo.* 2. Cùm ergo tota controuerſia verſetur

ſetur circa concurſum, vel motionem diuinam, in illla ſola limitare generalem aſſertionem, videtur eſſe quædam petitio principij, vel aperta deſtructio, ac negatio illius axiomatis.

Septimò id ipſum probat: nam omnia, quæ generaliter dicuntur de prærequiſitis ad agendum, æquè procedunt de omnibus, & ſingulis prærequiſitis, ſiue ex parte Dei, ſiue ex parte aliarum rerum, vel cauſſarum neceſſaria ſint: & ſiue dicantur eſſe aliquid requiſitum in ipſa voluntate, ſiue in intellectu, ſiue in alia quacumque re, quæ ipſam voluntatem moueat ad agendum: & ſiue talis motio dicatur eſſe propria cauſſa efficiens volitionem, ſiue ſit neceſſaria conditio, ſine qua non ſtet fieri talem actum, & illa poſita, non ſtet non fieri, dummodò ſermo ſemper ſit de ſolis, & propriis prærequiſitis, id eſt, ita requiſitis, vt *omnino* præcedant aliquo modo cauſſalitate, & ordine naturæ cauſſalitate fundato, vſum liberum voluntatis: Nam de concomitantibus, quæ inuoluunt liberum vſum non loquimur. Aſſumptum ergo ſic declaratum probatur, ſpecialiter de illo requiſito ex parte Dei, quod à generali deſcriptione excipitur, & vocatur motio Dei. Nam ſi illa motio eſt vnum ex prærequiſitis, & ſimpliciter neceſſaria, vt voluntas operetur, *& illa poſita non manet in voluntate poteſtas ad non operandũ, niſi in ſenſu diuiſo*: Ergo, illo prærequiſito poſito, non eſt voluntas in potẽtia proxima ad non operandũ: ſed tãtũ in remota, quia oportet prius illam motionẽ auferri ab illo, qui illam poſuit: nã ipſa voluntas nõ poteſt illam auferre, quia ſicut non fuit facta

auxilio gratiæ Dei, vt vtrumque auxilium gratiæ comprehenderet, illud nimirum, quod Deus nobis confert, in quantum eſt auctor naturæ, & illud quo nos mouet, in quantum eſt auctor gratiæ. Et hoc auxilium eſt illud, quod ex meritis Chriſti nobis datur.

XXII. Ad tertium argumentum conceſſa maiori, dicitur ad minorem, quòd Chriſtus non eſt mortuus, vt vnum, aut alterum actum moralem bonum ex obiecto, & circunſtantiis intra limites naturæ efficeremus, nam ad illum ſunt vires ſufficientes in natura infirma, ſed mortuus eſt, vt rectè in materia cuiuſlibet virtutis operemur; & per bona opera vitam æternam conſequamur. Vnde ad cogitandum; vel efficiendum vnum, aut alterum facile opus bonum morale nulla eſt neceſſaria gratia Dei per Ieſum Chriſtum, ſed ſufficit motio Dei in quantum eſt auctor naturæ, vt dictum eſt.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd illa gratia eſt quidem ſpecialis, vt diſtinguitur contra communem ordinis naturalis; nam quibuſdam ſpecialiter confertur, ad hoc, vel illud opus bonum morale faciendum. Sed tamen etiam hæc gratia ſpecialis eſt merè naturalis, & procedit à Deo, vt eſt auctor naturæ, & conſequenter ad gratiam creationis reuocatur; non autem eſt gratia illa ſpecialis, quæ confertur nobis per Chriſtum. Sicut enim in ordine ſupernaturali datur gratia communis omnibus iuſtis, qui merentur vitam æternam: & gratia ſpecialis, vel ſpecialiſſima, quæ donatur aliquibus, qualis fuit gratia Apoſtolis collata, & ſingulariſſimum do-

num

Digitized by Google

num Beatiſſimæ Virgini conceſſum, vt nullum committeret peccatum etiam veniale: ita intra ordinem naturæ datur motio, ſeu excitatio communis omnibus, qui liberè operantur; & motio, ſeu excitatio ſpecialis, quæ ſolùm præparata eſt iis, qui vnum, aut alterum opus morale bonum ex obiecto, & circunſtantiis viribus naturæ operantur.

Ad quartum dicitur, cogitationes morales, & opera illa bona, quæ in natura lapſa poſſunt fieri ab homine ſolis viribus ſuis abſque auxilio gratiæ ſupernaturalis ordinis, nullo modo eſſe initium gratiæ, qua iuſtificamur, & ſaluamur. Nec admittenda eſt ſententia illa Theologorum, qui oppoſitum aſſerunt, vt latius oſtendimus *diſput.* 55.58.*&* 68.*de Auxiliis.*

Ad quintum negamus, ita eſſe liberum hominis arbitrium in natura lapſa infirmatum, & læſum, vt non poſſit ſolis viribus naturæ abſque auxilio gratiæ per Ieſum Chriſtum efficere aliquod opus morale bonum ex obiecto, & omnibus circumſtantiis, vt *diſp.* 50.*de Auxil.* oſtenſum eſt. **XXIII.**

* * *

Digitized by Google

RESPONSIONVM AD OBIECTIONES ADVERSVS CONCORdiam liberi arbitrij cum diuina præſcientia, prouidentia, & prædeſtinatione:

Atque cum efficacia præuenientis gratiæ, prout à S. Thoma, & Thomiſtis defenditur, & explicatur,

Liber Quartus.

In quo agitur de natura liberi arbitrij & explicatur qualiter cum infallibilitate præſcientiæ, prouidentiæ, & prædeſtinationis diuinæ cohæreat: nec non cum efficacia auxiliorum præuenientis gratiæ.

QVONIAM duorum extremorũ concordia cognoſci non poteſt, niſi eorum natura dignoſcatur, ideo poſtquam in præcedentibus libris egimus de ſcientia Dei, de prædefinitionibus, & cauſſalitate diuinæ gratiæ, atque de cauſſalitate, qua liberum arbitrium cum gratia præueniente actus ſupernaturales pro

Digitized by Google

producit: reliquum eſt, vt in hoc vltimo libro de natura liberi arbitrij,& concordia illius cum infallibilitate diuinæ præſcientiæ, prouidentiæ, & prædeſtinationis: necnon cum efficacia præuenientis gratiæ pertractemus, circa quod ſeptem ſunt diſcutienda.

Primò. Qualiter intelligenda ſit illa definitio, ſeu deſcriptio liberi arbitrij, videlicet *liberum arbitrium eſt, quod poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum poteſt agere, & non agere.*

Secundò. Vtrum neceſſitas actus conſentiendi ex ſuppoſitione abſoluti decreti voluntatis diuinæ, & auxilij efficacis præuenientis gratiæ, quæ aliàs dicitur neceſſitas in ſenſu compoſito, ſeu conditionata ſtet ſimul cum libertate eiuſdem actus.

Tertiò. Vtrum de potentia Dei abſoluta fieri poſſit, vt voluntas ſe determinet, vel determinetur à Deo per iudicium rationis indifferens ad volendum aliquod bonum particulare, & nihilominus ex neceſſitate abſoluta, velit illud abſque vſu libertatis.

Quartò. Quid intelligat Sanctus Anſelmus per neceſſitatem præcedentem, ſeu antecedentem, quæ libertati repugnat, & per neceſſitatem conſequentem; quæ libertatem non lædit.

Quintò. Qualiter, & in quo ſenſu Sanctus Auguſtinus, & Thomas vtantur illa diſtinctione neceſſitatis antecedentis, & conſequentis, ſiue in ſenſu compoſito, & diuiſo ad concordandam libertatem arbitrij cum neceſſitate præcedente, ſiue ex ſuppoſitione.

Sextò. Vtrum determinatio, ſeu influxus, &

coope

cooperatio liberi arbitrij cum auxiliis præuenientis gratiæ, vt emanat à libero arbitrio ſit effectus Dei, ſiue operationis diuinæ in genere cauſſæ verè efficientis,ſeu phyſicè;An ſolùm in genere cauſſæ moralis.

Septimò.Proponitur,& explicatur diſcurſus vtriuſque concordiæ, oſtenditúrque differentiam inter earum defenſores totam conſentire circa vnicam propoſitionem capite præcedenti ſtabilitam, cum qua aliæ ferè omnes, in quibus diſſentiunt antecedenter ſunt, vel conſequenter connexæ.

Qualiter intelligenda ſit illa definitio, ſeu deſcriptio liberi arbitrij, videlicet liberum arbitrium eſt, quod poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, poteſt agere,& non agere.

Capvt I.

I. Prima ſententia eſt, definitionem illam eſſe intelligendam in ſenſu cõpoſito,ita nimirum, quod ſtantibus omnibus prærequiſitis ad agendum, tam ex parte intellectus, & voluntatis creatæ, quàm ex parte Dei poſſit liberum arbitrium, etiam in ſenſu compoſito,non agere,id eſt,coniungere,ſeu componere,tam ipſum agere,quàm ipſum non agere cum omnibus illis prærequiſitis ad agendum.Et aliàs exiſtimant ſaluari non poſſe

poſſe libertatem arbitrij,& eius vſum. Ita ſentit Pater Suarez *tom.1.de diuina gratia Prologom.1.de libertate arbitrij cap.3.num.* 8.& alij. Probat ſuam ſententiam ſequentibus argumentis. P.Suarez.

Primò. *Quia poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, poſſe non agere in ſenſu diuiſo; id eſt, retinere poteſtatem ad non agendum ablata aliqua conditione ex prærequiſitis, non eſt proprium potentiæ liberæ, ſed cuilibet naturaliter agenti conuenit. Nam Sol etiam ita illuminat, cùm omnia requiſita concurrunt, vt poſſit non illuminare, ſi feneſtræ claudantur: & oculus videt obiectum imprimens ſpeciem, & aptus eſt ad carendum viſione, ſi auferatur ſpecies; & intellectus ipſe, dum credit à voluntate motus; potens eſt ad non credendum, ſi voluntas, aut non moueat, aut in contrarium actum inclinet: non enim ſuam potentiam in actu primo, quam innatam habet ad vtrumque actum, amittit, quando ad credendum per voluntatem applicatur. Ergo poſitis omnibus requiſitis eſt potentia non credendi, vel diſſentiendi in ſenſu diuiſo. Ergo id non eſt ſatis ad potentiam formaliter liberam, vel dicendum eſt, intellectum eſſe potentiam formaliter liberam, quod nec verum eſt, neque à dictis auctoribus admittitur. Ergo, vt illis verbis formalis libertas voluntatis explicetur, neceſſe eſt, vt in ſenſu compoſito accipiantur.*

Secundò idem probat ſumendo argumentum ſatis tritum,*ex ipſamet volũtate: Nam in beatitudine nõ liberè, ſed neceſſariò beatus amat Deũ, quia poſitis prærequiſitis ad illum amorem, non poteſt non amare in ſenſu compoſito: & nihilominus ibi etiam retinet poteſtatem non amandi in ſenſu diuiſo: nam ſi* *Idem eodem c.3.nu.9.*

viſio

viſio ad illum amorem requiſita auferatur, poterit voluntas ab illo amore ceſſare: ſicut in Paulo contigit, ſi in raptu Deum vidit. Neque refert, quòd illa neceſſitas aliunde proueniat, nimirum ex vi obiecti, & viſionis, quia nihilominus ſub illa manet poteſtas ad non amandum in ſenſu diuiſo, & in hoc tantùm ſit æquiparatio. Deinde voluntas in actibus indeliberatis, quales ſunt etiam motus gratiæ excitantis, ex neceſſitate, & ſine libertate operatur: quia poſitis præuiis requiſitis ad illum actum, non poteſt actum continere: cùm tamen in ſenſu diuiſo poſſit ab illo ceſſare, vt conſtat. Ergo.

Ariſtot. Confirmat hoc primò. *Nam in brutis idem genus indifferentiæ inuenitur: poſſunt enim ſponte ſua, & moueri, & quieſcere, & ad vnam partem, & ad oppoſitam moueri. Propter quod dixit Ariſt.* 8. *Phyſic. text.* 40. *habere in ſe ipſis moueri, & non moueri: & ideo quando poſitis omnibus requiſitis aliquid appetunt, poteſtatem retinent ad ceſſandum ab illo appetitu, & ad cōtrarium appetendum in ſenſu diuiſo, id eſt, ſi aliquod ex illis prærequiſitis auferatur, vel aliud diuerſum adhibeatur. Et nihilominùs, quia poſitis prærequiſitis, ita ad vnum determinantur, vt in ſenſu compoſito, id eſt, illis ſtantibus, nec aliud appetere, nec ab illo appetitu ceſſare valeant, ideo ſine libertate operantur.* Ergo, &c.

S. Thom. Confirmat id ipſum ſecundò auctoritate S. Thomæ *quæſt.* 24. *de veritate art.* 2. vbi ſic ait: *In brutis eſt quædam ſimilitudo liberi arbitrij, in quantum poſſunt agere, vel non agere vnum, & idem, ſecundùm ſuum iudicium. Sed quia eorum iudicium eſt determinatum ad vnum, per conſequens eorum appetitus, & actio ad vnum determinatur.* Et in ſolutione ad ſecundum, & tertium dicit eſſe in brutis

tis

Digitized by Google

tis quandam indifferentiam actionum,quia eorum potentia motiua non magis inclinatur ex ſe ad vnum motum, quàm ad alium, & idem ſuo modo eſſe in appetitu eorum,& tamen non eſſe libertatem,quia poſita apprehenſione,& iudicio phantaſiæ, ad vnum determinantur. Ex quibus verbis colligitur, neceſſarium eſſe ad libertatem, vt ſtante eodem iudicio cum talibus prærequiſitis, tam actio, quàm non actio ſit in poteſtate agentis: nec ſatis eſſe, quòd in eò ſit poteſtas ad agendum, & non agendum, variato iudicio: nam hanc etiam poteſtatem habent bruta: eadem autem ratio eſt de cæteris prærequiſitis.Ergo.

Tertiò argumentatur ſic: *quia non qualibet poteſtas agendi, & non agendi ad libertatem ſufficit,ſed illa, quæ eſt ex interna poteſtate, & eminenti virtute, ac dominio: At verò ita operari poſitis omnibus requiſitis ad agendum, vt ſolum poſſit facultas ab operatione ceſſare in ſenſu diuiſo, id eſt, ſublato aliquo ex requiſitis, non eſt poſſe ceſſare ex interna poteſtate, & dominio actionis: ergo non ſatis eſt ad libertatem. Minor probatur, quia tunc non ceſſatur ex poteſtate non agendi, ſed potius ex impotentia agendi, quia nimirum nulla cauſſa agere valet, niſi poſitis omnibus requiſitis ad agendum.* II. *Idem eodem c.5.nu.10.*

Confirmatur primò: [quia aliàs poſtquam voluntas poſitis omnibus prærequiſitis velle incepit, non poterit ſua ſponte ab actuali voluntate ceſſare, ſtantibus iiſdem prærequiſitis, ſed oportebit aliquod illorum auferri,vt ipſa ceſſet: hoc autem eſt & contra experientiam,& contra vſum libertatis. Ergo. Sequela probatur: nam eadem

eadem eſt ratio de inceptione actus, & de perſeuerantia in illo: imo aliqui exiſtimant magis neceſſariam eſſe continuationem, quàm inceptionem, ſaltem pro breui morula, quod nec verum eſt, nec noſtra nunc refert: ſatis enim eſt, quòd æqualis ratio intercedat. Si ergo voluntas ſtantibus omnibus prærequiſitis ad perſeuerandũ, poteſt ſua ſponte, & interna vi ab amando ceſſare, componendo ſimul illam ceſſationem cum illis prærequiſitis, eadẽ profectò, vel maiori ratione poterit non inchoare amorẽ, ſtantibus omnibus prærequiſitis, negationem agendi cum eiſdem prærequiſitis ſimul componendo: vel ſi hoc poſterius non poteſt, profectò nec illud prius poteſt.]

Confirmatur ſecundò à contrario: *Quia ſi poſitis illis præequiſitis nõ relinquitur poteſtas non agendi in ſenſu compoſito. Ergo ex potẽtia ſic conſtituta cum omnibus prærequiſitis neceſſariò ſequitur actio. Ergo talis actio non eſt libera, cùm ex neceſſitate ſequatur ad potentiam antecedenter ad omnem vſum libertatis ita diſpoſitam, vt cum tali diſpoſitione non poſſit actionem continere, & ſine illa præparatione non poſſit illam elicere.*

III. *Idem eodem c. 3. num. 11.* Quartò ſic arguit. Sequeretur ex contraria ſententia, voluntatem nunquam habere potentiam proximam agendi, & non agendi: conſequens eſt contra libertatis vſum. Ergo. Sequela probatur, quia, vt rectè dixit Capreol. *in 2. d. 18. quæſt. 1. ar. 3. ad ſecundum, & tertium contra quartam concluſionem*, potentia in ſolo ſenſu diuiſo ſolùm eſt potentia remota, nã potentia proxima includit omnia requiſita ad actum. Et probatur clarè, quia

Capreolus.

Digitized by Google

quia illa,quæ dicitur poteſtas,ſolùm in ſenſu diuiſo ,non poteſt immediatè reduci ad actum,ſed oportet,vt præcedat aliqua diſpoſitio,aut mutatio, qua potentia reddatur proxima acquirendo aliquid neceſſarium ad actum,vel tollendo impedimentum actus,vt homo carens lumine gloriæ dicitur potens ad videndum Deum , non in ſenſu compoſito, ſed diuiſo, id eſt,ablata illa carentia. Et ideo illa potentia eſt remota:idemque in vniuerſum inuenietur in omni actu poſſibili in ſenſu tantùm diuiſo. Si ergo voluntas poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, poteſt non agere tantùm in ſenſu diuiſo , non eſt tunc potentia proxima ad non agendum , ſed tantùm potentia remota.Et è contrario quando non habet omnia prærequiſita ad agendum, non eſt potentia proxima ad agendum ſed tantùm remota : nunquam ergo eſt potentia proxima ad agendum, & non agendum,ſed ad alterum tantùm. Minor autem,ſeu falſitas conſequentis probatur ; quia hoc modo tollitur in effectu verus vſus libertatis;quia poteſtas remota reuera non exercetur, nec reducitur in actum niſi in ſtatu proximo conſtituta , vt poteſtas quam habet album , vt ſit nigrum , non reducitur in actum , niſi ablata albedine , & quandiu illa potentia eſt ſub albedine non exercet actum alterius poteſtatis , & ſic de aliis; ergo ſi voluntas nunquam eſt in potentia proxima ad vtrumque actum agendi,& non agendi,vel agendi hoc , aut illud, nunquam exercet poteſtatem liberam , quia ſolum eam partem exercet , ad quam proximè eſt præparata.

IV. *Idem eodem c.3.n.12.* Quintò vrget rem moraliter conſiderando, quia non datur vſus libertatis, niſi quando operanti imputari poteſt carentia actionis, & conuerſionis: at verò ad hoc non ſatis eſt potentia remota, quæ non poteſt ad proximam reduci per ipſam voluntatem, qualis eſt illa poteſtas in ſenſu diuiſo, quia poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, quæ antecedunt libertatem, non eſt in poteſtate hominis cum illis componere carentiam actionis. Ergo non poteſt illi imputari, quòd tunc non abſtineat à tali actione. Ergo nec actio ipſa illi poteſt tribui, tanquam libera, id eſt, tanquam procedens ex dominio agendi, & non agendi. Vt ergo per illam deſcriptionem vera libertas explicetur, oportet, vt in ſenſu compoſito intelligatur.

Sextò probat deſcriptionem prædictam intelligendam eſſe de omnibus prerequiſitis, etiam ex parte Dei: Nam iuxta mentem antiquorum Doctorum, qui deſcriptionem illam tradiderũt, vel vt certam ſuppoſuerunt, nec Dei concurſum aut voluntatem ab illa excipiunt, ſed putant, vel non pertinere ad illa prærequiſita, vel ſi aliquo modo pertinet, cum illa & aliis, vt antecedunt, poſſe componi tam agere, quàm non agere diuiſim ſumpta. Et propterea dici etiam ſolet, non poſſe eundem effectum eſſe ſimul euitabilem in ordine ad cauſſam ſecundam, & ineuitabilem in ordine ad primam, vt ſentit Caietanus 1. *parte, quæſt.* 21. *art* 4. & Vualdenſis *lib.* 1. *Doctrinal. fidei c.* 28. Occam in 1. *diſtinctione* 38. *quæſt.* 1. Gregorius *quæſtione* 22. *ar.* 3. Gab. *articulo.* 2. Cùm ergo tota controuerſia verſetur

ſetur circa concurſum, vel motionem diuinam,in illla ſola limitare generalem aſſertionem,videtur eſſe quædam petitio principij, vel aperta deſtructio,ac negatio illius axiomatis.

Septimò id ipſum probat: nam omnia, quæ generaliter dicuntur de præequiſitis ad agendum, æquè procedunt de omnibus, & ſingulis prærequiſitis, ſiue ex parte Dei, ſiue ex parte aliarum rerum, vel cauſſarum neceſſaria ſint:& ſiue dicantur eſſe aliquid requiſitum in ipſa voluntate, ſiue in intellectu, ſiue in alia quacumque re, quæ ipſam voluntatem moueat ad agendum: & ſiue talis motio dicatur eſſe propria cauſſa efficiens volitionem,ſiue ſit neceſſaria conditio, ſine qua non ſtet fieri talem actum, & illa poſita,non ſtet non fieri,dummodò ſermo ſemper ſit de ſolis, & propriis prærequiſitis, id eſt, ita requiſitis,vt *omnino* præcedant aliquo modo cauſſalitate, & ordine naturæ cauſſalitate fundato, vſum liberum voluntatis: Nam de concomitantibus, quæ inuoluunt liberum vſum non loquimur. Aſſumptum ergo ſic declaratum probatur, ſpecialiter de illo requiſito ex parte Dei, quod à generali deſcriptione excipitur,& vocatur motio Dei.Nam ſi illa motio eſt vnum ex prærequiſitis, & ſimpliciter neceſſaria,vt voluntas operetur, *& illa poſita non manet in voluntate poteſtas ad non operandũ,niſi in ſenſu diuiſo*:Ergo,illo prærequiſito poſito, non eſt voluntas in potẽtia proxima ad non operandũ:ſed tãtũ in remota,quia oportet prius illam motionẽ auferri ab illo, qui illam poſuit:nã ipſa voluntas nõ poteſt illam auferre,quia ſicut non fuit facta

ab illa, ita neque ab illa pēdet, niſi,vt à ſubiecto recipiente, in cuius poteſtate non eſt duratio paſſionis,ſicut nec inceptio eius:ergo illa potentia in ſenſu diuiſo non eſt poteſtas ad liberum vſum ſufficiens, quia liber vſus non eſt niſi à poteſtate proxima. Ergo in voluntate ſic mota non manet libertas non agendi, & conſequenter neque ipſum operari liberum eſt.Et eadem ratione quamdiu illa motio non datur voluntati, ſolùm eſt in potentia remota, & ex parte receptiua ad agendum, quia oportet, vt prius recipiat illam motionem, quæ non eſt in poteſtate eius actiua,ſed receptiua tantùm.Ergo tunc non eſt in poteſtate libera non agendi, ſed in neceſſitate,& in potentia agendi.Ergo vt ſaluetur libertas,etiam reſpectu diuinæ motionis præuiæ requiſitæ, neceſſarium eſt, vt illa etiam poſita cum aliis prærequiſitis, maneat potentia in ſenſu compoſito ad agendú,& non agendum.

Idem eodem c.3.nu.13. *Confirmatur, & explicatur à ſimili de potentia, verbi gratia ſcribendi, quæ eſt in manu. Illa enim de ſe eſt etiam potentia non ſcribendi: & nihilominus libera non eſt, quia nec poteſt ſcribere ſine actione voluntatis, nec poſita motione voluntatis, poteſt in ſenſu compoſito non ſcribere, licèt in ſenſu diuiſo, & remotè poſſit vtique ſi voluntas motionem auferat. Ergo ſimili modo ſi voluntas non poteſt velle, niſi mota à Deo, & poſita motione non poteſt cum illa componere carentiam volitionis, licet in ſenſu diuiſo, id eſt, ablata motione,poſſit non velle, non magis eſt potētia libera,quàm potentia motiua,quæ eſt in manu.Simile eſt de intellectu,quo ad potentiam aſſentiendi, & diſſentiendi per fidē:nam in hoc non eſt*

formali

formaliter liber, quia nec aſſentit, niſi motus à voluntate, neque ſi ab illa moueatur, poteſt non aſſentire in ſenſu compoſito, ſed in diuiſo, quæ diuiſio (vt ſic dicam) non eſt in eius actiua poteſtate. Ergo ſi ita comparatur voluntas hominis ad motionem Dei præuiam, vt ſine illa non poſſit velle, & illa poſita non poſſit non velle, niſi in ſenſu diuiſo, qui non eſt in eius poteſtate actiua, profectò non eſt magis libera voluntas, quàm intellectus, quia non poteſt ipſa actiuè tollere motionem Dei, ſicut non poteſt eam ponere. Quid enim intereſt, quòd vna motio ſit à voluntate creata, & alia ab increata? profectò hoc magis officit libertati; quia motio voluntatis increatæ efficacior eſt, & intimior, magiſque per ſe influens in effectum.

Hæc argumenta ex auctore deſumpta, non ſolùm non probant quod intendunt, ſed ex eorum ſolutione noſtra ſententia quam *diſp.* 115. *de Auxiliis* docuimus, mirum in modum confirmabitur, & ſimul etiam apparebit, quàm ſint debilia fundamenta ſententiæ contrariæ. V.

Secunda igitur ſententia eſt, quam *diſputat.* 115. *de Auxiliis* probauimus, videlicet prædictam deſcriptionem liberi arbitrij intelligendam eſſe neceſſariò, & explicandam in ſenſu in *eadem d.* & alibi pluries à nobis tradito: ita nimirum, vt cum omnibus prærequiſitis antecedenter, tam ex parte liberi arbitrij, quàm ex parte Dei, ſeu primæ, & vniuerſaliſſimæ cauſſæ ad operandum aliquem actum determinatum ſtet ſimul in eodem libero arbitrio vera facultas, quam poſſit non operari, ſi velit, aut exire in actum contrarium. Ad cuius maiorem explicationem, vt tollantur omnes æquiuo-

Not. cationes, imo & verba ambigua, ne dicam aliena à mente noſtra, quibus arguens refert noſtram ſententiam, vt cum aliquo colore poſſit eam impugnare: aduertere oportet, quòd præ-requiſita ex parte Dei, vt voluntas operetur, quædam ſunt neceſſaria, vt voluntas conſtituatur in actu primo, quo verè poteſt operari, ſi velit, cuiuſmodi ſunt habitus ſupernaturales, quibus eleuantur rationales potentiæ, & tribuitur illis poſſe operari ſupernaturales actus: & idem dicendum de auxilio ſufficienti præuenientis gratiæ, quo eædem potentiæ poſſunt actus ſupernaturales elicere, qui tempore antecedunt infuſionē habitus, & cum huiuſmodi prærequiſitis, carentia talis actus, ſiue actus contrarius. Cuius ratio eſt, quia per huiuſmodi prærequiſita non tribuitur libero arbitrio actualiter operari determinatum actum, ſed ſolùm poſſe operari, ſi velit, quoniam liberum arbitrium, ſeu voluntas libera ſe habet indifferenter ad vtrumlibet. Ideo etiam ſtantibus his prærequiſitis, etiam ex parte Dei, ad conſentiendum, & operandum talem actum, poteſt etiam in ſenſu compoſito diſſentire, & non operari, hòc eſt, poteſt coniungere diſſenſum cum huiuſmodi prærequiſitis ad conſentiendum: nam ſtant ſimul hæc duo, quòd videlicet ſint in libero arbitrio omnia prærequiſita, etiam ex parte Dei, quibus poteſt conſentire, ſi velit, excitanti Deo, & vocanti, & tamen diſſentiat, ſicut contingit Iudæis, de quibus Sanctus Stephanus ait *Act. 7. Vos Spiritui Sancto ſemper reſtitiſtis.* Et idem accidit in illis, qui auxiliis Dei ſufficientibus abutuntur. Alia

Alia verò ſunt antecedenter præreqniſita ex parte Dei, quibus tribuitur libero arbitrio, non ſolùm poſſe conſentire, ſi velit, ſed actualiter conſentire, & bene operari, quæ diſtinctio fundatur in Sancto Auguſtino *lib. de correptione & gratia, capite* 11. & 12. Vbi diſtinguit duplex adiutorium gratiæ, aliud quo poteſt quis bene operari, & perſeuerare, ſi velit, quale fuit adiutorium primo parenti in ſtatu innocentiæ collatum. Aliud verò quo donatur per Chriſtũ, vt quis de facto bene operetur, & perſeueret. Verba Auguſtini ſunt clariſſima, & adducta ſunt à nobis *diſp.* 105. & 107. *de Auxiliis*, quæ propterea non oportet in præſenti repetere. Cùm ergo perfectius ſit bene operari, & bene velle, quàm poſſe operari, aut poſſe velle, plura requiruntur, vt quis bene operetur, & velit, quàm vt poſſit bene operari, ſi velit: nam oportet, quòd potẽtia illa, ſeu poſſe reducatur ad actum, quod quidem ſit per auxilium efficax præueniens, quo Deus verè efficienter facit, vt voluntas ipſa medio iudicio rationis indifferenti, quo ei proponitur bonum, vt proſequendum, non ex neceſſitate abſoluta, ſed cum modo libertatis ſe determinet ad operandum & operetur, vt dictum eſt. Nec eſt neceſſarium ad ſaluandam deſcriptionem libertatis, quòd poſitis omnibus prærequiſitis ex parte Dei, quibus Deus efficit, vt infallibiliter operetur talem actum, ſtet ſimul cum eiſdem præreqniſitis, aut ſtare poſſit carentia eiuſdem actus, vel actus contrarius, aliàs ſimul exiſtere poſſent in eodem arbitrio duo actus contrarij. VI.

Probatur hæc ſententia, quia vnum ex præ-requiſitis, vt voluntas conſentiat, & cooperetur Deo excitanti, & mouenti, eſt decretum abſolutum, & efficax diuinæ voluntatis, quo voluit, vt voluntas liberè conſentiat, & cooperetur, & motio efficax ordine rationis, & cauſſalitatis præueniens eandem cooperationem arbitrij, vt *diſp.* 22. *&* 23. *de Auxiliis* oſtendimus; ſed cum hoc decreto, & præmotione Dei efficaci non ſtat ſimul, nec ſtare poteſt in ſenſu compoſito carentia cooperationis arbitrij, vel actus contrarius: nam hæc duo ſimul ſunt incompoſſibilia, Deus vult abſoluto decreto, & efficaci vt hæc voluntas ab eo mota efficaci auxilio cooperetur, & conſentiat, & tamen eadem voluntas non cooperatur, nec conſentit: hæc autem duo ſimul ſunt compoſſibilia, Deus vult, & mouet efficaciter voluntatem, vt conſentiat, & cooperetur & tamen poteſt diſſentire, & non cooperari, ſi velit, vt in ſimili docet expreſsè S. Th. vt oſtendimus *q.* 18. *de Auxil. n.* 23. *& diſput.* 92. *n.* 6. apertiſſimis teſtimoniis Sancti Thomæ *q.* 6. *de verit. a.* 3. *ad* 7. *& q.* 23. *a.* 5. *ad* 3. cuius verba adduximus in diſputationibus præallegatis; quod etiam prius docuerat Sanctus Proſper *libro de vocat. gentium c.* 27. *&* 28. cùm ait: *Quod Deus voluit eos velle voluerunt, qui ad obediendū ſibi bonum velle ſic donat, vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem, quæ poteſt nolle non auferat.* Quibus verbis cum antecedenti decreto efficaci, quo Deus voluit, vt homo vellet tale obiectum, & cum infallibilitate cooperationis arbitrij, illæſam conſeruat eius immutabilita

S. Thom.

Digitized by Google

litatem, *qua poteſt nolle*,& eius libertatem,quæ in facultate ad vtrumlibet conſiſtit. Et per hæc facilè reſpondetur ad argumenta prioris ſententiæ:omnia enim laborant in æquiuoco & fundantur in mala intelligentia ſenſus compoſiti,& diuiſi,vt *d.*93.*&* 94.*de Auxil.* obſeruaui.

VII. Ad primum argumentum reſpondetur, proprium eſſe potentiæ liberæ, vt poſitis omnibus prærequiſitis, etiam ex parte Dei, vt actualiter operetur actum particularem, ad quem mouetur,poſſit operari & non operari illum actum, ſi velit:ita nimirum, vt cum omnibus illis prærequiſitis ſtet ſimul in potentia libera facultas vera, qua poſſit non operari actum illum, ſi velit. Nec enim eſt neceſſarium, quòd offeratur à potentia libera aliquid ex eiſdem prærequiſitis, vt illo ablato poſſit non operari, ſi velit, vt arguens ſupponere videtur, confundens poſſe non operati cum actuali carentia operationis: cùm tamen,etiam pro illo inſtanti quo potentia libera operatur aliquem actum,poteſt non operari illum, ſi velit,vt *diſp.* 18. *de Auxiliis num.* 23. *&* *diſput.* 116. *numero* 15.*&*18. oſtenſum eſt. Vt ergo potentia libera non operetur de facto operationẽ ad quam efficaciter mouetur à Deo medio iudicio rationis indifferenti, neceſſarium eſt,vt ceſſet,& auferatur illa motio efficax:nam tunc ceſſabit etiam eadem actio potentiæ liberæ:non tamen eſt neceſſarium, quòd auferatur eadem motio efficax ad hoc, quòd potentia libera poſſit non operari, ſi velit eundem actum. Et per hæc patet ſolutio ad inſtantiam, quæ affertur de Sole, non enim

enim habet apparentiam aliquam contra iſtam ſolutionem: Etenim Sol poſitis omnibus prærequiſitis, vt actualiter illuminet, non habet veram facultatem, qua poſſit non illuminare, ſi velit: eo quòd per ſuam formam eſt naturaliter determinatus ad vnum, ſcilicet ad illuminandum ex neceſſitate abſoluta. Et idem dicendum ad aliud exemplum adductum de potentia viſiua, nam in huiuſmodi potentia cum omnibus prærequiſitis, vt actualiter videat tale obiectum, non ſtat ſimul vera facultas, qua à principio intrinſeco poſſit non videre illud obiectum; quia ſimiliter per ſuam intrinſecam formam, eſt naturaliter ad vnum determinatum. Et ideo non eſt formaliter potentia libera, ſed ſolùm denominatione extrinſeca ſecundùm quod mouetur ex imperio rationis. Similiter intellectus non eſt formaliter liber, nec eius actus, niſi quatenus mouetur à voluntate, à qua pendet omnis libertas actualis, quæ per participationem reperitur in actibus imperatis à voluntate.

Ad inſtantiam de ſole.

VIII. Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd voluntas beati ita ex neceſſitate abſoluta Deum clarè viſum amat, vt neque in ſenſu compoſito, neque in ſenſu diuiſo poſſit illum non amare. Hæc enim propoſitio: voluntas beati amat Deum clarè viſum, eſt abſolutè, & ſimpliciter neceſſaria, nam per viſionem beatificam proponitur voluntati ſummum bonum, vt ex neceſſitate abſoluta diligendum; eo quòd implet, & ſatiat omnem eius appetitum, ac per cõſequens cũ omnibus prærequiſitis ad diligendũ

Deum

Digitized by Google

Deum clarè viſum non compatitur in voluntate facultas, qua poſſit Deum clarè viſum non amare, ac per conſequens neceſſariò amat illum abſque vſu libertatis. Et ad id quod obiicitur, nam ſi auferatur viſio beatifica poterit Deum non amare: ergo in ſenſu diuiſo poteſt illum nō amare, reſpondetur negando conſequentiam: nam ſenſus diuiſus non eſt ille, in quo aufertur à potentia aliquid ex prærequiſitis, quo poſito infallibiliter ſequitur talis actus, ſed quo ſignificatur, cum omnibus illis prærequiſitis manere ſimul in ipſa potentia veram facultatem, qua poſſit non elicere illum actum, ſed exire in actum contrarium, ſi velit. Senſus autem compoſitus eſt ille, quo ſignificatur, cum omnibus prærequiſitis, etiam ex parte Dei, vt potentia actualiter operetur talem actum, eſſe compoſſibilem ſimul carentiam talis actus, vel actus contrarii, quod eſt impoſſibile.

Explicatur hoc exemplo manifeſto. Hæc enim propoſitio: album poteſt eſſe nigrum, in ſenſu diuiſo accepta ſignificat, quòd ſubiectum poteſt ſucceſſiuè eſſe album, & nigrum diuiſiuè, quod veriſſimum eſt: nam ſubiectum, quod modo eſt album, poteſt eſſe cras nigrum: eo quòd per albedinem non expletur tota capacitas ſubiecti. Cæterùm eadem propoſitio in ſenſu compoſito accepta, ſignificat, quòd idem ſubiectum pro eodem inſtanti poſſit eſſe albū ſimul, & nigrum, quod eſt impoſſibile, & ideo illa propoſitio, in ſenſu compoſito accepta eſt falſa, in ſenſu autē diuiſo eſt vera. Similiter etiā materia prima rerū corruptibilium, dum eſt ſub

vna

vna forma ſubſtantiali, poteſt habere aliam in ſenſu diuiſo, quia cum illa forma ſubſtantiali ſtat ſimul vera potentia, & appetitus naturalis ad habendam formam aliam ſubſtantialem, aliàs res inferiores eſſent incorruptibiles: non tamen habet potentiam ad habendam aliam formam ſubſtantialem ſimul cum præexiſtenti, nam duæ ſubſtantiales formæ ſunt ſimul incompoſſibiles in eadem materia. Et ideo materia prima actuata vna forma ſubſtantiali non poteſt in ſenſu compoſito actuari alia forma ſubſtantiali, ſed ſolùm in ſenſu diuiſo, quia, vt actuetur alia forma, oportet, quod expellatur præexiſtens, iuxta illud commune proloquium: *Generatio vnius eſt corruptio alterius.* In rebus autem incorruptibilibus, quales ſunt, Cæli, Sol, Luna, & Stellæ, materia prima, neque in ſenſu compoſito, neque in ſenſu diuiſo poteſt habere aliquam formam ſubſtantialem diſtinctam ab ea, quam de facto habet. Quòd enim in ſenſu compoſito non poſſit aliam formam habere, res eſt notiſſima, & ab omnibus conceditur, quia duæ formæ ſubſtantiales non poſſunt ſimul eandem materiam actuare, vt dictum eſt. Quòd verò neque in ſenſu diuiſo poſſit alia forma ſubſtantiali actuari probatur; nam materia rerum incorruptibilium actuata forma ſubſtantiali propria, non habet aliquam potentiam, quæ poſſit actuari alia forma ſubſtantiali, cuius ratio eſt, quam aſſignat Sanctus Thom. Nam tota potentialitas, & capacitas naturalis materiæ rerum incorruptibilium

Digitized by Google

liũ expletur, & ſatiatur per formã ſubſtantialẽ, quam de facto habet; & ideo non remanet in eadem materia capacitas naturalis, vel appetitus comparatione alterius formæ ſubſtantialis, atque adeo neque in ſenſu compoſito, neque in ſenſu diuiſo poteſt actuari alia forma ſubſtantiali.

Ex his, quæ dicta ſunt de potentia paſſiua ſubiecti, vel materia, colligitur manifeſta differentia inter actum amoris, quem elicit voluntas in via poſitis omnibus prærequiſitis etiam ex parte Dei, vt de facto amet tale obiectum, & inter actum amoris beatifici, quem habet in patria. Etenim in via cum omnibus prærequiſitis, etiam ex parte Dei ad amandum tale obiectum ſtat ſimul in eadem voluntate vera facultas, qua poteſt non amare illud obiectum, ſi velit; eo quòd nullum bonum particulare poteſt explere, & ſatiare totam capacitatem, & appetitum ipſius voluntatis, imo etiam ipſum bonum vniuerſale, quod eſt Deus, quandiu per ſolam rationem naturalem, aut fidem cognoſcitur, & proponitur voluntati per iudicium rationis indifferens, vt amandus ſatiare non poteſt, neque explere appetitum voluntatis, & ideo liberè ſemper diligit Deum cum vſu libertatis abſque neceſſitate abſoluta, vt dictum eſt: & idem contingit in aliis huiuſmodi actibus liberis, propter eandem rationem. Vnde poſitis omnibus prærequiſitis ad eliciẽdos tales actus, poteſt abſolutè, & in ſenſu diuiſo eos non elicere, ſi velit, quod ſufficit ad vſum libertatis. Cæterùm in amore beatifico multo aliter res ſe habet: nam cum lu- IX.

mine gloriæ,& viſione beatifica,qua Deus clarè viſus proponitur voluntati,vt amandus,& cum aliis prærequiſitis,vt voluntas amet Deum, non compatitur,nec poteſt ſimul ſtare in eadem voluntate vera facultas,qua poſſit non amare Deũ clarè viſum,vel ab huiuſmodi actu amoris ceſſare,vel prorumpere in actũ contrarium.Cuius ratio eſt. Nam Deus clarè viſus, cùm ſit reuera ſummum bonum,ſatiat,& explet omnem capacitatem,& appetitum volũtatis creatæ,ſicut dictum eſt de forma rerum incorruptibiliũ,iuxta quod ait Pſalmiſta: *Satiabor,cùm apparuerit gloria tua* : ac per conſequens per eandem viſionem beatificam proponitur Deus voluntati,vt amandus ex neceſſitate abſoluta, abſque vſu libertatis,vnde non eſt ſimile.Et ob eandem rationem motus indeliberati,ſeu primo primi voluntatis non ſunt liberi,quia non procedunt à voluntare medio iudicio rationis indifferenti : & ideo cum omnibus prærequiſitis ad actum illum indeliberatum non ſtat ſimul in voluntate vera facultas, qua poſſit actum indeliberatum non elicere:quia,ſicut dicit Auguſtinus, *Impoſſibile eſt viſis non tangi*, & huiuſmodi motus indeliberatos præcauere.Hæc,quæ diximus de ſenſu compoſito, & diuiſo ſunt prima rudimenta dialecticæ omnibus ſummuliſtis notiſſima, & tractatu de modalibus tradita, vt *diſp.94.de Auxiliis* diximus, quæ ſubinde præ oculis debet habere Theologus, ne in materia de gratia, & libero arbitrio fallacibus argumentis deci- piatur.

Pſal.16.

X. Ad primam confirmationẽ negamus,reperiri in

in brutis animalibus idem genus indifferentiæ, quod inuenitur in voluntate hominis. Nam bruta, poſitis omnibus prærequiſitis ad appetendum aliquod obiectum, non habent veram facultatem, qua poſſint non appetere illud: eo quòd non ſe agunt, nec determinant per iudicium rationis indifferens ad illud obiectum proſequendum, ſed determinantur à natura ex neceſſitate abſoluta. Vnde licet ſpontè moueantur ad appetendum, verbi gratia, cibum ſibi conuenienter propoſitum, dum eſuriunt, & ad ambulandum in vnam partem, vel aliam, ad quam diriguntur à ſeſſore, & mouenti, vel dirigenti non reſiſtunt, non tamen mouentur liberè. Et ad id, quod obijcitur de ſenſu diuiſo, iam ſupra reſponſum eſt, ſenſum diuiſum, & compoſitum non eſſe illum, qui in argumento fingitur, ſed qui iam ſupra à nobis explicatus eſt. Quia ergo in brutis cum omnibus prærequiſitis, vt actualiter appetant aliquod obiectum non ſtat ſimul vera facultas, qua poſſint tale obiectum non appetere: ideo non ſolùm in ſenſu compoſito, ſed etiam in ſenſu diuiſo non poſſunt non appetere illud obiectum; & conſequenter appetunt idem obiectum ex neceſſitate abſoluta, abſque vſu libertatis.

Ad ſecundam confirmationem ex authoritatibus S. Thomæ reſpondetur per ea, quæ dicta ſunt ad primam confirmationem. Dicimus enim, quòd ſimilitudo liberi arbitrij, quam S. Thomas docet eſſe in brutis, non eſt vniuoca, ſed æquiuoca, & alterius rationis à libero arbitrio hominis; eo quòd appetitus brutorum

poſitis

poſitis omnibus præquiſitis ad operandum non mouetur,nec determinatur, nec ſe determinat medio iudicio rationis indifferenti ad appetendum obiectum ſibi conueniens,ſed determinatur à natura ex neceſſitate abſoluta per apprehenſionem,& iudicium phãtaſię:cuius ratio eſt,nam cum tali apprehenſione, & iudicio phantaſiæ, quo mouetur ad appetendũ tale obiectum non ſtat ſimul in eodem appetitu vera facultas,qua poſſit non appetere idem obiectũ; & ideo abſque vſu libertatis appetit illud. Cæterùm in voluntate hominis cum omnibus præquiſitis,etiam ex parte Dei, vt actualiter velit tale obiectum, per iudicium rationis ſibi propoſitum ſtat ſimul, & conſeruatur illæſa vera facultas, qua poteſt nolle idem obiectum, aut velle contrarium,vt dictum eſt; & ideo tam agere, quã non agere eſt in poteſtate voluntatis; quia reuera,etiam dum agit poteſt agere & non agere diuiſiuè, ſiue in ſenſu diuiſo: non autem cõplexiuè, ſiue in ſenſu compoſito, vt ex præmiſſis conſtat.Nec enim,vt volũtas agens medio iudicio rationis indifferenti poſſit non agere ſi velit, requiritur, quod varietur tale iudicium, vel auferatur, vt argumentum ſupponit: nam cum eodem iudicio, & omnibus præquiſitis, vt voluntas conſentiat in tale obiectum manet in eadem voluntate expedita facultas, qua poſſit diſſentire ſi velit.Verum eſt, quod vt de facto diſſentiat,neceſſariò requiritur,quod varietur iudicium rationis, & per aliud iudicium proponatur idem obiectum, vt diſconueniens voluntati, & vt reſpuendum. Vnde Sanctus Thomas

Thomas ex eo probat, hominem eſſe liberi arbitrij, quia poteſt habere diuerſas conceptiones eiuſdem obiecti, per quas repræſentetur voluntati nunc, vt proſequendum, nunc autem, vt reſpiciendum.

Ad tertium arg. reſpondetur, quod laborat in eadem æquiuocatione, qua præcedens argumentum cum ſuis confirmationibus: & ideo eadem ſolutione diſſoluitur, iam enim pluries diximus, quòd etiam cum omnibus prærequiſitis ad agendum poteſt voluntas ab operatione ceſſare, ſi velit: nam vt poſſit ceſſare non oportet, vt auferatur à voluntate aliquid ex eiſdem prærequiſitis. Et ideo ex virtute, & facultate interna libera, etiam quando actualiter agit, poteſt non agere ſi velit, vt dictum eſt; & ideo liberum hominis arbitrium habet verum dominium ſui actus, ſed non primum, & omnino abſolutum, vtpote dominio ſupremo Dei ſubiectum, etiam in actuali vſu libertatis, vt *diſputat.* 117. *de Auxiliis* latius diximus, quod etiam expreſsè docet S. Thom. 3. *contra gentes capite* 99. vbi ex verbis illis *Rom.* 11. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis:* probat liberum hominis arbitrium *Deo eſſe ſubiectum.* XI.

Ad primam confirmationem reſpondetur, quòd, vt voluntas, poſtquam incepit velle aliquod obiectum poſſit à tali volitione ceſſare, non oportet, quòd varietur, vel auferatur aliquid ex prærequiſitis; vt autem ceſſet actualiter neceſſarium eſt, quod ceſſet illud iudicium, & imperium rationis, & motio Dei efficax præueniens, ex quibus infallibiliter ſequitur voli-

tio eiuſdem obiecti : neque in hoc læditur in aliquo arbitrij libertas, vt iam pluries oſtenſum eſt.

XII. Ad ſecundam confirmationem fatemur libentiſſimè, quod ex omnibus præ requiſitis ex parte Dei, vt liberum arbitrium actualiter agat, neceſſariò ſequitur actio : non quidem neceſſitate abſoluta, quæ obſtat libertati, ſed neceſſitate conſequentiæ, & infallibilitatis, quæ libertatem voluntatis non lædit, vt *diſputatio. 25. de Auxil.* dictum eſt : ſed potius perficit, cùm per huiuſmodi prærequiſita reducatur de potentia ad actum, ſiue de actu primo ad actum ſecundum. Et cùm arguitur, nam illis prærequiſitis, & præparatione antecedente poſita, non poteſt actionem continere, & ſine illa præparatione non poteſt illam elicere. Reſpondetur, quòd poſita prædicta præparatione per auxilium efficax præuenientis gratiæ, poteſt quidem abſolutè loquendo operationem illam continere, ſi velit : ſed tamen durante eodem auxilio non continebit illam; nam Deus per idem auxilium verè efficienter, & efficaciter facit, vt liberum arbitrium eandem operationem liberè eliciat. Et quoniam prædictum auxilium efficax non requiritur, vt voluntas eandem operationem poſſit elicere, ſi velit, ſed ſolùm, vt de facto eam eliciat, ideo ſine auxilio efficaci cum ſolo auxilio ſufficienti poteſt elicere eandem operationem, ſi velit : nunquam tamen eliciet illam de facto, niſi voluntas præparetur à Domino per auxilium efficax præuenientis gratiæ, quo Deus in nobis, atque nobiſcum, vt

opere

operemur, operatur, ſicut ait Concilium Arauſicanum II. *Canone* 9.

Ad quartum argumentum negatur ſequela. Ad probationem dicitur, quòd ſenſus diuiſus, & compoſitus non eſt ille, qui multiplicatis verbis ambiguis in argumento innuitur, ſed qui ſupra à nobis explicatus eſt, contra quem nihil ad propoſitum affertur in eodem argumento. Dicimus enim, quòd etiam antequam voluntas moueatur auxilio efficaci, vt actualiter velit tale obiectum, eſt ſufficienter conſtituta in actu primo, & proximo, vt poſſit operari, ſi velit: nam auxilium efficax, quo poſito infallibiliter ſequitur actio, non eſt neceſſarium, vt poſſit operari, ſi velit, ſed vt actu operetur. Et ad illud, quod adducitur de lumine gloriæ, & de potentia paſſiua, qua album poteſt eſſe nigrum in ſenſu diuiſo: non autem in ſenſu compoſito, iam ſupra ſufficienter, vt arbitror, reſponſum eſt. Vt ergo voluntas exerceat ſuam poteſtatem liberam, ſufficit quòd mota à Deo auxilio efficaci ſe moueat, & determinet medio iudicio rationis indifferenti ad alteram partem contrarietatis, vel contradictionis cum vera facultate, qua poſſit non operari, ſi velit, quod ſaluatur in omni actu libero, vt dictum eſt. De quo plura dicenda ſunt *cap*. 3.

Ad quintum argumentum reſpõdetur, quòd poteſtas impropriè dicitur in ſenſu diuiſo, vel compoſito: nam talis ſenſus cùm ſit proprius modalis compoſitè, vel diuiſè, non poteſt competere potentiæ ſecundùm ſe, cùm per ſimplicem terminum explicetur. Igitur talis ſenſus XIII.

inuoluitur in hac propoſitione, verbi gratiâ: Voluntas mota auxilio efficaci ad conſentiendum poteſt diſſentire in ſenſu diuiſo: non autem in ſenſu compoſito: nam cum conſenſu ſtat ſimul in voluntate vera facultas, qua poteſt diſſentire, ſi velit, vt dicitur in Concilio Tridentino, & hic eſt ſenſus diuiſus: non autem poteſt diſſentire in ſenſu compoſito, quia nimirum conſenſus, & diſſenſus reſpectu eiuſdem obiecti non compatiuntur ſimul in eadem voluntate. Et eadem ratione diſſenſus non compatitur ſimul cum auxilio efficaci præuenientis gratiæ, per quod Deus efficit, vt liberum arbitrium infallibiliter conſentiat. Quia ergo cum auxilio efficaci præmouente ad aliquam actionem ſaluatur in libero arbitrio expedita facultas, qua poſſit diſſentire, ſi velit, ideo poteſt illi imputari, & imputatur ad culpam, ſi non abſtineat ab actu prohibito, vel ſi non operetur actum bonum, & pium, qui eſt in præcepto, quem tamen per auxilium ſufficiens poteſt facere, ſi velit, & ſua culpa noluit facere.

Conc. Trid. ſeſſ. 6. Can. 4.

XIV. Ad ſextum argumentum reſpondetur, quòd Doctores antiqui, qui deſcriptionem illam tradiderunt; vel ſuppoſuerunt, explicandi ſunt in pio ſenſu & vero, quem habere poteſt illa deſcriptio, ita videlicet, vt cum omnibus prærequiſitis, etiam ex parte Dei ad operandum aliquem actum particularem ſtet ſimul in eodem libero arbitrio vera facultas ad non operandum illum actum, ſi velit, & ad operandum contrarium: quod quidem iuxta noſtram ſententiam ſaluatur in omnibus actibus

liberis,

liberis, vt ſupra dictum eſt,& probatum. Quòd ſi forſitan vnus, aut alter in ſenſu contrario prædictam deſcriptionem defendit, contendens ad vſum libertatis eſſe neceſſarium, quòd poſitis omnibus prærequiſitis, etiam ex parte Dei ad conſentiendum, ſtet ſimul in voluntate non ſolùm facultas, qua poſſit diſſentire ſi velit, vt ait Concilium Tridentinum, quod eſt poſſe diſſentire in ſenſu diuiſo: ſed etiam actualis diſſenſus, quod eſt poſſe diſſentire in ſenſu compoſito, non eſt de illo curandum, nec recedendum à vera definitione libertatis tradita à S. Thoma, qua definitur liberum arbitrium quòd ſit facultas voluntatis, & rationis ad vtrumlibet agendum, vel non agendum, & ad agendum vnum, vel alterum, vt *diſp.* 115. *de Auxiliis* explicuimus: ne fortè dum quis vult explicare, & defendere libertatem Chriſtianam, defendat libertatem Ciceronianam, quam reprobat Sanctus Auguſtinus lib. 10. *de Ciuitate Dei, cap.* 5.

Ad ſeptimum argumentum, patet per ea quæ dicta ſunt *numerò* 5. *&* 6. & in ſolutione ad primum. Nihil enim affert, quod in præcedentibus argumentis non fuerit propoſitum, & ſolutum: Nos enim non excludimus ab illa generali deſcriptione præmotionem Dei efficacem: ſed aſſerimus, cum eadem præmotione, & abſoluto decreto Dei, quo præuoluit, vt voluntas conſentiat, ſtare ſimul, & ſaluari illæſam in ipſa voluntate liberam facultatem, qua poſſit diſſentire ſi velit: Deus tamen per eandem præmotionem, & præuenientem gra- XV.

 tiam

Digitized by Google

tiam efficacem verè efficienter facit, quòd cùm voluntas poſſit non conſentire, nihilominus liberè, & infallibiliter conſentiat. Et confirmari poteſt hæc ſolutio retorquendo argumentum in auctores primæ ſententiæ. Ipſi enim fatentur, quod cum præmotione, ſeu gratia præueniente congrua (quam ipſi appellant efficacem) & vnum ex prærequiſitis, vt voluntas actualiter conſentiat, non ſtat ſimul in eadem voluntate diſſenſus: Et ideo ſtante prædicta motione congrua, non poteſt in ſenſu compoſito diſſentire: & nihilominus inquiunt, voluntatem liberè conſentire; quia etiam cum gratia illa congrua, vel præuia motione retinet illæſam veram facultatem, qua poteſt abſolutè, & in ſenſu diuiſo diſſentire, ſi velit. Sed ſimiliter in noſtra ſententia cum præuia motione efficaci, & abſoluto decreto, quo Deus verè efficienter facit, vt voluntas cooperetur, & conſentiat, manet illæſa in eadem voluntate vera facultas, qua poteſt abſolutè, & in ſenſu diuiſo diſſentire, ſi velit. Ergo, quamuis in ſenſu compoſito hæc duo ſint incompoſſibilia: Deus præmouet efficaciter voluntatem, vt conſentiat, & voluntas diſſentit, quod eſt non poſſe diſſentire in ſenſu compoſito; nihilominus liberè conſentit; quia in ſenſu diuiſo, & abſolutè poteſt diſſentire, ſi velit. Non ergo requiritur neceſſariò ad vſum libertatis, vel ad potentiam liberam, quòd poſitis omnibus prærequiſitis, etiam ex parte Dei ad conſentiendum poſſit diſſentire in ſenſu compoſito, ſed ſufficit, quòd abſolutè, & in ſenſu diuiſo poſſit diſſentire, ſit velit.

Argumentũ ad hominẽ.

Sed

Sed dicunt *ſuppoſitionem inducentem neceſſitatem in ſenſu compoſito, ſi talis ſit, vt per vſum libertatis fiat, vel illum vſum liberum inuoluat, ſeu comitantem habeat, inducere tantùm neceſſitatem conſequentiæ, & ſecundùm quid, & ideò non pugnare cum libertate. Si verò talis ſit ſuppoſitio, vt omnino anteuertat vſum libertatis, & neceſſitatem operandi in voluntatem inducat ex tali ſuppoſitione, & in ſenſu compoſito, ita vt impoſſibile ſit componi ſimul in voluntate talem ſuppoſitionem cum carentia actus, talem ſuppoſitionem inducere neceſſitatem ſimpliciter, & contrariam libertati.* Hæc Pater Suarez. Quibus verbis contendunt eſſe magnam differentiam inter neceſſitatem in ſenſu compoſito, quam illi admittunt cum libertate actus, & eam quam nos defendimus, & per illam putant ſe vim huius argumenti eludere: ſed hoc nihil eos iuuat, vt *capit. ſequenti* manifeſtum fiet.

P. Suarez Prolog. 1. c. 6. n. 10.

Ad confirmationem dicitur, quòd poteſtas ſcribendi, & non ſcribendi, quæ eſt in manu, non competit manui ex aliquo principio intrinſeco actiuo, quo ſe ipſam determinet ad ſcribendum, vel non ſcribendum, ſed tota determinatio illius prouenit ei ab extrinſeco, videlicet ex imperio rationis, & motione voluntatis, cui obedit ad nutum, ſicut merum inſtrumentum, quod ita mouetur ab alio, vt non ſe moueat: Et ideo nulla eſt in manu libertas formalis. Vnde actus ſcribendi prout exercetur manu, ſolùm dicitur liber denominatione extrinſeca à libertate, quæ formaliter eſt in vo-

Digitized by Google

luntate mouente manum. Voluntas autem mota à Deo auxilio efficaci ſe mouet à principio intrinſeco actiuo, & ſe liberè determinat, vnde non eſt ſimile.

Vtrum neceßitas actus conſentiendi ex ſuppoſitione abſoluti decreti voluntatis diuinæ, cum facultate diſſentiendi in ſenſu diuiſo ſtet ſimul cum libertate eiuſdem conſenſus.

Capvt II.

I. HOc dubium petit, vt explicemus diſtinctionem illam de neceſſitate actus in ſenſu compoſito, vel diuiſo communiter à doctoribus receptam, & in quo ſenſu intelligenda ſit, vt cum tali neceſſitate in ſenſu compoſito, ſiue ex ſuppoſitione ſtet ſimul libertas eiuſdem actus.

P. Suarez t. 1. de gratia Prol. 1. de libertate, arbitrij c. 6. num. 10.

Nonnulli Doctores admittunt quidem in actibus humanis cum vſu libertatis neceſſitatem infallibilitatis conſequentiæ, ſiue in ſenſu compoſito, & ex ſuppoſitione præſcientiæ, prouidentiæ, & prædeſtinationis: nec non gratiæ efficacis congruæ, quæ ſcientiam mediam cooperationis arbitrij futuræ ex hypotheſi præſupponat; vt ex eadem præſcientia, certitudo, & infallibilitas prædeſtinationis, quantum ad exequutionem effectus, tanquam ex prima radice deſuma

deſumatur; fatentúrque, eiuſmodi neceſſitatem eſſe neceſſitatem ſecundùm quid, nam inuoluit, vel præſupponit concurſum liberum eiuſdem voluntatis, ac per conſequens ſolùm eſt neceſſarius actus ille voluntatis ea neceſſitate, de qua dixit Ariſtoteles: *Res quando eſt, neceſſe eſt eſſe.* Vnde inquiunt, quòd iſta neceſſitas non repugnat libertati, cum in quocumque actu libero neceſſariò inueniatur. Idem aſſerit de concurſu Dei concomitante inhibito in actu libero noſtræ voluntatis: Nam ſi ille eſſe ſupponitur, impoſſibile eſt, quin voluntas etiam humana operetur; quia inuoluit ſecum operationem voluntatis. Et ideò cùm ille ſupponitur; eo ipſo vſus libertatis ſupponitur: ideóque neceſſitas compoſita inde ſequuta non repugnat actus libertati. Et rationem aſſignant; quia vſus libertatis non deſtruit libertatem reſpectu eiuſdem: nihil enim deſtruit ſeipſum: ergo neceſſitas, quæ ſequitur ex ipſo vſu libertatis, non poteſt eſſe cōtraria eidem libertati. Hæc P. Suarez in *illo n.* 10. Et arbitratur libertatem arbitrij & vſum liberum illius conſiſtere non poſſe cum neceſſitate in ſenſu compoſito, vel conſequentiæ fundata in abſoluto, & efficaci decreto voluntatis diuinæ antecedenter ad præſcientiam Dei mediam, ſic enim ait: *Diſtingui poteſt duplex ſenſus compoſitus; vnus, qui ſit ex ſuppoſitione præueniente, alius, qui ex ſubſequente: & quando neceſſitas eſt in ſenſu compoſito priori modo, per talem compoſitum ſenſum non ſaluatur libertas, quia illa ſuppoſitio inducit neceſſitatem ſimpliciter, & libertati contrariam, iuxta doctrinam Anſelmi. Quando verò ſuppoſitio eſt conſequens, tunc*

optimè accommodatur distinctio ſenſus compoſiti, & diuiſi, quia neceſſitas in tali ſenſu compoſito non repugnat libertati; iuxta eandem doctrinam. Idémque dicendum eſt de alia duplici neceſſitate conſequentis, & conſequentiæ, qua ſumitur ex D. Thoma 1. part. quæſ. 14. ar. 13. & qu. 19. art. 8. in ſolutionibus argumentorum, & q. 22. art. 4. & q. 23. art. 2. ad 3. nam prior neceſſitas dicitur contraria libertati, quia eſt abſoluta neceſſitas rei; poſterior verò dicitur non tollere libertatem. Hæc ille.

II. Sed æc doctrina, & modus explicandi neceſſitatem actus in ſenſu compoſito, cum quo libertas eiuſdem actus ſeruatur illæſa, nunquam nobis placere potuit. Arbitramur enim huiuſmodi neceſſitatem, quæ aliàs dicitur neceſſitas infallibilitatis, ſeu conſequentiæ fundari non poſſe, tanquam in prima radice in libera cooperatione noſtri arbitrij futura ex hypotheſi, atque à Deo præcognita per ſcientiam, quam vocant mediam, vel in ipſa præſcientia, ſed in abſoluto, & efficaci decreto Dei volentis, vt homo cuius cor mouet per actuale auxilium efficax præuenientis gratiæ, liberè conuertatur, & operetur talem actum. Etenim cum tali decreto, & præueniente auxilio non ſtat ſimul in ſenſu compoſito carentia eiuſdem actus, vel actus contrarius, quamuis ſimul ſtet in eadem voluntate vera facultas, qua poſſit non operari eundem actum, ſi velit, vt *cap. præcedenti* oſtenſum eſt. Et ideo cum tali neceſſitate in ſenſu compoſito ſaluatur illæſa: imo & perficitur libertas arbitrij. Hanc ſententiam multis auctoritatibus Sanctorum Patrum, præſertim Sancti Augu

Auguſtini, & Thomæ, & aliorum Scholaſticorum probaui *diſpu.* 25. *&* 92. *de Auxiliis, & duabus ſequentibus.* Ad cuius maiorem explicationem ſtatuendæ ſunt à nobis, & probandæ ſequentes concluſiones.

Prima concluſio. Neceſſitas actus conſentiendi in ſenſu compoſito cum facultate diſſentiendi in ſenſu diuiſo, per quam diſtinctionem ſaluatur cum prædicta neceſſitate libertas arbitrij, & actualis vſus illius, fundari non poteſt, tanquam in prima radice, neque originali primordialiter ex ipſo conſenſu, ſiue concurſu, & determinatione futura creatæ voluntatis à Deo præcognita per ſcientiam mediam, ſicut aſſerunt auctores primæ ſententiæ, nec in ipſa ſcientia media. Et idem dicendum de neceſſitate conſequentiæ, ſiue infallibilitatis, vel ex ſuppoſitione: Atque adeo prædicta diſtinctio, eo modo intellecta, & explicata, quo illam intelligunt auctores quos impugnamus, non eſt apta ad ſaluandam libertatem arbitrij, neque eius vſum conciliandum cum infallibilitate præſcientiæ, & prædeſtinationis diuinæ, quantum ad aſſequutionem effectus, vel cum efficacia auxiliorum præuenientis gratiæ, ſed potius eandem libertatem, & vſum illius magis confundere videtur, & inexplicabilem reddere, atque in alias quamplurimas difficultates incidit. Hanc concluſionem probaui ex profeſſo *diſp. 7. de Auxiliis num. 16. & diſputat.* 120. *per totam*, & nunc breuiter probatur perſtringendo ea, quæ in prædictis diſputationibus, & in aliis dicta ſunt. III.

Primò.

Primò. Nam ſcientia illa media quæ baſis eſt; & fundamentum potiſſimum totius ædificij ſententiæ aduerſæ, eſt impoſſibilis, quia obiectum eius, ante omne liberum decretum diuinæ voluntatis, non eſt ſcibile, vt futurum, etiam ex hypotheſi, ſed ſolùm vt poſſibile, ſicut *diſput.* 7. *de Auxiliis* latiſſimè probaui, & ſupra *lib.* 1. *ca.* 1. *& duobus ſequentibus*: cùm ante idem decretum propoſitio de futuro contingenti non habeat determinatam veritatem, aut falſitatem, ſed ſit indifferens ad vtrumque, ſicut eſt ipſa voluntas creata ſecundùm ſe, vt probaui *diſput.* 13. *de Auxiliis* Sicut enim id, quod eſt abſolutè impoſſibile, fieri à Deo non poteſt, ita id, quod non eſt ſcibile, ſciri à Deo non poteſt; neque hoc arguit imperfectionem aliquam ſcientiæ diuinæ, ſicut neque omnipotentiæ.

Et cõfirmatur, quia non eſt intelligibile, quod ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ ſit certum, & infallibile, quòd voluntas, quæ de ſe eſt indifferens ad vtrumlibet, ſit potius conſenſura quàm diſſenſura tali obiecto, ſi conſtituatur in talibus circumſtantiis, & cum auxiliis Dei eam non præmouentibus, nec determinantibus efficaciter ad vnam partem, niſi eiuſmodi infallibilitas conſenſus futuri ex hypotheſi, & determinatio voluntatis fundetur in aliqua diſpoſitione hominis naturali, quæ non ſubiaceat eius poteſtati: hoc autem concedi non poteſt: ergo: Maior probata eſt à nobis *diſp.* 7. *de Auxiliis nu.* 16. *& diſp.* 13. *per totam.* Minor verò probatur, quia tunc voluntas hominis in talibus circunſtantiis conſtituta eſſet naturaliter, ſiue.

ſiue per aliquam complexionẽ naturalem, quæ non ſubiaceat eius poteſtati naturaliter determinata ad vnum, ſcilicet ad conſentiendum, quod tamen repugnat eius libertati.

Secundò probatur. Nam ex eadem ſententia, & modo concordandi conſenſum arbitrij cum neceſſitate in ſenſu compoſito, ſiue ex ſuppoſitione concurſus creatæ voluntatis, & non ex prædicto Dei decreto abſoluto, atque ex præueniente Dei auxilio efficaci, ſequerentur multa inconueniẽtia. Primum inconueniens eſt, quòd Deus non eſſet vera cauſſa efficiens, quod voluntas creata concurrat, & conſentiat in talem actum; atque adeo talis concurſus ſubtraheretur à cauſſalitate diuina: ex quo rurſus ſequeretur; quòd Deus non eſſet prima cauſſa efficiens omnium, quæ quomodocunque habent eſſe, & ita darentur duo prima principia, vt oſtendit Sanctus Thom. *in 3. ſentent. diſtinct. 37. q. 2. art. 2. in corpore.* Item etiam ſequeretur, quòd voluntas creata eſſet prima & ſola cauſſa ſuæ determinationis, & concurſus, ſiquidem talis concurſus, & determinatio non reduceretur in Deum, tanquam in cauſſam primam verè efficientem, quòd voluntas concurrat, & ſe determinet ad talem actum, quod tamen non poteſt dici, vt *diſput. 97. & 98. de Auxiliis* oſtendimus, & patebit amplius *ca. 6. & 7.* Secundum inconueniens, quod ſequitur, ex eadem ſententia eſt, nam iuxta illam, diſcretio inter eum, qui conuertitur ad Deum, & ſaluatur, & eum, qui in peccato perſiſtit, & damnatur ſtantibus in vtroque omnibus auxiliis præueniẽtis gratiæ æqualibus,

IV.

Primum inconueniens.

Secundum incõueniẽs.

Digitized by Google

libus, tam externis, quàm internis reduceretur ad influxum diuerſum liberi arbitrij vtriuſque, & talis diſcretio, ſeu diuerſitas, non deſumetur aliũde, niſi ex innata libertate arbitrij vtriuſque; quia vnus voluit conſentire cum eiſdem auxiliis præuenientis gratiæ; alius verò cum eiſdem auxiliis conſentire noluit, quod tamen eſt cõtra illud Apoſtoli 1. *ad Cor.* 4. *Quis enim te diſcernit,* &c. vt oſtendimus *diſp.*108. *de Auxiliis per totam. diſp.*18. *nu.*17. *diſp.*62. *nu.*4. *diſp.*72. *nu.*2. *diſp.* 97. *nu.*6. *&* 7. Tertium inconueniens. Nam ſequeretur ex eadem ſententia, quòd efficacia auxilij præuenientis gratiæ, & virtus quam habet ad efficiendum, quòd liberum arbitrium piè operetur, non penderet tota à Deo, atque à decreto abſoluto voluntatis eius, volentis per illam hominem ad ſe conuertere: ſed proueniret à libera cooperatione noſtri arbitrij: ac per conſequens eſſet in eius poteſtate quamcumque præuenientem gratiam, efficacem reddere conſentiendo, & cooperando cum illa, vel inefficacem continendo conſenſum, quod tamen admitti non poteſt, vt *diſp.*72. *&* 73. *&* 90. probaui ex profeſſo. Quartum inconueniens. Nam iuxta eandem ſententiam, homo ſolùm haberet à Deo poſſe piè operari ſi vellet, à ſe autẽ haberet, quòd actualiter cum gratia ſufficienti piè operetur, quod tamen non poteſt dici, vt *diſp.*96. *de Auxliis concluſ.* 2. manifeſtè oſtendimus. Quintum inconueniens. Quia ſequeretur ex eadem ſententia, quòd prædeſtinatio in ratione prædeſtinationis penderet, vt à conditione ſine qua non, ex libera cooperatione arbitrij cum auxiliis præuenien

Tertium inconueniens.

Quartũ inconueniens.

Quintũ inconueniens.

Digitized by Google

uenientis gratiæ à Deo præcognita per ſcientiam mediam: ac per conſequens in poteſtate liberi arbitrij cuiuſcunque hominis poſitum eſſet efficere vt ſit prædeſtinatus à Deo, vel reprobatus, quòd tamen affirmari non poteſt, vt ex iis, quæ diximus *diſp.* 30. 36. *&* 37. *de Auxiliis, & diſputatione* 100. colligi poteſt.

Secunda concluſio, neceſſitas conſentiendi, & piè operandi ex ſuppoſitione, ſiue in ſenſu compoſito cum poteſtate, qua voluntas abſolutè loquendo, & in ſenſu diuiſo poſſit diſſentire, ſi velit, neceſſariò debet fundari, tanquam in prima radice, & cauſſa verè efficienti in omnipotentia diuinæ voluntatis, atque in abſoluto, & efficaci decreto, quo antecedenter in ſigno rationis ad omnem præſcientiam cooperationis, & determinationis arbitrij creati futuræ ex hypotheſi, voluit, vt voluntas excitata, & mota per auxilium efficax ſe determinet ad conſentiendum, vel piè operandum. Et idem dicendum de neceſsitate conſequentiæ, vel infallibilitatis, ſiue ex ſuppoſitione: & per hanc diſtinctionem de ſenſu compoſito, & diuiſo hoc modo intellectam, & explicatam ſaluari debet, & defendi libertas arbitrij creati, & actualis vſus illius, & cum certitudine, & infallibilitate præſcientiæ diuinæ, prouidentiæ, & prædeſtinationis, & cum efficacia auxiliorum præuenientis gratiæ concordari. Hæc concluſio probata eſt à nobis *diſp.* 22. 23. *&* 121. *de Auxiliis*, & ſequitur manifeſtè ex concluſione præcedenti. Nam excluſa infallibilitate conſenſus futuri proueniente, vt à prima radice à

ſcien

ſcientia media, non remanet alius modus, niſi iſte, quo neceſſitas actus in ſenſu compoſito, vel diuiſo explicari poſſit, & cum eadem neceſſitate concordari, quove ſaluari poſſet illæſa eiuſdem arbitrij libertas, & actualis vſus illius, & cum infallibilitate diuinæ præſcientiæ, & prædeſtinationis, & eius efficacia conciliari.

Præterea probatur hæc concluſio. Prædeſtinatio eſt certa, & infallibilis certitudine ordinis, & cauſſalitatis mediorum, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur (vt ait Sanctus Auguſtinus) quod etiam probaui ex profeſſo *diſputatione* 41. *de Auxiliis*: ſed hæc certitudo, & infallibilitas non poteſt in alio fundamento firmo, tanquam in prima radice fundari, niſi in abſoluto decreto, & beneplacito diuinæ voluntatis, quo *omnia quæcunque voluit fecit in cœlo, & in terra*, & in auxilio efficaci præuenientis gratiæ, quo Deus verè efficienter facit, vt noſtra voluntas piè operetur, & liberè: nam omne aliud fundamentum extra Deum eſt mobile, variabile, & fallibile, niſi per Dei omnipotentiam firmetur in bono. Ergo neceſſitas operandi, ſeu conſentiendi in ſenſu compoſito cum facultate diſſentiendi in ſenſu diuiſo modo ſuperius explicato neceſſariò debet fundari, tanquam in prima radice, & cauſſa efficiente in decreto abſoluto, & efficacis voluntatis diuinæ, &c. Vt per talem diſtinctionem concordetur libertas arbitrij cum gratia.

VI. Secundò probatur, quia per hanc noſtram ſententiam, quæ ſine dubio eſt Sanctorum

Augu

Digitized by Google

Auguſtini, & Thomæ, vt in diſcurſu *totius lib. de Auxiliis* oſtendimus, euitantur omnia inconuenientia, quæ ex contraria ſententia conſequuntur: & ex alia parte per hanc explicationem neceſſitatis in ſenſu compoſito, vel diuiſo ſaluatur optimè arbitrij libertas illæſa, & actualis vſus illius, & cõcordatur manifeſtè cum diuina prædeſtinatione, & gratia efficaci, & liberum arbitrium creatum continetur intra ſuos limites, dum aſſeritur, non eſſe liberum per eſſentiam, ſed per participationem, ac per cõſequens Deo ſubiectum; Ergo. Antecedens, quo ad primam partem, probatur; nam iuxta noſtrã ſententiam concurſus, & determinatio creatæ voluntatis non ſubtrahitur à cauſſalitate primi agentis, ſcilicet Dei, & optimè defenditur, quòd ſolus Deus ſit primum principium effectum rerum omnium, quæ quomodocunque habent eſſe: & quòd voluntas creata nõ ſit prima, & ſola cauſſa ſuæ determinationis, & concurſus. Secundum etiam inconueniens euitatur, quia in noſtra ſententia ſolus Deus eſſet prima radix, qua iuſtus diſcernitur à peccatore, & qui piè operatur, ab eo qui non operatur; ita nimirum, vt homo non ſe diſcernat, niſi per ea, quæ à Deo miſericorditer accepit, vt à cauſſa verè efficiente. Tertium etiam inconueniens ex noſtra ſententia non ſequitur, quia iuxta explicationem noſtram tota efficacia auxilij præuenientis gratiæ procedit efficienter à ſolo Deo, atque ab efficaci decreto voluntatis eius, tanquam à cauſſa verè efficiente: nec dependet etiã vt à conditione ſine qua non à concurſu, & determinatione creatæ vo-

luntatis;ſed potius è conuerſo eadem cooperatio,& concurſus arbitrij eſt effectus præuenientis gratiæ efficacis,per quam Deus facit,vt faciamus,& operatur, vt operemur, ſicut dicitur in Conc.Arauſ. II. Quartum etiam inconueniens euitatur, quia in noſtra ſententia homo non ſolũ habet à Deo poſſe operari, ſi velit,vt dicebat Pelagius:ſed etiam actualiter bene operari,& liberè; quia voluntas Dei, cùm ſit efficaciſſima cauſſat in nobis, atque nobiſcum actum pium cum modo libertatis ſibi congruente, vt 1. *part. q.*19. *art*.8. dicit S.Th. ac demum prædeſtinatio in ratione prædeſtinationis pendet à ſolo Deo, atque ex mero beneplacito voluntatis eius, & non ex futura determinatione, & cooperatione noſtri arbitrij à Deo præcognita per ſcientiam mediã,ſicut dicebãt auctores ſentẽtiæ cõtrariæ.

*Conc. Arau. can.*9.

VII. Quo ad ſecundam verò partem,quòd nimirum per diſtinctionẽ neceſſitatis in ſenſu compoſito,& diuiſo,vt à nobis explicata eſt,ſaluetur optimè libertas noſtri arbitrij,& actualis vſus illius concordetur ſecurè cum prædicto decreto abſoluto diuinæ voluntatis, & efficacia auxilij præuenientis gratiæ,probatum eſt à nobis *diſputatione* 55. *de Auxiliis*, & ex diſcurſu totius libri prædicti manifeſtè colligitur. Præterea declaratur magis, & probatur ex conceſſis ab auctoribus ſententiæ contrariæ. Ipſi enim fatentur, ſuppoſitionem inducentem neceſſitatem in ſenſu compoſito, ſi talis ſit, vt per vſum libertatis fiat, vel illum vſum liberum inuoluat, ſeu concomitantem habeat, inducere tantùm neceſſitatem conſequentiæ & ſecundùm

Digitized by Google

eundùm quid:& ideo non pugnare cum libertate. Sed ſimiliter in noſtra ſententia ſuppoſitio decreti abſoluti voluntatis Dei, & auxilium efficax præuenientis gratiæ inducens neceſſitatem conſentiendi in ſenſu compoſito,ſiue infallibilitatis, talis eſt, vt coniunctum habeat ſuo tempore, & inuoluat liberũ vſum libertatis humanæ,conſequentem ordine rationis,& cauſſalitatis ipſum auxilium efficax;ita nimirum,vt ſit in eodem inſtanti temporis cum eodem auxilio efficaci.Ergo talis neceſſitas in ſenſu compoſito, ſiue ex ſuppoſitione, eſt neceſſitas ſecũdũ quid, non obſtans libertati noſtri arbitrij; ſed potius eã perficit.Minor probatur, nã decretũ abſolutum,& efficax,quo Deus voluit,vt voluntas Petri excitata, & mota præueniẽte auxilio efficaci ſe liberè determinet ad piè operandũ, & operetur,inuoluit liberũ vſum voluntatis, tãquã effectum neceſſariò conſequutum neceſſitate conſequẽtiæ, ſiue infallibilitatis ex prædicto decreto Dei,& auxilio efficaci.Etenim Deus abſoluto,& efficaci decreto prędeterminauit,& voluit, vt pia operatio, & concurſus liberi arbitrij procederet efficienter à noſtra voluntate,vt à cauſſa proxima eiuſdẽ operationis prædefinitæ. Ergo fieri non poteſt abſque vſu libertatis. Ergo neceſſitas ex ſuppoſitione, ſiue in ſenſu compoſito præueniens ex decreto abſoluto Dei, atque ex præueniente auxilio efficaci dicit ordinem ad liberum vſum noſtræ voluntatis,tanquam ad effectum à Deo volitum. Ergo hæc neceſſitas in ſenſu compoſito, eſt neceſſitas ſecundùm quid non obſtans libertati.

VIII. **Obiectio.** Sed inſtat arguens, quia in noſtra ſententia ſuppoſitio antecedens inducens neceſſitatem infallibilitatis, ſeu conſequentiæ anteuertit *omnino* vſum libertatis. Ergo neceſſitat voluntatem neceſſitate abſoluta ad operandũ talem actum: Et idem argumentum inculcat ſæpius contra gratiam efficacem, & actualem, quam nos defendimus. Nam talis gratia prædeterminat *omnino* phyſicè ſeu verè efficienter voluntatem ad talem actum. Ergo neceſſitat voluntatem, & inducit neceſſitatem abſolutam, quæ vſum libertatis euertit.

Reſponſio. Reſpondetur, quòd, vt obſeruaui *diſput.* 23. *de Auxiliis num.* 1. Illud aduerbium *omnino* additur ab auctore opinionis contrariæ, dum noſtram, & aliorum Thomiſtarum ſententiam refert, vt aliquo colore poſſit illam impugnare: Nos enim nunquam vtimur illo termino *omnino*, neque aliquis Thomiſtarum (quem ego viderim) vtitur eodem termino. Fatemur quidem, quòd ſuppoſitio efficacis auxilij præuenientis gratiæ inducens in voluntate neceſſitatem conſequentiæ, ſiue infallibilitatis operandi actum pium, anteuertit, & pręuenit concurſum actualem noſtræ voluntatis ordine duntaxat rationis, & cauſſalitatis: Fatemur etiam, quòd Deus per tale auxilium efficax præuenientis gratiæ prædeterminat verè efficienter liberum arbitrium ad piè operandum, nunquam tamen diximus, nec dicimus, quòd talis ſuppoſitio efficacis auxilij anteuertat *omnino*, vel prædeterminet *omnino* liberum noſtrum arbitrium ad piè operandum: nam in hac propoſitione: Auxilium

Digitized by Google

lium efficax præuenientis gratiæ anteuertit *omnino*, & omnino prædeterminat voluntatem, vt conſentiat, & piè operetur, poteſt eſſe magna æquiuocatio, quam parit aduerbium illud *omnino*; quia idem ſignificat, quod omnibus modis. Dupliciter autem poteſt aliquid anteuertere liberam cooperationem arbitrij creati. Primo modo prioritate temporis. Secundo modo prioritate duntaxat rationis, & cauſſalitatis: quia ergo auxilium efficax præuenientis gratiæ non anteuertit liberam cooperationem creati arbitrij, primo, ſed ſolùm ſecundo mòdo, ideo anteuertit quidem aliquo modo prædictam cooperationem arbitrij, ſed non *omnino*, quia non auertit illam omnibus modis.

Vtrum de potentia Dei abſoluta fieri poßit, vt voluntas ſe determinet, vel determinetur à Deo per iudicium rationis indifferens ad volendum aliquod bonum particulare; & nihilominus ex neceßitate abſoluta velit illud abſque vſu libertatis.

CAPVT III.

PARTEM affirmatiuam defendit Pater Suarez in *Prologom.1.cap.4. & 5.* Ideo autem hanc ſententiam ſtabilire conatur; quantum videbat per contrariam euerti ſcientiam mediam, quam ipſe cum aliis docuerat, vt ſaluaret efficaciam auxilij præuenientis gratiæ, & certitudinem prædeſtinationis quantum ad aſ- I. *P. Suarez to.1.*

 ſequutio

ſequutionem effectus pendere, vt à conditione ſine qua non ex libera cooperatione arbitrij, à Deo præcognita per eandem ſcientiã mediam.

Idem c. 4. citat. n. 9. Probat autem ſuam ſententiam. Primò. *Nam illam expreſsè docet Sanctus Thom. quæſt. 22. de verit. art. 8. vbi in principio corporis dicit, poſſe Deum neceſſitare voluntatem, non cogere. Et aliis locis ſolùm negat poſſe Deum cogere voluntatem, & ſine alia limitatione adiungit, poſſe illam immutare, & ab vno bono ad alium actum tranſmutare, prout voluerit, vt patet ex* 1.2.*q.*6. *articu.* 4. *ad primum. Et ſub illis verbis comprehendit poteſtatem neceſſitandi voluntatem ſine coactione, exponit Conradus in eadem* 1.2.*quæſt.* 80. *art.* 3. *ad primum allegando priorem locum, & tanquam manifeſtum id ſupponit Capreolus in* 1. *diſt.* 45. *ad primum contra quintam concluſionem.*

S. Thom.

Conradus.

Capreolus. Sotus. Medina. Pro eadem ſententia adducit Soto *libr.* 1. *de natura, & gratia cap.* 16. Medinam 1.2. *quæſt.* 6. *art.* 4. *concl.* 1. Zumel *in opuſ. tom.* 3. *diſcurſu* 2. *aſſertione* 4. Cabrera 3 *part. q.* 18. *art.* 4. *diſp.* 1. *in princ.* & alios.

Idem c. 4. cit. num. 10. Secundò idem probat ex Patribus: *Nam hæretici, qui dixerunt Deum non ſolùm poſſe, ſed etiam ſemper neceſſitare voluntatem hominis in omnibus volitionibus ſuis, non negabant habere hominem iudicium rationis, quo cognoſcat, & diſcernat bonitatem vniuſcuiuſque obiecti, & an ſit neceſſarium, nec ne, ſiue in ratione finis, ſiue in ratione medij. Neque etiam dicebant, Deum neceſſitare voluntatem auferendo illud iudicium, aut intellectum hominis perturbando, ſed ſolum ſua voluntate, vel præſcientia, ita præmouendo voluntatem, vt illam neceſſariò faciat operari, vt conſtat, tam ex antiquis erroribus Manichæi, & Abailardi, quàm ex nouis Caluini, Lutheri, &c. At verò ſi ſtante*

indicio

iudicio rationis integro, non poſſet voluntàs neceſſitari per quamcumq́, motionem, vel efficiẽtiã Dei in ipſam, facillimum fuiſſet Patribus, & Catholicis impugnantibus eos redarguere, eo quòd per ſolam motionẽ extrinſecam dicerent voluntatem neceſſitari, cum ea non obſtante ex iudicio rationis de ſe indifferente, operetur, quod ad libertatem ſufficit. At Patres nunquam ita reſpondent, vel impugnant errores illos, ſed ſupponunt potius neceſſitandam fore voluntatem per talem motionem, ſi daretur, non obſtante iudicio rationis. Et ideo negant dari talem motionem neceſſitantem, non quia impoſſibilis ſit, ſed quia Deus ſapientia ſua, & prouidentia ita gubernat, vt talem motionem (vtique de lege ordinaria) illi non imprimat.

Confirmat ſuam aſſertionem *c.4. cita. n.11. ex Conc. Trid. & Senonen. definientibus contra Caluin. qui prædicto modo errauit: & tamen Conc. Trid. ſeſſ. 6. c.5. & can.4. hunc errorem damnat: non quia ille modus neceſſitandi ſit impoſſibilis, ſed quia hæreticus ille aſſeruit de facto voluntates noſtras ita ſemper moueri, & operari: Et ideo Concilium ad contradicendum illi errori, præter iudicium rationis, requirit vſum libertatis, vt talis motio neceſſitans in voluntate non præcedat. Et hoc eſt, quod ait: Ita vt tangente Deo cor hominis poſſit diſſentire, ſi velit, & illam inſpirationem, ſeu motionem abiicere. Et Conc. Senonenſe decret. fidei 15. dixit. Nec denique tale ſit huiuſmodi trahentis Dei auxilium, cui reſiſti non poſſit. Et hoc docet eſſe neceſſarium, vt libero arbitrio non præiudicet: Ergo ſenſerunt Patres horum Conciliorum ad libertatem actus non ſufficere iudicium rationis, ſed impediri poſſe per motionem aliquam ex parte ipſius voluntatis.* II. **Conc. Trid. & Senon.** **Conc. Sen.**

Pro eadem ſententia inducit *Chryſ. ho. 42. ad* III.

Chryſoſt. *populum, vbi ait: Noſtras non præuenit voluntates, ne noſtram terminet libertatem. Vbi non negat præuenientem gratiam, ſed efficientiam ita præuenientem voluntatem, vt illam determinet neceſſario; & ex modo illo loquendi conſtat ſenſiſſe Chryſoſtomum non eſſe impoſſibile Deo præuenire illo modo voluntatem, ſed ob conuenieniem prouidentiam non id facere. Sic etiam* Damaſc. *dixit Damaſcenus lib. 2. de fide c. 30. Non prædeſtinare Deum, ſeu prædefinire illa, quæ in nobis ſunt, quia nec vitium* (ait) *admitti vult, nec virtuti vim affert, vtique neceſſitatem inferēdo. Vbi quidem negat Deum inferre hanc neceſſitatem, non quia non poſſit, ſed quia non eſt conſentanea prouidentia: ita enim de prædefinitione neceſſitante expoſuit illum locum D. Thom. 1. part. quæſt. 23. art. 1. ad 1.*

IV. Idem cap. 4. cit. num. 12. Pro eadem ſententia adducit Hieronymum *epiſt. 146. ad Damaſum.* de filio prodigo. Qui ſic exponit dediſſe Deum homini mentis propriæ libertatem, *vt viueret non ex imperio Dei ſed obſequio ſuo, id eſt, non ex neceſſitate, ſed ex voluntate.* Hieron. Vbi per imperium Dei intelligit Hieronymus abſolutum imperium omnipotentiæ Dei, *quo ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.* Sentit ergo poſſe Deum hoc imperio voluntatem neceſſitare, non tamen facere, *vt virtus haberet locum,* ſicut ſtatim ſubiungit.

Auguſtin. Adducit etiam teſtimonium Auguſtini, quod putat eſſe optimum *lib. 1. de lib. arb. c. 11. & lib. 3. c. 1.* vbi ait: *naturam illam, quæ hominis mentem excellit, non cogere, id eſt, neceſſitare voluntatem hominis ad libidinem; non quia non habeat poteſtatem illam cogendi, ſed quia iuſta eſt. Inferiorem autem naturam propter infirmitatem, & impotentiam non*

poſſe

Digitized by Google

poſſe voluntatem hominis ſeruam libidinis facere. Ergo ſentit Auguſtinus non deeſſe in Deo potentiam ad neceſſitandam voluntatem.

Tertiò probat ſuam aſſertionẽ ratione fundata in omnipotentia Dei,& in ſententia Auguſtini *in Enchirid.c.*98.dicentis, poſſe Deum,quia omnipotens eſt, mutare voluntatem hominis, quando voluerit, & vbi voluerit: nam ad eandem omnipotentiam ſpectat poſſe illam mutare, quomodo voluerit, ſi in modo nulla appareat implicatio contradictionis;Ergo non ſolùm poteſt mutare voluntatẽ in ſeruando eius libertatem, ſed etiam neceſſitando illam,& liberum vſum impediendo. Probat hanc vltimam conſequentiam, quia nulla maior repugnantia in vno, quàm in altero inuenitur. Imò difficiliùs videtur voluntatem mutare efficaciter ſalua eius libertate,quàm eam neceſſitando: quia in priori modo oportet in eadem actione coniungere poteſtatem non agendi cum infallibilitate agendi, quod videtur difficile: in modo autem poſteriori ceſſat illa difficultas: quia ſi motio inducit neceſſitatem,conſequenter habebit infallibilem effectum. Aliunde verò ex parte ipſius voluntatis creatæ nulla eſt ſpecialis repugnantia:quia licet habeat duplicem poteſtatem agendi ſcilicet,& non agendi,poteſt per omnipotentiam Dei ſecundùm alteram ſini operari, & ſecundùm alteram impediri, ne ſuammet operationem poſſit ſuſpendere;Tunc autem operatio erit neceſſaria,& non libera, quoad exercitium, quia libertas in operatione non eſt ſola entitas actus,vel modus intrinſecus eius; ſed eſt deno-

Idem cap. 4. cit. n. 13. Auguſt.

minatio à poteſtate agendi, & non agendi, vtique ad vtrumque expedita, ſeu non impedita. Ergo tunc actus carebit tali denominatione, & cõſequenter erit neceſſarius. Neque in eo, quòd Deus impediat vſum illius poteſtatis in voluntate creata, aliqua repugnantia cogitari, vel inferri poteſt. Quia cùm omnis poteſtas cauſſæ ſecundæ ſit ſubdita poteſtati cauſſæ primæ, facilè poteſt per illam impediri, ne ſuamet poteſtate vtatur: & oppoſitum videtur multum derogare omnipotentiæ Dei, & eius eminentiæ ſuper omnem poteſtatem creatam. Vnde hac ratione poteſt efficaciſſimè impedire, ne voluntas velit, negando illi ſuum concurſum, & conſequenter neceſſitando illam ad non volendum. Ergo etiam poteſt impedire vſum poteſtatis ad ſuſpendendum actum, & ſic illam neceſſitare ad agendum.

V. Quartò argumentatur ſic: *Nam voluntas ſtante iudicio integro intellectus prius natura, quàm determinetur à Deo ad vnum volendum, eſt de ſe indeterminata, & indifferens ad plura, & nihilominus dicitur prædeterminari à Deo, ſimúlque ſub illa determinatione retinere ſuam indifferentem poteſtatem ad ſuſpendendum actum, quantum eſt ex ſe: ergo eadem ratione non repugnabit, quamuis voluntas, ſtante iudicio intellectus de ſe ſit libera, nihilominus impediri omnino ab vſu libertatis, & neceſſitari ad actum.* Probat conſequentiam, *quia nulla eſt in hoc maior repugnantia.* Id quod multiplicatis verbis oſtendere nititur *cap. 4. citato nu. 15. & cap. 5. ſequ.*

Quintò argumentatur. *Probabile eſt poſſe Deum impri*

imprimere aliquid voluntati distinctum realiter ab actu volendi,neceſſitans illam ad volendum obiectum, etiamſi per iudicium rationis, ex ſe indifferens propoſitum ſit: Ergo,&c. Probat antecedens: nam in reipſa, inquit ille, *vt nobis videtur, admittunt auctores prioris ſententia, capite ſuperiori tractata,licèt verbum neceſſitandi catholicè negent. Fatētur enim poſſe Deum imprimere talem motionem præuiam voluntati, quæ illius poteſtati non ſubiaceat, quantum ad vſum, ſed potius illum ſibi ſubiiciat, & obſequentem faciat; ita; vt non poſſit voluntas illi impreſſioni reſiſtere, nec ſe continere; quin velit, ſtante tali impreſſione,ſeu præuia motione; & nihilominus negant hanc eſſe neceſſitatem (vt ſic rem explicem) voluntatis, ſed vocant illam prædeterminationē.* Et in margine refert meam *diſputationem* 82.*de Auxiliis ad* 3.& totam diſputationem 87.Et addit, ſe inter hæc duo neſcire diſtinguere.

Sextò argumentatur: Deus etiam poteſt immediatè per ſe ipſum neceſſitare voluntatem ex parte ipſius potentiæ, nulla facta mutatione ex parte iudicij, ſeu obiecti, nec in aliis conditionibus phyſicè, vel moraliter requiſitis ad liberè volendum. Probat antecedens ex D.Tho. *qu.22.de verit.ar.*8. quatenus ibi ait,poſſe Deum immutare volūtatem ab vna inclinatione actuali in aliam, vel per formam præuiam voluntati inditam, vel per ſe ipſum. Nam cùm abſolutè, & ſine reſtrictione de immutatione loquatur, rectè poteſt intelligi de omni modo mutationis, ſiue liberæ, ſiue neceſſariæ: Et ita poteſt idem confirmari ex illo Prou.21.*Cor Regis in manu Dei eſt,& quocumque voluerit; vertet illud:* **VI.** ***Idem eodem c.4.nu.9.*** ***Prou.21.***

Quod

Quod teſtimonium ibi citat D.Tho.in arg.primo, & iuxta doctrinam articuli illud exponit. Nam etiam illa verba Sapientis ſunt abſoluta, & ſine limitatione ſunt intelligenda de quocumque modo quo Deus voluerit mutare voluntatem. Et ſic etiam induci poſſunt, quæ de omnipotentia Dei in voluntate immutanda tradit Augu.*in Enchir.c.95.vſque ad* 98.

VII. Septimò argumentatur ratione: quia quidquid Deus operatur per cauſſas ſecundas, poteſt ſe ſolo operari, quòd in genere efficientis cauſſæ eſt in vniuerſum verum. Sed dictum eſt poſſe Deum neceſſitare voluntatem media qualitate creata: Ergo etiam ſine illa poterit id facere ſua efficaciſſima virtute increata. Probatur conſequentia, quia licet in hoc ſit diuerſitas, quòd illa qualitas informet voluntatem; & conſequenter determinet illam intrinſecè in actu primo, quod non poteſt per ſe ipſum facere, vel ſupplere Deus: nihilominus illa informatio non eſt per ſe neceſſaria ad neceſſitatem actus ſecundi, quia talis neceſſitas prouenit ab illa qualitate effectiuè tantùm; non formaliter.

Et confirmatur, ac declaratur: nam in qualitate creata duo intelligimus, ſcilicet, informare voluntatem, & efficere actum tanto pondere, & efficacia, vt ſecum ferat voluntatem; ex quibus illud prius non poteſt à Deo ſuppleri, hoc autem poſterius poteſt efficacius fieri. Voluntas autem per ſe non neceſſitatur ex primo, ſed ex ſecundo: neceſſitatur enim in ipſa actuali efficientia. Hanc autem efficacius poteſt Deus per ſe ipſum

ſe ipſum præſtare, quàm per qualitatem. Ergo ſi per qualitatem impreſſam poteſt neceſſitare voluntatem, multo magis per ſe ipſum. Hæc ſunt argumenta, quibus præallegatus auctor conuincitur, & multa ex illis propoſuerat olim in confirmationem ſuæ ſententiæ *lib.1. de concurſu Dei cap.2.*

Nos autem iterum dicimus, ſicut *diſp.116.de Auxil. nu.*3. dicere cœpimus, implicare contradictionem, quòd voluntas ſe determinet, vel determinetur à Deo per iudicium rationis indifferens ad volendum aliquod bonum particulare: & nihilominus velit illud ex neceſſitate abſoluta abſque vſu libertatis, quantumuis efficaci motione ad volendum illud obiectum moueatur. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quòd vt probaui *diſp.18.de Auxiliis num.23. & diſp.26.num.12. & diſp.116.numer.9.* quamuis libertas ſit formaliter in voluntate, radicaliter tamen fundatur in indifferentia iudicij rationis, quo bonum aliquod proponitur voluntati, vt amandum liberè, & non ex neceſſitate abſoluta. Id quod expreſsè docet S. Thom.1.2.*quæſt.27.art.1.ad 2. & 1.part. quæſtione 83.art.1. & 3.cont.gent. ca.85.ratione 4.& q.24.de veritate art.1.* VIII.

Notandum ſecundò ex his, quæ dixi *diſp.25. de Auxiliis*, quòd neceſsitas alicuius actus eſt duplex. Alia eſt neceſsitas ex ſuppoſitione, & alio nomine dicitur neceſsitas conſequentiæ, vel infallibilitatis, quæ non repugnat libertati, etiã ſi fundetur in abſoluto, & efficaci decreto volũtatis diuinæ, quo antecedenter ad omnem præſcien- *Not.2.*

ſcien

ſcientiam cooperationis liberi arbitrij,decreuit, vt talem vel talem operationem eliciat. Alia verò eſt neceſſitas abſoluta, quæ ſimul ſtare non poteſt cum arbitrij voluntate. Hoc fundamentum probatum eſt *diſp.25.citata* multis teſtimoniis SS. Aug.& Tho.& aliorum doctorum, quæ neceſſariò recolenda ſunt & videnda.

Probatur ergo noſtra ſententia, nam voluntas non poteſt ferri in aliquod obiectum,niſi ſecundùm quod proponitur illi ab intellectu, vt proſequēdum: quia nihil eſt volitum quin præcognitum.Ergo impoſſibile eſt,etiam de potentia Dei abſoluta, quòd tale obiectum per iudicium rationis indifferens proponatur voluntati,vt amandum liberè,ſeu cum vera facultate ad vtrumlibet: ita nimirum, vt per tale iudicium exeat in opus,& nihilominus ex neceſſitate abſoluta amet illud abſque vſu libertatis.

IX. Secundò probatur deſtruendo omnes modos,quibus author contrariæ ſententiæ contendit fieri poſſe, vt medio iudicio rationis indifferenti voluntas ſe determinet, vel prædeterminetur à Deo efficienter ad amandum aliquod obiectum:& tamen ex neceſſitate abſoluta velit illud abſque vſu libertatis. Nam primus modus, quo videlicet Deus mouet voluntatem præuia motione prædeterminante, non infert voluntati neceſſitatem abſolutam volendi obiectum,ad quod proſequendum præuia motione efficaci voluntati inhærente præmouetur efficienter, & prædeterminatur à Deo,ſed ſolùm neceſſitatem ex ſuppoſitione,ſeu neceſſitatem conſequentiæ, & infallibilitatis, quæ; vt dictum eſt, & probatum,

Digitized by Google

tum, libertati non obſtat. Ergo modus ille neceſſitandi voluntatem abſoluta neceſſitate non eſt poſſibilis.

Eadem ratione probatur à fortiori, quòd etiam non ſit poſſibilis ſecundus modus, quo videlicet Deus ſua omnipotentia immediatè per ſe ipſum mouet volũtatem efficaciter, vt medio iudicio rationis indifferente velit aliquod obiectum ex neceſſitate abſoluta ſine vſu libertatis; nam fieri non poteſt, vt Deus immediatè per ſe ipſum, & per ſuam omnipotentiam neceſſitet volũtatem ad aliquid volendum, neceſſitate abſoluta, niſi immutando connaturalem modum operandi liberè, qui congruit eius libertati: Sed hic modus operandi liberè ſeruatur, quandiu voluntas ipſa ſe determinat, vt cauſſa proxima, & prædeterminatur à Deo, vt à cauſſa prima per iudicium rationis indifferens, quo bonum particulare proponitur, eidem voluntati, vt amandum liberè, ſeu cum vera facultate, qua poteſt operari oppoſitum ſi velit, vel non operari. Ergo eſt impoſſibile, quòd voluntas medio iudicio rationis indifferenti velit aliquod bonum particulare: & tamen ex neceſſitate abſoluta velit illud.

Tertiò probatur. Concurſus Dei, quo aſſeritur poſſe neceſſitari voluntatem, quantum ad exercitium actus: etiam ſi per iudicium rationis indifferens operetur, vel eſt præuius concurſui voluntatis, vel ſimultaneus: ſed per neutrum concurſum poteſt neceſsitari voluntas abſoluta neceſsitate, quandiu per iudicium prædictum rationis mouetur ad volẽdum aliquod X.

obiectum. Ergo. Minor, quòd per concurſum præuium non neceſsitetur abſoluta neceſsitate, nec poſsit neceſsitari, dũ operatur per iudicium rationis indifferens, probata eſt à nobis ex profeſſo *diſput.* 23. *de Auxiliis, & duabus ſequentibus.* Quoad ſecundam verò partem idem probatur de concurſu ſimultaneo; nam talis concurſus nihil ponit in voluntate antecedenter ad eius actum. Ergo immutare nõ poteſt modum illius connaturalem operandi liberè, qui competit ei, quãdiu per iudicium rationis indifferens ſe determinat ad volendum aliquod bonum. Probatur conſequentia: Nam voluntas antecedenter ad eius actum immutari non poteſt, nec diſtrahi à connaturali modo operandi niſi per aliquid receptum in ipſa antecedenter ad eius actum, vel ſaltem in intellectu. Ergo niſi immutetur iudicium rationis indifferens, & infundatur iudicium naturaliter determinatum ad vnum, quo bonum proponatur voluntati, vt amandumex neceſsitate abſoluta, impoſsibile eſt, quòd voluntas neceſsitetur ad volendum illud bonum abſque vſu libertatis.

XI. *Eodem ca.5. nu.13.* Ad hoc argumentum, quod efficaciſsimum eſt, reſpondet auctor ſententiæ contrariẹ diſtinguendo in diuina voluntate duplex decretũ efficax; vnum per modum intentionis tantùm, ſeu interni propoſiti, nihil per ſeipſum, & immediatè ad extra operans, quod vocat internam prædefinitionem Dei: aliud per modum vſus, ſeu executionis, quia per illud efficaciter Deus ad extra operatur, quod vult & immediatè, quantum eſt ex parte voluntatis. Dicit ergo: *Quando Deus efficaci,*

efficaci, & abſoluta voluntate exequente, & operante ad extra vult hominis voluntatem velle obiectum aliàs indifferenter propoſitum, efficere illummet actum voluntatis humanæ quodam ſpeciali concurſu alterius rationis, & naturæ ab ordinario concurſu ſimultaneo, in quo efficacius Deus applicat ſuam virtutem actiuam, & independenter (vt ſic dicam) à libertate voluntatis creatæ. Quod à poſteriori eſt ſignum euidens alicuius diſcriminis in re ipſa inter vtrumque concurſum: Nam vnus eſt talis, vt voluntas per innatam libertatem poſſit illi non cooperari: alter verò talis eſt, vt minimè poſſit voluntas per innatam libertatem illi reſiſtere. Ex quibus concludit, in ipſo concurſu ſimultaneo poſſe diuerſos gradus, & modos inueniri, quia in hoc nulla oſtenditur repugnantia, & conſequenter poteſt dari aliquis concurſus, ſeu aliquis modus actionis Dei, qui ex parte humanæ voluntatis requirat concomitantiam neceſſariam, id eſt, non ſubiectam poteſtati naturali, quam eadem voluntas habet ad ſuſpendendum ſuum influxum; qui concurſus ſit extraordinarius, & non debitus voluntati, ſed potius ſit repugnans naturali eius conditioni. Vnde alius concurſus Dei eſſe poteſt, requirens concomitantem influxum voluntatis poteſtati eius ſubiectum. Et per priorem poterit neceſſitari voluntas: licèt cum poſteriori liberè operetur.

Eo. c. nu. 20.

Eo. c. nu. 28.

Hæc tamen ſolutio vim argumenti non euacuat, & multa continet, quæ non videntur admittenda. Et in primis diſtinctio illa duplicis decreti efficacis diuinæ voluntatis, videlicet per modum intentionis, & per modum executionis nihil

XII. *Impugnat.*

obiectum. Ergo. Minor, quòd per concurſum præuium non neceſsitetur abſoluta neceſsitate, nec poſsit neceſsitari, dũ operatur per iudicium rationis indifferens, probata eſt à nobis ex profeſſo *diſput.* 23. *de Auxiliis, & duabus ſequentibus.* Quoad ſecundam verò partem idem probatur de concurſu ſimultaneo; nam talis concurſus nihil ponit in voluntate antecedenter ad eius actum. Ergo immutare nõ poteſt modum illius connaturalem operandi liberè, qui competit ei, quãdiu per iudicium rationis indifferens ſe determinat ad volendum aliquod bonum. Probatur conſequentia: Nam voluntas antecedenter ad eius actum immutari non poteſt, nec diſtrahi à connaturali modo operandi niſi per aliquid receptum in ipſa antecedenter ad eius actum, vel ſaltem in intellectu. Ergo niſi immutetur iudicium rationis indifferens, & infundatur iudicium naturaliter determinatum ad vnum, quo bonum proponatur voluntati, vt amandumex neceſsitate abſoluta, impoſsibile eſt, quòd voluntas neceſsitetur ad volendum illud bonum abſque vſu libertatis.

XI. *Eodem ca.* 5. *nu.* 13. Ad hoc argumentum, quod efficaciſsimum eſt, reſpondet auctor ſententiæ contrariç diſtinguendo in diuina voluntate duplex decretũ efficax; vnum per modum intentionis tantùm, ſeu interni propoſiti, nihil per ſeipſum, & immediatè ad extra operans, quod vocat internam prædefinitionem Dei: aliud per modum vſus, ſeu executionis, quia per illud efficaciter Deus ad extra operatur, quod vult & immediatè, quantum eſt ex parte voluntatis. Dicit ergo: *Quando Deus*

efficaci,

Digitized by Google

efficaci, & abſoluta voluntate exequente, & operante ad extra vult hominis voluntatem velle obiectum aliàs indifferenter propoſitum, efficere illummet actum voluntatis humanæ quodam ſpeciali concurſu alterius rationis, & naturæ ab ordinario concurſu ſimultaneo, in quo efficacius Deus applicat ſuam virtutem actiuam, & independenter (vt ſic dicam) à libertate voluntatis creatæ. Quod à poſteriori eſt ſignum euidens alicuius diſcriminis in re ipſa inter vtrumque concurſum: Nam vnus eſt talis, vt voluntas per innatam libertatem poſſit illi non cooperari: alter verò talis eſt, vt minimè poſſit voluntas per innatam libertatem illi reſiſtere. Ex quibus concludit, in ipſo concurſu ſimultaneo poſſe diuerſos gradus, & modos inueniri, quia in hoc nulla oſtenditur repugnanita, & conſequenter poteſt dari aliquis concurſus, ſeu aliquis modus actionis Dei, qui ex parte humanæ voluntatis requirat concomitantiam neceſſariam, id eſt, non ſubiectam poteſtati naturali, quam eadem voluntas habet ad ſuſpendendum ſuum influxum; qui concurſus ſit extraordinarius, & non debitus voluntati, ſed potius ſit repugnans naturali eius conditioni. Vnde alius concurſus Dei eſſe poteſt, requirens concomitantem influxum voluntatis poteſtati eius ſubiectum. Et per priorem poterit neceſſitari voluntas: licèt cum poſteriori liberè operetur.

Eo. c. nu. 20.

Eo. c. nu. 28.

XII. *Impugnat.*

Hæc tamen ſolutio vim argumenti non euacuat, & multa continet, quæ non videntur admittenda. Et in primis diſtinctio illa duplicis decreti efficacis diuinæ voluntatis, videlicet per modum intentionis, & per modum executionis

Digitized by Google

nihil iuuat ad euadendam difficultatem argumenti propoſiti, nam Deus eodem modo exhibet ſuum cõcurſum ad extra in tempore, quo ab æterno per modum intentionis decreto efficaci prædefiniuit, & prædeterminauit eundem concurſum exhibere voluntati: Ergo; ſi per æternum decretum non poteſt efficere, vt voluntas medio iudicio rationis indifferenti velit ex neceſsitate abſoluta aliquod obiectum; etiam id efficere non poterit per concurſum ſimultaneum, quo in tempore decretum illud æternum exequitur.

Confirmatur. Concurſus efficax, quem Deus exhibet tempore, vt voluntas operetur, debet eſſe proportionatus decreto efficaci quem ab æterno habuit per modum intentionis exhibendi in tempore concurſum ad extra: Sed per decretum æternum Deus voluit, vt voluntas operetur liberè, prout congruit eius naturæ, quotieſcumque determinatur ad operandum per iudicium rationis indifferens: ergo impoſſibile eſt, quòd per concurſum ſimultaneum Dei, quantumuis ſit efficaciſſimus, neceſſitetur voluntas ad operãdum abſque vſu libertatis, quotieſcumque medio iudicio rationis indifferenti determinatur.

Confirmatur ſecundò: nam qua ratione aſſeritur, Deum ſua potentia abſoluta per concurſum ſimultaneum poſſe neceſſitare voluntatem ad amandum bonum medio iudicio rationis indifferenti, poſſet quis affirmare, quòd de facto in omni ſua operatione etiã neceſſitatur, ſiquidẽ Deus ad omnem operationem, voluntatis ſua omni-

omnipotentia concurrit ſimultaneo concurſu; quod tamen eſt contra definitionem Sac. Conc. Trid. *ſeſſ. 6. de iuſtificatione cap. 5. & Can. 4.*

Illud verò, quod in eadem ſolutione dicitur, videlicet concurſum ſimultaneum, quo Deus voluntatem neceſſitaret medio iudicio rationis indifferenti ad volendum aliquod obiectum, eſſe alterius rationis ab eo, quod regulariter loquendo tribuit voluntati, &c. atque adeo exigere concomitantiam neceſſariam ex parte voluntatis, nullam prorſus apparentiam habet; nam ſimultaneus ille concurſus, etiam ſi per impoſſibile daretur ſine præuio, nihil ponit in ipſa voluntate, antecedenter ad eius cõcurſum, neque immutat iudicium rationis indifferens, ſed ſolũ eſt immediatus influxus in operationẽ voluntatis. Ergo impoſſibile eſt, quòd exigat concomitantiã voluntatis abſolutè neceſſariam, abſque vſu libertatis creatæ voluntatis. XIII.

Accedit, quòd de facto, cùm Deus concurrit ad quamcumque actionem liberam voluntatis, ſemper applicat ſuam virtutem actiuam independenter à concurſu libero voluntatis creatæ, quamuis non ſit ſine illo: Etenim concurſus Dei ad extra nõ dependet à concurſu creatæ voluntatis, ſed potius è conuerſo; aliàs iſta cauſſalis eſſet vera: Quia homo concurrit ad actum liberũ, Deus concurrit cum illo: hæc autem eſſet falſa: Quia Deus concurrit, homo concurrit, quod tamen affirmari non poteſt, vt *d. 97. de Auxiliis, & tribus ſequentibus* probatum eſt. Ergo ſi per concurſum Dei ſimultaneum, quòd Deus applicat ſuam virtutem actiuam independenter à

Digitized by Google

concurſu libero creatæ voluntatis, neceſſitat illam ad operandum,abſque vſu libertatis,ſequeretur, quòd nulla eſſet operatio libera, ac per conſequens, nec meritoria vitæ æternæ, quod tamen eſt à fide catholica,& pietate alienum.

XIV. Denique arguitur contra hanc ſolutionem. Nullum actum bonum producit vnquam creata voluntas,quem Deus efficaci,& abſoluta voluntate exequente,& operante ad extra non velit,vt producatur ab homine,vt *diſp.22.& 23.de Auxiliis* oſtendi,quia vt dicit Auguſtinus, *nihil fit,niſi Deo volente, aut permittente*, quod de voluntate abſoluta, & efficaci operante ad extra intelligendum eſt,de qua inquit Pſalmiſta: *Omnia quacumque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra*:Ergo ſi quando Deus efficaci, & abſoluta voluntate exequente,& operante ad extra vult hominis voluntatem velle obiectum per iudicium rationis indifferens ſibi propoſitum, neceſſitat illam ad volendum illud obiectum abſque vſu libertatis, ſequitur, quòd nulla relinquatur actio libera, quod tamen admitti non poteſt. Hæc autem omnia patebunt amplius ex ſolutionibus argumentorum.

Aug.in enchirid.ad Laurentium c.95.& 96.

Ad primum argumentum ex factis à principio reſpondetur,quòd SanctusThomas expreſſe docet noſtram ſententiam locis ſuperius allegatis, & vbicunque de hac materia loquitur, nec alicubi inſinuauit vel leuiter oppoſitam. Et ad locum inductum ex *q.22.de veritate,ar.*8.reſpondetur,verum quidem eſſe poſſe Deum neceſſitare voluntatem,vt ibi dicit S.Thomas,neque hoc eſt contra noſtram ſententiam. Sed nõ

ait

Digitized by Google

ait ibi,neque alibi S.Doctor, quòd poſſit Deus neceſſitare voluntatem,quando mouet eam per iudicium rationis indifferens ad volendum aliquod bonum : id enim contradictionem implicat: Nam aliàs idemmet numero actus eſſet ſimpliciter,& abſolutè neceſſarius,& liber, ſeu contingens, quod eſt impoſſibile. Vt ergo Deus neceſſitet volũtatem ad amandum aliquod bonum,oportet, quòd moueat eam per iudicium naturaliter determinatum ad vnum,abſque vlla prorſus facultate operandi oppoſitum, ſi velit, vel non operandi, ſicut mouet voluntatem creatam in patria ad amandum Deum clarè viſum quadam fœliciſſima neceſſitate, vt S. Auguſt. ait,& hunc modum neceſſitandi voluntatem aſſignauimus *diſp.* 92. *de Auxiliis num.* 11. *&* 12.

Et cùm Sanctus Doctor ait, poſſe Deum voluntatem creatam immutare,& ab vno bono ad alium actum tranſmutare,prout voluerit,intelligit id fieri cum modo libertatis, quotieſcumque tranſmutatur ab vno in aliud medio iudicio rationis indifferenti, etiam ſi ad huiuſmodi tranſmutationem faciendam applicet ſuam virtutem infinitam,& omnipotentiam, vt conſtat ex aliis locis Sancti Thomæ à nobis adductis *diſputatione* 23. *de Auxiliis numer.* 13. *&* 17. Sed præſertim in 2. *ſententiarum diſt.* 25. *quæſtione* 1. *artic.* 2. *ad* 1. vbi ait: *Quòd Deus operatur in voluntate,& libero arbitrio,ſecundùm eius exigentiam: vnde etiam ſi voluntatem hominis in aliud mutet: nihilominus tamen hoc ſua omnipotentia facit, vt illud,in quod mutatur,voluntariè velit.* Ecce fatetur

S.Doctor,quòd Deus ſua omnipotentia,& virtute infinita tranſmutat voluntatem creatam ab vno in aliud,& tamen volũtariè vult id in quod trãſmutatur.Et per illud aduerbium *voluntariè,* intelligit etiam id, quod fit liberè. Et S.Aug.*l. de grat.& l.ar.c.*20.idipsũ clariſſimis verbis confirmat: cũ ait: *Satis me diſputaſſe arbitror aduerſus eos,qui gratiam Dei vehementer oppugnant,qua voluntas humana non tollitur, ſed ex mala mutatur in bonam,& cùm bona fuerit adiuuatur:& ſic diſputaſſe,vt non magis ego,quàm diuina ipſa Scriptura nobiſcum locuta ſit euidentiſſimis teſtimoniis veritatis: quæ ſcriptura diuina ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit non ſolùm bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis,& à ſe factas bonas in actus bonos,& in æternam dirigit vitam: verùm etiam illas quæ conſeruant ſæculi creaturam,ita eſſe in Dei poteſtate,vt eas quo voluerit,quando voluerit faciat inclinari, vel ad beneficia quibuſdam præſtanda,vel ad pœnas quibuſdam inferendas,ſicut ipſe iudicat occultiſſimo quidem iudicio,ſed ſine dubitatione iuſtiſſimo.* Vbi apertè loquitur de actibus liberis, per quos dirigitur iuſtus ad vitam æternam.

S.Auguſt.

XVI. Ad ſecundum arg.ſufficienter, vt arbitror, reſponſum eſt à nobis *diſp.22.de Auxil.ad 2.nu.* 30.*&* 31.*& diſp.92.nu.* 13.vbi ſimile argumentum propoſitum eſt,& ſolutũ.Et nunc breuiter dicimus,quòd Lutherani, & Calu.qui negauerunt libertatem arbitrii, errauerunt, quia non intelligentes,vel intelligere nolentes, qualiter cum abſoluto,& efficaci decreto voluntatis diuinæ,quo prędeterminauit omnes actus bonos, qui in tempore fiunt antecedenter ad omnem

præſci-

Digitized by Google

præſcientiam cooperationis arbitrii, & cum efficaci gratia præmouente ſimul ſtaret libertas arbitrii & eius facultas ad vtrumlibet, quandò per iudicium rationis determinatur infallibiliter ad alteram partem, negauerunt impiè liberum hominis arbitrium proclamantes eſſe rem de ſolo titulo aut titulum ſine re. Vnde ex antecedenti catholico, videlicet ex decreto Dei æterno, & ex gratia efficaci determinante infallibiliter voluntatem, vt cooperetur Deo vocanti, & mouenti intulerunt per conſequentiam peſſimam deſtrui libertatem arbitrij, quam conſequentiam, etiam inferebant Pelagiani contra Sanct. Auguſtin. & Hieron. eo quòd gratiam prædicto modo efficacem prædicabant, vt apertiſſimis teſtimonijs vtriuſque S. Doctoris oſtendi *diſp. 21. de Auxil. nu. 24. & diſp. 23. & in aliis pluribus diſp.* Vnde Conc. Trid. *ſeſſ. 6. de iuſtificatione Can. 4.* aduerſos Lutheranos, & Caluinianos concordat libertatem arbitrij cum gratia efficaci, qua liberum arbitrium à Deo, motum, & excitatum conſentit Deo excitanti, & cooperatur mouenti, quam concordiam declarat, cùm ait, quod *poteſt diſſentire, ſi velit*: Ipſa tamen gratia efficax, ſiue Deus per efficacem gratiam præuenientem efficit, quod cùm poſſit diſſentire, non diſſentiat, ſed liberè, & infallibiliter conſentiat, vt *diſp. 200. de Aux.* viſum eſt. Et per hæc reſpondetur ad confirmationem ex Conc. Trid. & Senon. ad quam etiam iterum reſpondi *diſp. 92. de Auxiliis numer. 8. & diſp. 116. num. 10.*

XVII. *Ad chryſ.* Ad authoritatem Sancti Chryſoſtomi *hom. 42. ad Populum*, iam reſpondi *d. 22. de Auxil. n. 24. &*

 25. vbi

25. vbi verba illa Chryſoſtomi, & alia conſimilia explicata ſunt: neque in præſenti aliquid adducitur de nouo, cui ſatisfacere oporteat: Similiter etiam ad authoritatem Damaſceni reſponſum eſt *diſp. 22. num.* 10. *&* 20. vbi oſtenſum eſt

Ad Dam. Sanctum Damaſcenum, & expoſitionem illius traditam à Sancto Thoma 1. *parte allegata* apertè fauere noſtræ ſententiæ, & ſimul reiecimus explicationem, quam arguens, tum in præſenti, tum etiam *li. 1. de concurſu Dei, cap. 31. num. 9.* tribuit Damaſceno, vt illum pertrahat in ſuam ſententiam. Vnde nihil oportet his, quæ ibi dicta ſunt, ſuperaddere.

Ad Aug. Ad teſtimonium Auguſtini, quod arguens dicit eſſe optimum, reſpondetur, nihil prorſus fauere illi. Nam Sanctus Auguſtinus ſolùm docet, quòd Deus poſſit neceſſitare voluntatem, quod non negamus, non tamen docet Sanctus Doctor, quòd poſſit voluntatem neceſſitare mouendo eam per iudicium rationis indifferens ad aliquid infallibiliter volendum, quod tamen erat probandum, quin potius aliis pluribus in locis à nobis ſuperius adductis, & inferius adducẽdis conſtantiſſimè docet, quòd quãtumuis omnipotẽtia ſua, & infinita virtute moueat voluntatem, ſicut eam de facto mouet, vt infallibiliter, & indeclinabiliter bene operetur, conſeruat in ea, & perficit libertatem arbitrij. Modus autem quo Deus poteſt volũtatem neceſſitare ad aliquẽ actũ, iam ſupra explicatus eſt.

XVIII. Ad tertium argumentum reſpondetur, Deum poſſe quidem mutare voluntatem, ſeruando eius libertatem, quod quidem facit

exci-

excitando eam,& mouendo præuio auxilio efficaci per iudicium rationis indifferens, vt dictum eſt. Poteſt etiam eam neceſſitare abſque vſu libertatis,mouendo eam per iudicium naturaliter determinatum ad vnum,proponendo illi obiectum,vt amandum ex neceſſitate abſoluta, ſicut neceſſitat voluntatem in patria ad amandum Deum clarè viſum.

Ad illud verò,quod tangitur in eodem argumento de volũtate,cùm denegatur illi,vel ſubtrahitur diuinus concurſus,ſine quo non poteſt operari,reſpondetur, quòd quæſtio iſta vtrum in tali caſu neceſſitetur voluntas ad ſuſpendendum ſuum concurſum,vel non operandum,nihil conducit ad præſentem difficultatem, quia ſiue neceſſitetur,ſiue nõ neceſſitetur,ſalua ſemper manet ſententia noſtra, quòd nimirum ſit impoſſibile voluntatem neceſſitari ad volendũ aliquod obiectum, quando appetit illud medio iudicio rationis indifferenti. Veritas eſt,quòd in caſu poſito propriè loquendo minimè neceſſitatur ad ſuſpendendũ ſuum concurſum,ſed ſolum ſe habet negatiuè in ordine ad talẽ actum, ac ſi eſſet dormiens,vel nihil cogitans de alio obiecto, ſed de hoc plura diximus *1.2.d.34.& 35.*

Ad quartum argumentum negatur conſequẽtia propter rationes ſuperius aſsignatas: iam enim oſtenſum eſt, qualiter repugnet voluntatem velle ex neceſsitate abſoluta obiectum, quod appetit medio iudicio rationis indifferenti. XIX.

Ad quintum negatur antecedens: Ad probationem reſpondetur,quod auctores noſtræ ſen-

Digitized by Google

tentiæ neque in re neque in voce admittunt voluntatē neceſſitari à Deo quando præuia motione efficaci mouetur à Deo mediāte iudicio rationis indifferenti ad volendum infallibiliter aliquod obiectū, ſed arguens, vt noſtrā ſententiam impugnet eam refert durioribus verbis, & magis obſcuris, quàm ſit à nobis tradita: Nos enim nō vtimur verbo *imprimēdi*, quod æquiuocationē ingenerare poteſt, ſed verbo *mouēdi* præuia motione efficaci: neque aſſerimus, quòd quando mouetur eiuſmodi præuia motione non poſſit volūtas ſe cōtinere, quin velit, aut diſsētire, ſi velit, quod nobis tribuitur: cū tamē in libro noſtro de Auxiliis ſæpiſſimè dixerimus, quòd cum illa præmotione efficaci, & abſoluto decreto diuinæ volūtatis, quo prædeterminauit, vt volūtas cooperetur Deo vocāti, & mouenti, ſtat ſimul in libero arbitrio vera facultas, qua poteſt diſſentire ſi velit, & continere conſenſum, & non operari, quāuis hæc duo ſimul ſint incōpoſſibilia, Deus abſoluto, & efficaci decreto vult, vt volūtas creata operetur talem actum: & tamen voluntas non operatur eundem actū. Sicut hęc duo ſunt compoſſibila, iſte eſt prædeſtinatus, & ipſe poteſt dānari: hæc tamen duo ſunt incompoſſibilia, iſte eſt prædeſtinatus, & iſte damnatur. Addit arguens ſe neſcire diſtinguere inter motionem Dei præuiam prædeterminantem efficaciter voluntatē ad conſenſum, & impoſitionem neceſſitatis: cùm tamen ex dictis conſtet manifeſta diſtinctio inter hæc duo: Nam vt *diſputatione 25. de Auxiliis* oſtendimus multis teſtimoniis Sanctorum Patrum, & Scholaſticorum, præſertim

Sancto-

Sanctorum Aug.& Thom.quòd duplex eſt neceſſitas alicuius actus, altera eſt neceſsitas abſoluta, qua potentia naturaliter determinatur ad vnum,abſque vera facultate, qua poſsit operari oppoſitum, ſi velit, & ab hac neceſsitate diſtinguenda eſt præmotio efficax prædeterminans voluntatem,per quam Deus verè efficienter,& efficaciter efficit,vt volũtas medio iudicio rationis indifferenti ſe determinet ad operandum talem actum:altera verò eſt neceſsitas conditionata,ſeu conſequẽtiæ,ſiue ex ſuppoſitione,quæ deſumitur radicaliter ex abſoluto,& efficaci decreto diuinæ volũtatis, quo antecedẽter ad præſcientiã mediam cooperationis arbitrij, etiã ex ſuppoſitione futuræ,voluit vt Petrus,verbi gratia operetur liberè, talẽ actũ cum omnibus ſuis circũſtantiis,& ab hac neceſsitate fatemur,quod non diſtinguitur præmotio Dei efficax prædeterminãs,de qua loquimur. Hæc enim neceſsitas ſolùm eſt neceſsitas ſecundùm quid, & ex ſuppoſitione, quæ non deſtruit, nec minuit, ſed potius perficit libertatem arbitrij creati,cùm per talem præmotionem efficacem Deus verè efficienter faciat,vt liberum arbitrium ſe reducat de potentia ad actum ſiue de actu primo ad actum ſecundum conformiter ad eius naturam. Conſtat autem potentiam eſſe multo magis perfectam quamdiu eſt in actu ſecundo, quàm ſi ſolùm eſſet in actu primo:nam per actum ſecundum magis accedit ad purum actum,& recedit ab imperfectione potentialitatis,quam includit actus primus.

Ad ſextũ arg.reſpondetur,Deũ poſſe quidem neceſsi

neceſſitare ad voluntatem aliquem actum, ſi eam moueat ad illum medio iudicio naturaliter determinato ad vnum, vt ſupra explicatum eſt. Implicat tamen, quòd voluntas neceſſitetur à Deo abſoluta neceſſitate, quamdiu medio iudicio rationis indifferenti præmouet illã efficaciter vt ſe determinet, vt ex præmiſſis cõſtat. Et ad teſtimonium Sancti Thomæ ex *quæſtione 22. de veritate, art.* 8. reſpondetur, quod ibi Sanct. Doctor expreſſe docet noſtram ſententiam, vt probaui *diſput.* 23. *de Auxiliis num.* 10. ſicut & in aliis locis à nobis adductis in libro de Auxiliis, & nullo modo fauet oppoſitæ, quod ſic oſtendo: nam in confirmationem ſuæ doctrinæ adducit illud *Prouerb.* 21. *Cor Regis in manu Domini ſicut diuiſiones aquarum, quocunque voluerit vertet illud*: quod
Prouerb.21. teſtimonium explicari non poteſt de immutatione cordis, ſeu voluntatis Regis, qua ex neceſſitate abſoluta abſque vſu libertatis tranſmutetur à Deo ab vno in aliud, ſed neceſſariò debet intelligi de tranſmutatione, quæ fit cum libero vſu, & concurſu liberi arbitrij ipſius Regis, vt ex communi expoſitione Doctorum præſertim eiuſdem S. Tho. & Ianſenij oſtendimus *diſputatione 7. de Auxiliis numero* 15. *& diſputatione* 22. *numero* 9. *diſputatione* 23. *numero* 14. *& diſputatione* 86. *nu* 3. quæ loca ſunt neceſſariò videnda. Et ratio eſt, nam Sapient. in *illo capite* 21. loquitur de mutatione cordis Regis, quæ fit à Deo de facto: ait enim: *Quocumque voluerit vertet illud*, id quod efficit per ſuam infinitam poteſtatem quam habet etiam ſuper cor Regis, quod ſolet eſſe liberrimum alterius creaturæ poteſtati minimè

Digitized by Google

minimè ſubiectum,id quod indicant illa verba: *Cor Regis in manu*, id eſt, in poteſtate Domini. Sentit ergo, quòd quamtumuis per infinitam virtutem actiuam Dei, & eius omnipotentia transferatur cor regis ab vno in aliud medio iudicio rationis indifferenti, ſemper vſus libertatis eiuſdem regis ſeruatur illæſus. Fauet huic expoſitioni Sanctus Auguſtinus *libro* 1. *contra duas Epiſtolas Pelagianorum, capite* 20.*& libro* 1. *de grat.Chriſti contra Pelagium,& Celeſtium capite* 24. Vbi in eodem ſenſu explicat verba illa Heſter. 15. *Conuertitque Deus ſpiritum regis in manſuetudinem*. Hoc eſt à voluntate lædendi ad voluntatem benefaciendi, quod ſalua arbitrij libertate eiuſdem regis factum fuiſſe demonſtrat. *Heſter.* 16.

Ad ſeptimum argumentum reſpondetur, quòd vicem cauſſæ puræ efficientis poteſt Deus immediatè ſupplere per ſe ipſum,& facere ſine tali cauſſa,quod per eam efficit:nō autem quando cauſſa efficiens ſimul includit aliquid pertinens ad cauſſam formalem ad quam effectus dicit intrinſecum ordinem, & huiuſmodi eſt voluntas, & eius actus, quia eſt cauſſa vitalis, ſiue actus ille ſit neceſſarius, ſiue liber, vnde implicat contradictionem quòd Deus producat efficienter actum vitalem voluntatis, niſi per ipſam voluntatem; quòd ſi talis actus producatur à voluntate medio iudicio rationis indifferenti erit actus liber:ſi autem producatur medio iudicio naturaliter determinato ad vnum quo ipſum obiectum proponitur voluntati,vt amandum ex neceſſitate abſoluta erit

actus

Digitized by Google

actus neceſſarius, vt dictum eſt.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd motio efficax præuia, quam *diſputatione* 19. *de Auxiliis* diximus non eſſe propriè qualitatem, ſed motionem virtuoſam, qua etiam Deus determinat voluntatem ad ſuum liberè concurrendum, habet duo: alterum eſt, quod inhæreat voluntati, & eam conſtituat in vltimo complemento actus primi, & hoc non poteſt Deus ſupplere immediatè per ſe ipſum, quia Deus non poteſt eſſe forma inhærens alicui ſubiecto. Alterum verò eſt determinare voluntatem, & concurrere cum illa ad volitionem talis obiecti, & hoc etiam non poteſt Deus ſupplere immediatè per ſeipſum, quando actus voluntatis ſunt ordinis ſupernaturalis, & antecedunt infuſionem habitus, quia in ordine ad tales actus motio illa præuenientis gratiæ in intellectu, & voluntate recepta conſtituit intellectum, & voluntatem in ratione potentiæ proximæ comparatione illorum actuum, ac per conſequens inuoluit rationem cauſſæ formalis, quæ non poteſt ſuppleri à Deo per ſolam aſſiſtentiam extrinſecam, vt *diſp.* 67. *de Auxilijs* oſtenſum eſt. Si autem potentia per ſe ipſam, aut per habitum ſuperadditum habeat virtutem actiuam proportionatam cum effectu, etiam eſt neceſſaria præmotio Dei recepta in eadem potentia, vt exeat in actum ſecundum, vt *d.* 67. *de Auxiliis* probaui, nam aliàs Deus, & liberum arbitrium eſſent duæ cauſſæ partiales piæ operationis, ſicut duo trahentes nauim, quod tamen repugnat cauſſalitati primæ, & vniuerſaliſſimæ cauſſæ, vt *d.* 85 *de Aux.* oſtendi ex

ex profeſſo. Manet ergo probatum, implicare contradictionem, quòd Deus moueat voluntatem medio iudicio rationis indifferenti ad volendum aliquod obiectũ; & tamẽ voluntas velit illud ex neceſſitate abſoluta abſque vſu libertatis.

Quid intelligat Sanctus Anſelmus per neceſſitatem præcedentem, ſeu antecedentem, quæ libertati repugnat, & per neceſſitatem conſequentem, quæ libertatem non lædit.

CAPVT IV.

DOCTOR Suarez arbitratur Sanctũ Anſelmum per neceſſitatem præcedentem, quæ libertati repugnat intellexiſſe etiam neceſſitatem operandi in ſenſu compoſito, quæ tanquam ex prima radice, & cauſſa oritur ex decreto abſoluto Dei antecedenter ad omnem præſcientiam cooperationis arbitrij, volentis, vt voluntas excitata, & mota auxilio efficaci præuenientis gratiæ piè operetur, quantumuis abſolutè, & in ſenſu diuiſo poſſit non operari eundem actum, ſi velit. Probant hoc ſequentibus argumentis. I. *P. Suarez Pro. 1. c. 6. n. 7. & ſequẽti.*

Primò. Nam Sanctus Anſelmus *libro de concordia c. 1. & 2. ſæpe, & l. 2. Cur Deus homo, c. 18.* Duplicem diſtinguit neceſſitatẽ: *Vnam vocat præcedentem, quæ facit rem eſſe: alteram ſubſequẽtem, quam facit ipſemet operans.* Et priorẽ dicit repugnare libertati

libertati, non tamen poſteriorem. Si dicatur, vt nos diximus *diſputat.22.num.48.de Auxiliis*, Anſelmum loqui de neceſſitate abſoluta, quam vocauit antecedentem, eo quòd antecedit omnem ſuppoſitionem, & ſumitur ex natura rei, ſiue ex ipſa connexione extremorum ſecundùm ſe: per neceſſitatem autem conſequentem intellexiſſe neceſſitatem conſequentiæ, quæ libertati non obſtat, contra hoc vrget argumentum. Nam ſenſus Anſelmi non aliunde, quàm ex verbis eius petendus eſt. Ipſe autem quid intelligat per neceſſitatem conſequentem his verbis declarat in *dicto c.1.Concord. Cùm dico, ſi Deus præſcit aliquid, neceſſe eſt illud eſſe futurũ, idem eſt, ac ſi dicam, ſi velit ex neceſſitate, erit; ſed hæc neceſſitas non cogit, nec prohibet aliquid eſſe aut non eſſe. Ideo enim quia ponũtur res eſſe, dicuntur ex neceſſitate eſſe.* Illam ergo vocat neceſſitaté conſequenté, quæ ſequitur ex eiuſdem rei poſitione, quæ quidẽ verè dicitur eſſe neceſſitas conſequentiæ, ſed non cuiuſcunque conſequentiæ, nec ex quocunque antecedente, ſed ex illo, in quo res ipſa ſupponitur eſſe, ita vt ſit illatio quaſi idẽtica formaliter, aut virtualiter, qualis eſt illa Ariſt. *Res quãdo eſt, neceſſe eſt eſſe. Vnde ſubiungit idẽ. Nam cùm dico, ſi erit, ex neceſſitate erit, hic ſequitur neceſſitas, quæ rei poſitionẽ non præcedit. Omnem ergo neceſſitatẽ, quæ rei poſitionem præcedit, vocat antecedentem, quæ verò ſequitur ex rei poſitione vocat conſequentem.*

Eodem capit. num.12.

II. *Idem eodem cap.6.n.13.*

Secundò argumentatur. Nam Sãctus Anſelmus id declarat inferius conſtituendo differentiam inter actum, ſeu opus factum, ex motione voluntatis, & ipſum actum elicitum à voluntate libera

libera, quia in actu elicito, vt eſt ipſum velle, inuenitur tantùm neceſſitas conſequens: *quia quod vult libera voluntas, poteſt non velle,& neceſſe eſt,eam velle,cùm vult. Poteſt namque non velle, antequam velit; quia libera eſt, ſed cùm vult non poteſt non velle, ſed eam velle neceſſe eſt, quoniam impoſſibile illi eſt id ipſum ſimul velle, & non velle.* Vbi reſpectu ipſiuſmet velle, explicat neceſſitatem antecedentem, & conſequentem, vt illa ſit conſequens, quæ ſequitur voluntatem iam volentem;antecedens verò,quæ præcedit, vtique cauſſalitate, & natura, ſeu efficientia. Ideóque de actu imperato ait: *Bifariam eſt neceſſarium, quia & voluntatem cogitur fieri, ei quod fit,non poteſt ſimul non eſſe.* Quia motio manus eſt neceſſaria ex ſuppoſitione voluntatis, & ideo reſpectu potentiæ motiuæ eſt neceſſaria;non tantùm neceſſitate conſequente, ſed etiam antecedente, quia volitio eſt ſuppoſitio antecedens reſpectu potentiæ motiuæ, quia eſt cauſſa efficiens eius, qua poſita neceſſariò ſequitur actio. Et nihilominus reſpectu hominis illa actio eſt ſimpliciter libera,quia vt ſubdit, *Has neceſſitates facit voluntatis libertas, quæ prius quàm ſint eas cauere poteſt.* Vbi virtute definit, illam neceſſitatem conſequentem eſſe, *quam facit voluntatis libertas*, & ſic iterum ſubdit, non repugnare id, quod nulla neceſsitate cogente fit, neceſſariò eſſe futurum, *ea neceſſitate, ait, quam ſupra dixi, fieri à libera voluntate.* Antecedens ergo neceſſitas erit, quæ in voluntate fit, & ab ipſa libertate eius non fit, ſed antecedit vſum libertatis eius. Et eandem doctrinam habet *dict. lib.* 2.

*Cur Deus homo, cap.*18. vbi generaliter dicit: *Eſt namque præcedens neceſſitas, quæ cauſſa eſt, vt ſit res: & neceſſitas ſequens, quæ res facit.* Et infra neceſſitatem conſequentem etiam vocat, *nihil efficientem*, & è contrario neceſsitatem prouenientem ex priori cauſſa, cenſet antecedentem, & ſimpliciter abſolutam. Ergo non debet limitari doctrina Anſelmi ad cauſſam præmouentem naturaliter, hoc eſt, ſine iudicio rationis indifferenti.

Tertiò idem probat. Quia deſcriptio illa neceſsitatis conſequentis, quòd ſit illa, quæ à libera voluntate fit, eſt præciſa, & adæquata; omnis ergo alia neceſsitas, quæ à libera voluntate non fit, comprehenditur ſub alio membro neceſsitatis antecedentis, ſiue fiat cum cognitione rationis eius cui operandi neceſsitas imponitur, ſiue abſque illa.

Quartò ſic argumentatur. Nam aliàs eſſet impertinẽs illa diſtinctio ad rem, de qua agebatur: tractat enim Anſel. de actibus voluntatis, qui cum iudicio rationis fiũt, & de his vult oſtẽdere habere quandam neceſſitatem in præſcientia, & prædeſt. diuina, cum qua conſiſtit libertas, & reſpectu talium actuum illa diſtinctione vtitur: ergo non loquitur tantùm de neceſſitate naturali, quæ eſſe poteſt ſine cognitione rationis.

Quintò idem probat. Quia motiuum ad illam expoſitionem ex vno exẽplo ſumptum debiliſſimum eſt, tum quia non eſt neceſſe exemplum eſſe ſimile in omnibus, tum etiam, quia in locis proximè citatis ponit etiam exemplum in

III. ſeditione futura, & in peccato. Tum denique, quia

quia in vltimo loco excludit à neceſſitate conſequente non ſolùm cauſſam naturalem,ſed abſolutè omnem cauſſam efficientem; & neceſſitatem inducentẽ. Ideóque cùm dixiſſet: *Quoniam vera fuit fides eius* (id eſt,Virg.) *neceſſe erat ita futurum eſſe ſicut credidit.* Subiungit: *Quod ſi te iterum perturbat, quod dico, neceſſe erat, memento, quia veritas fidei Virginis non fuit cauſſa,vt ille moreretur,ſed quia hoc futurum erat, vera fuit fides.*

Si adhibeatur ſecunda explicatio verbis Anſel.quã etiam nos attigimus *d.22.præal.de Auxil.* quòd ſcilicet neceſſitas actus, ex ſuppoſitione decreti abſoluti voluntatis Dei, atque efficacis auxilij præuenientis gratiæ non eſt neceſſitas omnino antecedens, ſed conſequens liberam determinationem Dei volentis, vt actus humani liberè fiant: contra

Arguit 6.Quantum Anſel.apertè loquitur de neceſſitate antecedente,vel conſequente reſpectu illius voluntatis, à qua debet actus liberè, vel neceſſariò procedere.Vnde *in lib.de Concord.* expreſsè loquitur de voluntate humana, cùm dicit, neceſſitatem conſequentem eſſe, quam eiuſdem voluntatis libertas facit:antecedentem verò, quã prior cauſſa facit. Et ſub priori cauſſa Deum etiam includit,nam ob eam rem conatur etiam ex parte ipſius antecedentem neceſsitatem tollere.Ac propterea dicit ſcientiam,& voluntatem Dei pertinere ad conſequentem neceſſitatem, non quia reſpectu ipſius voluntatis diuinæ neceſsitas illa ſit conſequens, ſed quia ipſamet ſcientia Dei non antecedit ſimpliciter vſum liberũ ipſius voluntatis humanæ,ſed IV. *Eod.c.6. num.16.*

Digitized by Google

*Cur Deus homo, cap.*18. vbi generaliter dicit: *Eſt namque præcedens neceſſitas, quæ cauſſa eſt, vt ſit res: & neceſſitas ſequens, quæ res facit.* Et infra neceſſitatem conſequentem etiam vocat, *nihil efficientem,* & è contrario neceſsitatem prouenientem ex priori cauſſa, cenſet antecedentem, & ſimpliciter abſolutam. Ergo non debet limitari doctrina Anſelmi ad cauſſam præmouentem naturaliter, hoc eſt, ſine iudicio rationis indifferenti.

Tertiò idem probat. Quia deſcriptio illa neceſsitatis conſequentis, quòd ſit illa, quæ à libera voluntate fit, eſt præciſa, & adæquata; omnis ergo alia neceſsitas, quæ à libera voluntate non fit, comprehenditur ſub alio membro neceſsitatis antecedentis, ſiue fiat cum cognitione rationis eius cui operandi neceſsitas imponitur, ſiue abſque illa.

Quartò ſic argumentatur. Nam aliàs eſſet impertinēs illa diſtinctio ad rem, de qua agebatur: tractat enim Anſel. de actibus voluntatis, qui cum iudicio rationis fiūt, & de his vult oſtēdere habere quandam neceſſitatem in præſcientia, & prædeſt. diuina, cum qua conſiſtit libertas, & reſpectu talium actuum illa diſtinctione vtitur: ergo non loquitur tantùm de neceſſitate naturali, quæ eſſe poteſt ſine cognitione rationis.

Quintò idem probat. Quia motiuum ad illam expoſitionem ex vno exēplo ſumptum debiliſſimum eſt, tum quia non eſt neceſſe exemplum eſſe ſimile in omnibus, tum etiam, quia in locis proximè citatis ponit etiam exemplum in

III. ſeditione futura, & in peccato. Tum denique, quia

quia in vltimo loco excludit à neceſſitate conſequente non ſolùm cauſſam naturalem,ſed abſolutè omnem cauſſam efficientem; & neceſſitatem inducentē. Ideóque cùm dixiſſet: *Quoniam vera fuit fides eius* (id eſt,Virg.) *neceſſe erat ita futurum eſſe ſicut credidit.* Subiungit: *Quod ſi te iterum perturbat, quod dico, neceſſe erat, memento, quia veritas fidei Virginis non fuit cauſſa,vt ille moreretur,ſed quià hoc futurum erat, vera fuit fides.*

Si adhibeatur ſecunda explicatio verbis Anſel.quā etiam nos attigimus *d.22.præal.de Auxil.* quòd ſcilicet neceſſitas actus, ex ſuppoſitione decreti abſoluti voluntatis Dei, atque efficacis auxilij præuenientis gratiæ non eſt neceſſitas omnino antecedens, ſed conſequens liberam determinationem Dei volentis, vt actus humani liberè fiant: contra

IV. *Eod.c.6. num.16.*

Arguit 6.Quantum Anſel.apertè loquitur de neceſſitate antecedente,vel conſequente reſpectu illius voluntatis, à qua debet actus liberè, vel neceſſariò procedere. Vnde *in lib.de Concord.* expreſsè loquitur de voluntate humana, cùm dicit, neceſſitatem conſequentem eſſe, quam eiuſdem voluntatis libertas facit:antecedentem verò, quā prior cauſſa facit. Et ſub priori cauſſa Deum etiam includit,nam ob eam rem conatur etiam ex parte ipſius antecedentem neceſsitatem tollere. Ac propterea dicit ſcientiam,& voluntatem Dei pertinere ad conſequentem neceſſitatem, non quia reſpectu ipſius voluntatis diuinæ neceſsitas illa ſit conſequens, ſed quia ipſamet ſcientia Dei non antecedit ſimpliciter vſum liberū ipſius voluntatis humanæ,ſed

Digitized by Google

illum includit. Et inde etiam dicit voluntatem Dei non inducere neceſſitatem antecedentem; *quia non prædeſtinat niſi ſicut eſt in præſcientia*, vt expreſsè dicit *in c.2.* In altero verò loco *lib.2. Cur Deus homo, c.17.* declarat, quomodo Deus nihil ex neceſſitate ſimpliciter faciat, quia nulla neceſſitas præcedit eius velle, ſed ab eius voluntate procedit. Poſtea verò *in c.18.* eod. modo cum proportione loquitur de voluntate humana, vt liberè operāte, & reſpectu illius vult neceſſitatem debere eſſe conſequentem, vt cum libertate ſubſiſtat.

Idem eod. c.6.n.17. Arguit Septimò. Nam actus hominis non eſt liber per ordinem ad voluntatem Dei, ſed per ordinem ad voluntatem hominis, ſicut non eſt vitalis actus hominis, quia procedit à Deo; ſed quia procedit ab intrinſeco principio vitæ hominis: ergo vt actus ſit liber homini, oportet, vt non ſit neceſſarius eidem homini per neceſſitatem antecedentem liberum influxum eius, nec ſatis eſt, quòd illa eadem neceſſitas ſit conſequens reſpectu Dei: inde enim ſolùm fiet, quòd actio, vel effectus ſit liber Deo, non verò homini. Nam ſi neceſsitas eſt illi antecedens ex influxu Dei, iam ipſe non ex ſua libertate, ſed ex immiſſa neceſsitate operabitur, ac ſubinde non erit illi actio libera, ſed Deo.

Confirmatur, quia Deus poteſt neceſsitare voluntatem humanam, vt ſupra eſt oſtenſum, & tamen tunc etiam neceſsitas illa eſt conſequens reſpectu voluntatis Dei: non enim fit, niſi quia Deus vult; & nihilominus neceſsitat voluntatem hominis, quia ad illam antecedit:

ergo

ergo neceſsitas in ſenſu compoſito ex ſuppoſitione antecedente voluntatem hominis, licèt conſequatur voluntatem Dei, tollit vſum libertatis in homine, licèt illum in Deo ſupponat. Sicut etiam è contrario neceſsitas, quæ eſt in amore beatorum in patria, eſt conſequens reſpectu voluntatis Dei, nam ipſe liberè præbet concurſum ad illum amorem, nec eſt illi neceſſarius ille concurſus, niſi quia vult, vel promittit illũ dare, & ideo ipſi Deo effectus ille liber eſt, & nihilominus eſt neceſſarius homini amanti, quia reſpectu illius neceſsitas illa eſt antecedẽs; eo quòd non fiat per liberam voluntatem, ſed poſitis omnibus prærequiſitis ad amandum, ex neceſſitate ſequitur. Ergo neceſſitas antecedẽs, & conſequens conſideranda eſt reſpectu eiuſdem voluntatis, cui effectus eſt liber, vel neceſſarius, non reſpectu alienæ voluntatis. Neque ad hoc refert, quòd voluntas diuina ſit ſuperior, & efficacior, quia libertas non conſiſtit in independentia, aut efficacitate, ſed in indifferentia ipſiuſmet cauſſæ, quæ dicitur liberè operari. Vnde ſi vehementia illa influxus diuini tantą eſſet, vt induceret in voluntate hominis neceſſitatem antecedentem, proculdubio vſum libertatis eius impediret.

V. Si rurſus dicatur, ſicut nos diximus *eadẽ diſp.* 22. *ad* 8. neceſſitatem antecedentem, ſiue ex ſuppoſitione prouenientem ab agente finito, & limitato, atque extrinſeco ab ipſa voluntate, quod ſubinde non poteſt intimè operari in ipſam voluntatem, tunc neceſſitas operandi ex ſuppoſitione antecedens concurſum liberum volunta-

 tis

tis tolleret eius libertatem: non autem quando ſuppoſitio antecedens tenet ſe ex parte primæ, & vniuerſaliſſimæ cauſſæ, ſcilicet Dei: quia ſolus Deus propter ſuam omnipotentiam, & infinitatem: quia eſt author voluntatis creatæ, poteſt eam immutare conformiter ad ſuam naturam, & efficaciter mouere, quo voluerit, ſeruata eius libertate, vt docet S. Thom. 3. *con gen. c.* 88. 89. & 148. atque aliis pluribus in locis. Et iuxta hanc doctrinam intelligẽdam eſſe auctoritatẽ Anſel. Contra hanc diſputationem, & limitationem

S. Tho. 1. p. q. 22. art. 4. & q. 111. art. 2.

Eod. cap. 6. num. 19.

Argumentatur octauò. Nam in primis Anſelmus illis locis tractat de neceſsitate prouenientè à Deo, nimirum à ſcientia, voluntate, vel prædeſtinatione Dei, & ad ſaluandam libertatem hominis, etiam reſpectu ipſius Dei, putat eſſe neceſſariam diſtinctionem illam de neceſſitate antecedente, & conſequente. Ergo nõ habet locum in doctrina, & mente Anſelmi illa limitatio. Quin potius ipſe apertè ſupponit, etiam reſpectu Dei, nõ ſubſiſtere libertatem cum neceſsitate antecedente, etiam ſi à Deo ipſo proueniat, ac ſubinde neque ſaluari libertatem per diſtinctionem ſenſus compoſiti includentis talem ſuppoſitionem antecedentem, & à Deo ipſo prouenientem. Vnde Vuald. *loco infra citato* rectè intellexit, Anſelmum loquutum eſſe de neceſsitate, quam ipſe vocat neceſsitatem extraneam voluntati, quia prouenit ab extrinſeca cauſſa, & maximè, ait, excludere neceſsitatem præuenientem, quæ à Deo poſsit prouenire.

Nonò ſic arguit ex definitione libertatis ſuperius aſsignata, ad quam requiritur, quòd ſtantibus omnibus prærequiſitis ad agẽdum, etiam

ex parte Dei, voluntas poſsit agere, & non agere, & componere tam ipſum agere, quàm ipſum non agere cum omnibus illis prærequiſitis; Etenim præmotio Dei efficax, quam auctores ſententiæ contrariæ dicunt eſſe neceſſariam, vt voluntas actu operetur; ſi antecedenter ad concurſum liberi arbitrij ponatur in voluntate, erit vnum ex prærequiſitis ad agendum, & illo poſito, non poterit voluntas aliud agere, niſi id, quod ex tali ſuppoſitione neceſſariò ſequitur. Ergo illa neceſsitas, etiam ſi à Deo proueniat, repugnabit libertati.

Confirmatur, quia neceſsitas illa antecedens inuoluit formalem repugnantiam, & contradictionem cum libertate: implicat enim, quòd voluntas ſubdatur illi ſuppoſitioni, & actioni ex neceſsitate, & quod ſimul cum vera libertate, & indifferẽtia talem actionem eliciat. Ergo vndecunq; proueniat illa neceſsitas, ſiue à Deo, ſiue aliũde, repugnabit libertati; quia, quòd proueniat à Deo non tollit dictam repugnantiam, nec quicquam ad ſeruandam libertatem refert.

Decimò arguit. Quando ſuppoſitio eſt antecedens in ſenſu dicto, id eſt, non facta per vſum libertatis, ſed præueniens illum, ſi effectus eſt neceſſariò connexus cum tali ſuppoſitione, talis neceſsitas non eſt fundata in illo principio Ariſtotelico: *Impoſsibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*, vt iam ſupra declaraui; quia non ſunt idem id, quod ſupponitur, & quod neceſſariò ſequi dicitur. Ergo fundatur in alio principio: videlicet, impoſsibile eſt poni talem cauſſam ſic affectam, & ex illa non ſequi talẽ effectum VI.

fectum diſtinctum ab ea conditione, vel affectione, quæ in cauſſa ſupponitur; Ergo hæc non eſt neceſſitas ſenſus compoſiti, de quo Ariſtoteles, & Anſelm. qui illum allegat, & D. Th. qui illum exponit, & cæteri Theologi ſequuti ſunt; Ergo illa non eſt neceſſitas tantùm ſecundùm quid quæ dici ſolet conſequentiæ, ſed eſt neceſſitas ſimpliciter & conſequentis, quia eſt neceſſitas effectus ex ſua cauſſa, quæ eſt propria neceſſitas phyſica, quæ in ipſa effectione rei inuenitur: & non eſt tantùm illationis, & quaſi ex mentis comparatione, qualis eſt in neceſſitate eiuſdem rei ex ſui ipſius ſuppoſitione.

Vndecimò arguit, quia ſi ſuppoſitio illa antecedit *omnino* vſum libertatis, in eius poſitione non interuenit exercitium libertatis humanæ, nec etiam interuenit in emanatione effectus à tali ſuppoſitione, quia fit cum tanta neceſſitate, vt non ſubdatur dominio eiuſdem voluntatis, nec ipſa poſſit illam dimanationem impedire; ergo ille effectus in re ipſa non fit cum vſu libero voluntatis humanæ, ergo non eſt liber: Ergo ſenſus compoſitus ex tali ſuppoſitione non ſufficit ad ſaluandam libertatem.

VII. Duodecimò. Poſita huiuſmodi ſuppoſitione, voluntas, etiam ſpectata prius natura, quàm operetur, tantùm poteſt vnum agere, illud ſcilicet, quod ex tali ſuppoſitione ſequitur cum neceſſitate quoad exercitium; Ergo non agit, vt potens agere, & non agere poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum.

Hæc tamen argumẽta ne dum nõ infirmant, quæ

quæ circa neceſſitatem antecedentem,& conſequentem,ſiue in ſenſu compoſito; & diuiſo dixi *diſput.* 22.*de Auxiliis nu.*40.*& diſput.*25.*per totam*, & circa veram intelligentiam doctrinæ S. Anſelmi,quæ non poteſt eſſe aliena ab ea,quam docuit S. Augu. & S. Thom.vt ex eorum ſolutione ſententia noſtra ſolidior appareat, & clarior. Ad cuius explicationem ſupponenda ſunt, & recolenda, quæ dixi in diſputationibus præallegatis circa neceſſitatem in ſenſu compoſito, vel diuiſo, & aliàs conſimiles diſtinctiones, per quas concordatur libertas arbitrij, & actualis vſus illius cum diuina ſcientia, prouidentia, & prædeſtinatione, & efficacia auxiliorum præuenientis gratiæ, & quæ obſeruaui circa legitimum ſenſum ipſarum diſtinctionum, quibus ſuppoſitis facillimè ſoluuntur omnia argumenta multiplicitate,& obſcuritate verborum ſuperius propoſita contra eundem ſenſum, & contrà explicationes doctrinæ Sancti Anſelmi à me traditas.

Ad primum argum.reſpondetur,quòd verba illa inducta ex Sancto Anſelmo *lib.* 2. *Cur Deus homo,cap.*18.potius fauent noſtræ ſentẽtiæ,quàm eam impugnant: ait enim neceſſitatem quam fecit ipſemet operans eſſe ſubſequẽtem,& ideo non repugnare libertati: In noſtra autem ſententia illa neceſſitas in ſenſu compoſito operandi actum liberum,eſt neceſſitas,quam facit ipſemet operans eundem actum liberum voluntatis creatæ,nam prouenit, tanquam ex prima radice ab efficacia diuinæ volũtatis quæ per cauſſam ſecundam liberam ab eo motam producit VIII.

efficienter eundem actum liberum, vt 1. *part. quæſtion.* 19. *articul.* 8. *& aliis in locis* docet Sanctus Thomas: Ergo eſt neceſſitas, quam Sanctus Anſelmus docet non repugnare libertati. Et ratio eſt in promptu. Nam ſi efficacia diuinæ voluntatis per auxilium efficax præueniens efficit, vt voluntas de actu primo ſe reducat, & explicet in actum ſecundum liberum, quomodo tollit eius libertatem: ex hoc enim potius debet inferri, quòd Deus cauſſet, & perficiat noſtram libertatem, nam potentia libera, quandiu eſt in actu ſecundo multò perfectior eſt, quàm ſi exiſteret ſolùm in actu primo. Hæc ſolutio deſumitur ex viſceribus doctrinæ eiuſdem Anſelmi *lib. de concordia præd. c.* 2. paulò poſt princ. vbi ſic ait: *Quando Deus vult effectum ſequi voluntatem, tunc neceſſe eſt, voluntatem eſſe liberam, & eſſe quod vult.*

IX. Nec obſtant alia verba eiuſdem Anſelmi *cap.* 18. *citato*, videlicet, neceſſitatem præcedentem, quæ facit rem eſſe, repugnare libertati: loquitur enim de neceſſitate omnino præcedente, quæ facit rem eſſe, abſque libero concurſu, & determinatione voluntatis. Hæc enim neceſſitas eſt omnino præcedens. Deus autem, quamuis ſua voluntate efficaciſſima faciat verè efficienter, vt voluntas excitata, & mota auxilio efficaci, infallibiliter ſe determinet ad operandũ, & operetur talem actum: hoc tamen non efficit abſque libero concurſu, & cooperatione voluntatis creatæ. Vnde neceſſitas operandi ex ſuppoſitione decreti Dei abſoluti, atque efficacis auxilij præuenientis gratiæ, non eſt omnino præcedens,

ſed

ſed conſequens liberam determinationem primæ cauſſæ operantis per voluntatem creatam actum liberum. Et quamuis eiuſmodi neceſſitas, ſeu infallibilitas operandi actum liberum aliquo modo præcedat liberum concurſum volũtatis creatæ, ordine videlicet rationis, & cauſſalitatis, vt ſæpius diximus: non tamen præcedit illum tempore, ſed eſt ſimul in eodem inſtanti temporis. Vnde neceſſitas operandi fundata in prædicto decreto, & motione Dei efficaci, tãquam in prima radice, & cauſſa inuoluit in radice ipſum concurſum liberum, & primum initium actus liberi. Et ipſe actus liber non fit à Deo ſine libera cooperatione eiuſdem arbitrij, quam in eodem inſtanti temporis coniunctam habet. Semper enim eſt præ oculis habenda doctrina illa, quam ex Sancto Auguſtino docet Capreolus in 1. *ſententiarum diſtinctione* 28. *quæſtione* 1. *articulo* 3. *ad duodecimum*, vbi ait: *Quod non ſolùm iuuat nos Deus ad bonum velle partialiter conficiendo; ſed etiam quodam modo ſpeciali faciendo ipſam voluntatem partialiter concurrere; ita quòd ipſa voluntas partialiter concauſſat applicata, & quaſi inſtrumentaliter mota à Deo ad ſic partialiter concauſſandum.* Et poſtquã in confirmationem huius doctrinæ quædam loca Sancti Auguſtini retuliſſet, ſubdit: *Eum*, ſcilicet Auguſtinum, *diſtinguere duplicem Dei modum operandi circa bonum velle noſtrum. Vnus eſt ſibi proprius, in quo voluntas noſtra non cooperatur, vt pote facere nos velle. Ideo ait: Vt ergo velimus ſine nobis operatur. Sine nobis, inquam, operantibus, vt ſcilicet velimus: quia licet voluntas velit, & cauſſet volitionem: non* **Capreolus.**

non tamen facit ſe velle, aut cauſſare volitionem. Nec tamen quia Deus facit: ideo ipſa non cauſſat, ſed potius ideo cauſſat. Ex quibus verbis habetur, Deum, quantum ad primum modum operandi per auxilium efficax præcedere ordine rationis, & cauſſalitatis liberum concurſum arbitrij, quantum ad ſecundum verò modum operandi, ſecundùm quod attingit immediatè actum liberum in ſe ipſo, non præcedere, ſed ſimul eſſe cum libero concurſu eiuſdem voluntatis, quia Deus non efficit actum noſtrum liberum, niſi per voluntatem creatam, vt dictum eſt. Ex quibus habetur, quòd operatio Dei non præcedit omnino liberum concurſum noſtræ voluntatis: nam licet quantum ad primum modum illum præcedat, prioritate dumtaxat rationis, & cauſſalitatis: quantum ad ſecundum verò non præcedit, ſed ſimul cum liberi arbitrij concurſu actum ipſum liberum in ſe ipſo immediatè attingit.

X. Ad ſecundum argumentum reſpondetur, ex verbis illis Anſelmi, ſolùm concludi neceſſitatem, quæ ſequitur voluntatem iam volentem, eſſe neceſſitatem conſequentem, ſiue conſequentiæ, non obſtans libertati, quod & nos fatemur: & ſimiliter ex eiſdem verbis concluditur, neceſſitatem præcedentem omnino, id eſt, quæ infallibiliter inducit actum abſque libero concurſu potentiæ, à qua producitur, compati non poſſe cum eius libertate, id quod nos etiam fatemur, vt diximus in ſolutione ad primum. Et quidem, quod ita intelligatur Anſelmus, patet ex verbis illius, quæ in argumento aſſe

aſſeruntur, nam ponit exemplum in potentia motiua, videlicet in motione manus, in qua non eſt formaliter aliqua libertas intrinſeca; nam eius motus ſolùm dicitur liber denominatione extrinſeca, ſecundùm quod procedit ex imperio rationis, & libera motione voluntatis. Item etiam loquitur expreſsè de neceſſitate præcedente, qua cogitur potentia ad operandum, vt ex his, quæ in argumento adducuntur, euidenter conſtat. Decretum autem Dei efficax per motionem præuiam, qua mouet voluntatem ad operandum, & volendum, non producit ipſum velle, abſque libero concurſu, & cooperatione voluntatis, neque cogit illam ad conſentiendum ſed efficit, vt liberè, & infallibiliter ita conſentiat, vt poſſit diſſentire, ſi velit. Vnde ex verbis inductis Anſelmi nihil contra noſtram ſententiam probari poteſt.

Ad tertium argumentum reſpondetur, deſcriptionem illam, ſeu diſtinctionem neceſſitatis antecedentis & conſequentis eſſe adæquatam in ſenſu à nobis ſuperius aſſignato. Neque ex verbis Anſelmi aliquid colligitur cõtra eundem ſenſum, & ſententiam noſtram, vt ex præmiſſis conſtat.

Ad quartum argumentum dicitur, quod diſtinctio illa, qua vtitur Sanctus Anſelmus ad concordandam libertatem arbitrij cùm infallibilitate diuinæ præſcientiæ, prouidentiæ, & prædeſtinationis, non eſt impertinens, ſed valde accommodata ad rem, de qua tractabat, ſi in ſenſu legitimo ſuperius à nobis explicato intelligatur: Oſtendit enim actus voluntatis, qui XI.

cum

cum iudicio rationis indifferenti fiunt, habere quandam neceſſitatem ex præſcientia, & prædeſtinatione diuina, videlicet neceſſitatem conſequentiæ, ſiue infallibilitatis, cum qua conſiſtit libertas: actus verò voluntatis, qui neceſſariò fiunt neceſſitate *omnino* antecedente, per quam intellexit, vt ſupra dictum eſt, neceſſitatem ſecundùm ſe, & abſolutè, quia nimirum nullum inuoluit reſpectum ad liberam cooperationem potentiæ, cuius eſt actus, conſiſtere non poſſe cum libertate.

XII. Ad quintum reſpondetur. Ex illo exemplo, quod ponit Sanctus Anſelmus ad explicandam neceſſitatem præcedentem, quæ libertati repugnat, euidenter colligi, per talem neceſſitatem intelligere neceſſitatem abſolutam, qua res fit, abſque libera cooperatione potentiæ, ſicut contigit in his, quæ arbitrij libertatem non habent, ſic enim ait: *Neceſſitas præcedens, cauſſat neceſſitatem, ſicut neceſſe eſt cælum volui. Præcedens, & efficiens neceſſitas eſt cælum volui, quia neceſſe eſt, vt voluatur.* Et poſt pauca: *Violentia naturalis conditionis cogit cælum volui, te verò nulla neceſſitas facit loqui.* Et quamuis exemplum non debeat eſſe in omnibus ſimile, neceſſarium tamen eſt, vt ſit reuera ſimile in eo, ad quod explicandum adducitur: aliàs non eſſet ad propoſitum. Adducitur autem à Sancto Anſelmo exemplum motus cœli ad explicandum, quæ ſit neceſſitas præcedens obſtans libertati, & ait, quòd huiuſmodi neceſſitas eſt ſicut neceſſitas motus cœli, quam conſtat eſſe neceſſitatem abſolutam comparatione ipſius cœli: Ergo hæc neceſſitas præcedens

dens eſt; quæ ſecundùm Anſelmum repugnat libertati; non autem illa, quæ prouenit ex abſoluto decreto voluntatis diuinæ, atque ex auxilio efficaci præuenientis gratiæ. Nec obſtat, quòd Anſelmus adducit etiam exemplum in actibus voluntatis: nam hoc potius fauet nobis: Oporret enim, quòd etiam in his actibus neceſſitas præcedens obſtans libertati, ſit neceſſitas abſoluta procedens à potentia, abſque iudicio rationis indifferente, & abſque facultate operandi oppoſitum, ſi velit, vel non operandi, qualis reperitur in motibus voluntatis primò primis, & in amore beatifico. Aliàs doctrina Anſelmi procederet cum magna æquiuocatione, & tranſiret in eodem contextu de vna neceſsitate ad aliam, vt explicaret, quæ, & qualis ſit neceſsitas præcedens, de qua loquebatur, quod in tanto, & tam formali theologo nefas eſt ſuſpicari. Neque in verbis Anſelmi vltimo loco in eodem argumento adductis, aliquid inuenio, quod faueat ſententiæ contrariæ. Ex illis enim ſolùm concluditur, quòd veritas fidei virginis non fuit cauſſa, vt ille moreretur, &c. Sed ex hoc nihil poteſt inferri contra explicationem à nobis traditam verbis Anſelmi. Qualiter autem intelligatur illa propoſitio, quia hoc futurum erat; ideo ſcitur à Deo antequam fiat, explicatum eſt à nobis *diſput.* 16. *de Auxiliis*, de quo etiam egimus *lib.* 1. *cap.* 6. Manet ergo firma prima illa explicatio Sancti Anſelmi, quam *diſputatione* 22. *de Auxiliis ad nonum argumentum* adhibuimus.

XIII. Ad Sextũ argumentũ, quo ſecunda noſtra explic-

plicatio impugnatur, facilis etiam eſt reſponſio: Omnia enim, quæ in eodem argumento afferuntur ex Anſelmo, apertè fauent noſtræ ſententiæ. Fatemur enim eum loqui de neceſſitate antecedente, vel conſequente, nō ſolùm in aliis potentiis, ſed etiam reſpectu voluntatis, à qua debet actus liberè, vel neceſſariò procedere; nos autem libenter admittimus, etiam comparatione voluntatis humanæ neceſſitatem antecedētem, quæ obſtat libertati, vt in motibus voluntatis primò primis, & in amore beatifico, & ſimiliter neceſſitatem conſequentem modo ſuperiùs explicato, quæ non lædit libertatem, ſed potius perficit, vt in actibus, qui ab eadem voluntate excitata, & mota à Dei auxilio efficaci procedunt medio iudicio rationis indifferenti. Neceſſitas enim ex ſuppoſitione prædicti auxilij, & voluntatis Dei abſolutæ, quæ reperitur in his actibus, eſt neceſſitas, quam Deus ipſe per ipſam voluntatem ſe liberè determinantem efficit: & ideo reuocatur ad illam neceſſitatem, qua ſecundùm Ariſtotelem, omnis res dum eſt, neceſſe eſt eſſe, eo quòd nihil poteſt ſimul eſſe, & non eſſe. Vnde huiuſmodi neceſſitas ſecundùm Anſelmum, eſt neceſſitas conſequens, quia non antecedit omnino cauſſam libertatis, ſiue actus liberi.

Obiectio. Sed inſtant, quia licèt non antecedat hæc neceſſitas decretum, & influxū primæ cauſſæ, ſcilicet voluntatis diuinæ, ſed potiùs conſequatur ad illum, nihilominus verè antecedit influxum, & determinationem voluntatis creatæ. Ergo comparatione eiuſdem voluntatis creatæ hæc

hæc neceſſitas eſt antecedens. Ergo cum huiuſmodi neceſſitate non ſtat ſimul libertas eiuſdem actus.

Solutio. Reſpondetur ſupponendo imprimis, quòd Deus, ſiue eius voluntas abſoluta non eſt formaliter cauſſa neceſſaria, aut cōtingens, ſed ſolùm eminenter, quia nimirum propter ſuá efficaciam, & virtutem infinitam efficit per cauſſas neceſſarias effectus qui neceſſariò eueniunt, & neceſſariò procedunt à cauſſis ſecundis neceſſariis, & per cauſſas contingentes efficit ſimiliter effectus contingentes, vt 1. *p. q.* 19. *art.* 8. docet S. Th. Quia tamē Deus eſt formaliter cauſſa libera, & prima cauſſa efficiens eorum omnium, quæ quomodocumque habent eſſe, oportet, quòd actualis libertas, & determinatio, ſiue influxus liberi arbitrij, cùm ſit liberum per participationem, reducatur ad liberum per eſſentiam, quod eſt Deus, tanquam ad primam cauſſam efficientem, quòd voluntas creata ſe liberè determinet, vt *diſp.* 36. *&* 86. *de Aux.* latius oſtendimus, & patebit amplius in *c.* 6. *&* 7. Influxus ergo actualis Dei quo voluntatem noſtram adiuuat, vt velit, eſt duplex, vt ſupra diximus ex Sancto Auguſtino, & Capreolo, alius eſt præuius, non quidem prioritate temporis, ſed rationis, dumtaxat, & cauſſalitatis, de quo egimus ex profeſſo *diſp.* 18. *de Auxiliis.* Sed per iſtum influxum non attingit Deus immediatè actum noſtrum liberum, ſed potentiam ipſam, quam efficaciter mouet, vt ſic mota ſeipſam moueat, & liberè determinet ad operandum actum liberum, & non aliter, neque alio modo, quia non eſt ſim-

plicitet primum liberũ, aut primum ſe mouens, aut primum ſe determinans, ſed eſt ſe mouens ſecundum ſub motione, & determinatione primi liberi ſimpliciter. Alius eſt influxus ſimultaneus, quo ſimul cum libero influxu, & concurſu voluntatis attingit immediatè actum ipſum liberum, qui pendet efficienter à Deo tanquam cauſſa prima, & à libero arbitrio, vt à ſecunda cauſſa, & proxima ſubordinata primæ cauſſæ.

Quo fit, vt neceſſitas actus noſtræ voluntatis, quæ deſumitur ex concurſu Dei præuio, atque ex abſoluto decreto voluntatis diuinæ, non ſit neceſſitas *omnino* antecedens liberum concurſum noſtræ voluntatis, ſed inuoluit illum, tanquam effectum virtualiter contentum in determinatione, & operatione primæ cauſſæ, quæ mouet efficaciter voluntatem, vt mota ſe liberè moueat, & determinet, & cum ea ſe liberè determinante, ſimul producit actum liberum. Cùm ergo Deus ſuo decreto abſoluto, & auxilio efficaci præuenićtis gratiæ efficiat, vt voluntas mota medio iudicio rationis indifferenti ſe liberè moueat, & determinet, & operetur talem actum, non rectè infertur, quòd per tale decretum, & motionem lædatur libertas arbitrij, vel actualis vſus illius impediatur: ſed potius è contrario euidenter ſequitur, quòd per tale decretum, & auxilium libertas in actu primo præexiſtens in voluntate perficiatur, vt in actum ſecundum liberè, & infallibiliter exeat iuxta modum cõgruẽtem ſuæ naturæ. Neceſſitas ergo infallibilitatis actus eiuſdẽ voluntatis, ſiue ex ſuppoſitio

poſitione decreti Dei abſoluti, & auxilij efficacis eſt neceſſitas conſequens cauſſam liberam eiuſdem actus, quamuis operatio Dei, qua facit nos velle, antecedat prioritate cauſſalitatis liberam determinationem noſtri arbitrij, vt dictum eſt. Et ita debet intelligi S. Anſelmus. Quam explicationem ego accepi à S. Th. 1. *p.q.*19. *art.*8. *ad* 3. Vbi reſpondens ad argumentum de neceſſitate præcedenti, ſiue ex prioribus, quo aduerſarij conuincuntur, reſpondet his verbis. *Ad tertium dicendum, quòd poſteriora habent neceſſitatem à prioribus ſecundùm modum priorum. Vnde & ea, quæ fiunt à voluntate diuina, talem neceſſitatem habent, qualem vult Deus ea habere, ſcilicet, vel abſolutam, vel conditionatam tantùm, & ſic non omnia ſunt neceſſaria abſolutè.* Quibus verbis apertè docet Sanctus Thomas, neceſſitatem præcedentem, ſiue ex prioribus, quæ reperitur in actibus liberis, & prouenit ex efficacia diuinæ voluntatis, non eſſe abſolutam, ſed conditionatam. Et ideo actus liberos, & contingentes non eſſe abſolutè neceſſarios. Huic teſtimonio Sancti Thomæ, quod euidentiſſimum eſt, auctores contrariæ ſententiæ conantur ſatisfacere: ſed quam ſit aliena à mente Sancti Doctoris eorum explicatio, patebit infra. Non ergo tollitur libertas arbitrij per neceſſitatem præcedentem, ſicut à nobis explicatur, neque actualis vſus illius, ſed potius perficitur, & roboratur.

Imo verò ex contraria ſententia videtur inferri, liberum arbitrium nunquam habere actualem vſum libertatis: Nam voluntas nun-

quam ſe mouet, niſi prius à Deo moueatur, vt dictum eſt. Ergo ablata Dei motione præuia, qua Deus efficit, vt ſe moueat, & liberè determinet, manebit immota. Ergo nunquam habebit actualem vſum libertatis. Confirmatur. Decretum Dei efficax eſt cauſſa omnium, quę quomodocunque habent eſſe. Ergo niſi præſupponatur ex parte primæ cauſſæ hoc decretum Dei, quo voluit, & præuoluit, vt voluntas ſe liberè determinet, & cooperetur Deo, nunquam erit cooperatio voluntatis, ſeu liberi arbitrij, nec actualis vſus illius. Ergo neceſſitas infallibilitatis, qua reperitur in actu libero, neceſſariò debet fundari, tanquam in prima radice in efficacia ipſa, & cauſſalitate diuinæ voluntatis. Ergo ablata huiuſmodi cauſſalitate, & efficacia diuinæ voluntatis ceſſabit omnis cauſſalitas, & influxus liberi arbitrij, ac per conſequens manebit immotum, & abſque vſu actuali ſuæ libertatis.

XIV. Ad ſeptimum argumentũ reſpondetur, actũ hominis eſſe liberum, & vitalem per ordinem ad voluntatem Dei, & per ordinem ad volũtatem hominis, & ab vtraque produci effectiuè: aliter tamen, & aliter. Nam à voluntate hominis producitur effectiuè, vt à ſecunda cauſſa, & proxima: Cæterùm à voluntate Dei producitur effectiuè idem actus liber, & vitalis, vt à cauſſa prima, & vniuerſali, quæ per voluntatem creatam efficienter operatur eundem actum: neque hoc negari poteſt ab vllo Doctore, aliàs quomodo eſſet verum illud Iſaiæ: *Omnia opera noſtra operatus eſt in nobis Dominus?* Et illud Apoſtoli: *Deus*

Iſaiæ 26.
Philip. 2.

Digitized by Google

Deus eſt enim, qui operatur omnia in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate? Et illud, *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Si enim voluntas Dei, & efficax decretum illius, atque eius influxus non præcedit prioritate rationis, & cauſſalitatis concurſum; & determinationem noſtræ voluntatis, iam non operatur Deus actus noſtros liberos ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ: ſed potius ſecundùm conſilium, & determinationem voluntatis noſtræ; eo vel maximè, quia iuxta ſententiam, quam impugnamus, Deus ſolùm decreuit, quòd voluntas creata operetur, ſi velit: non tamen decreuit abſolutè, vt velit.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd neceſſitas alicuius actus ex ſuppoſitione decreti abſoluti voluntatis Dei, dupliciter poteſt eandem voluntatem conſequi. Primo modo conſequitur voluntatem Dei, & motionem ipſius, qua mouet aliquam potentiã, eam determinando ad vnum ex neceſſitate abſoluta abſque vlla facultate, qua poſſit operari oppoſitum, ſi velit, vel non operari, ſicut mouet ea, quæ libertatem non habent, & hæc neceſſitas eſt omnino antecedens, quæ obſtat libertati, quia licet conſequatur liberam voluntatem Dei; modificat tamen Deus ſuum concurſum, & influxum receptum in cauſſa naturali, vt faciat eam operari naturaliter, iuxta modum ſibi cõgruentem. Secundo modo poteſt conſequi voluntatem Dei operantem ad extra per concurſum, & motionem, qua efficaciter mouet potentiam, & facit, vt ipſa ſe determinet medio iudicio rationis XV.

indifferenti, & operetur actum liberum, ad quem mouetur à Deo. Et hæc neceſſitas eſt ſimpliciter conſequens, non obſtans libertati; nam licet radicaliter deſumatur ex decreto Dei, & motione illius efficaci:nihilominus tanquam ex cauſſa ſecunda,& proxima deſumitur, etiam ex libero concurſu, & cooperatione liberi arbitrij, & ex ipſo actu libero,quam Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur, ſicut dicitur in Concilio Arauſicano II. *Can.9.* Et ad illud, quod obiicitur de amore beatifico, iam ſupra reſponſum eſt: Manet ergo firma,& ſolida ſecunda explicatio doctrinæ Anſelmi, quam ſtatuimus in *libro noſtro de Auxiliis diſp.22. num.40.& 41.*

XVI. Ad octauum argumentum,quo tertia noſtra explicatio eiuſdem Anſelmi impugnatur. Reſpondetur,quòd Sanctus Anſelmus tractat quidem in illis locis de neceſſitate proueniente à Deo, nimirum à ſcientia, voluntate,& prædeſtinatione Dei, & ad concordandam libertatem arbitrij cum infallibilitate diuinæ præſcientiæ, & prædeſtinationis; nec non cum efficacia voluntatis diuinæ, vtitur illa diſtinctione de neceſſitate antecedente, & conſequente, qua etiam,& nos vtimur in ſenſu à nobis explicato: Dicimus tamen,& nunc iterum dicimus, quòd ſolus Deus, qui eſt auctor voluntatis, poteſt eam immutare, & efficaciter & efficienter transferre ab vno in aliud ſeruata eius libertate, vt expreſſis verbis docet Sanctus Thomas *2. ſententiarum diſtinctione vigeſima quinta, quæſtione prima articulo ſecundo ad primum.* Et *quæ-*

ſtione

ſtione vigeſima ſecunda de veritate, articulo octauo in corpore, & artic. nono eiuſdem quaſt. in corpore, quaſt. 3. de malo, articulo tertio in corpore & 1. parte quaſt. 106. articulo 2. in corpore, & 1. 2. quaſt. 111. articulo ſecundo in corpore, quod tamen efficere non poteſt aliud agens extrinſecum; eo quòd non habet abſolutam poteſtatem ſupra voluntatem creatam, nec poteſt ipſam interius immutare. Accedit, quòd Deus mouens efficaciter voluntatem non eſt agens à voluntate libera omnino extrinſecum, ſed intimum eidem iuxta illud Actor. 17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Et Ieremiæ 14. *Tu autem in nobis es Domine.* Vnde Sanctus Thomas *prima parte quaſtione octaua articulo tertio.* probat Deum eſſe in omnibus rebus per eſſentiam, præſcientiam, & potentiam; Et ideo ipſe ſolus poteſt immutare voluntatem liberam, ſalua eius libertate, & illam verè efficienter, & efficaciter mouere, vt liberè, & infallibiliter operetur, quod tamen efficere non poteſt aliud agens extrinſecum; nam ſolùm ſuadendo, inuitando, & alliciendo poteſt eam mouere, & transferre ab vno in aliud. Suaſio autem non cogit inuitum, nec mouet illum transferendo ab vno in aliud, niſi metaphoricè, vt *quaſt. 3. de malo. articul. 3. in corpore*, docet expreſsè Sanctus Thom. Vualdenſis autem vocat neceſſitatem extraneam à voluntate eam quæ imponit abſolutam neceſſitatem operandi: non autem illam, quæ infert medio iudicio rationis indifferenti neceſſitatem infallibilitatis operandi, ſiue neceſſitatem conſequentiæ. Quod ſi oppoſitum fortè ſentit, potius do- *Vuald.*

ctrinæ Sancti Thomæ, quàm Vualdenſis aſſentiendum eſt.

XVII. Ad nonum iam *ſupra cap.* 1. ex profeſſo explicuimus, in quo ſenſu intelligenda ſit illa deſcriptio libertatis, quod ſcilicet poſitis omnibus præréquiſitis poteſt operari, & non operari. Nec noſtra explicatio, & doctrina eſt contra definitionem libertatis, vt nobis obiicit auctor ſententiæ contrariæ *ca,6. allegato in margine*; cui tamen in primis reſpondemus, quòd ex hac obiectione colligitur manifeſtè doctrinam, quam defendimus, eſſe expreſſam S. Aug. Si quidem ſimilis obiectio fuit illi oppoſita ab illis, qui contendebant per adiutorium gratiæ Chriſti, quod ipſe prædicabat, deſtrui libertatem arbitrij, & fatalem quandam neceſſitatem induci, vt patet ex teſtimoniis, tum eiuſdem Sancti Auguſtini: tum etiam Sancti Hieronymi, & Proſperi à nobis adductis *diſp.* 1. *de Auxiliis n.*13. *& diſp.*2.*n.*17.*& diſp.*3.*num.*1.

Deinde reſpondemus, doctrinam noſtrá eſſe quidem contra definitionem libertatis Ciceronianæ; non tamen contra definitionem libertatis Chriſtianæ, quæ eſt libertas primo libero, ſcilicet Deo ſubiecta, à quo habet eſſe, poſſe, & actualiter operari hoc, vel illud, vt docet S. Aug. & Thom. Nos enim libertatem Chriſtianá defendere intendimus, & cum præueniente gratia efficaci concordare, & ſimul impugnare, & excludere libertatem, quam Cicero introducere voluit: Ille enim (ſicut dicit Aug.) *dum vult facere liberos, facit ſacrilegos*, & voluntati Dei, atque eius prouidentiæ minimè ſubiectos.

Aug. lib. 5. de Ciuita. Dei c.9. cir. medium.

Ad

Ad confirmationem reſpondetur, quòd neceſsitas antecedens, ſi abſoluta neceſsitas ſit, ex qua prouenit, quòd potentia determinetur naturaliter ad vnum, inuoluit formalé repugnantiam, & contradictionem cum libertate: ſi autem ſolùm ſit neceſsitas conditionata, qualis eſt neceſsitas operandi ex ſuppoſitione decreti abſoluti voluntatis Dei, & efficacis auxilij, de quo loquimur, non inuoluit contradictionem aliquam, vel repugnantiam cum libertate noſtri arbitrij, ſed potius eam proficit, vt dictum eſt, quia eſt neceſsitas operandi liberè. Vnde Augu. ait: *Rogandus eſt, vt velit, nam ſi velit neceſſe eſt, eſſe.* Ac per conſequens ſolùm eſt ibi neceſsitas ſecundùm quid, quæ mediatè, vel immediatè ſumitur ex actuali vſu eiuſdem libertatis. *Aug. in Enchir. ca. 103.*

XVIII. Ad decimum argumentum reſpõdetur, quòd neceſsitas ex ſuppoſitione decreti abſoluti voluntatis diuinæ, & præuenientis gratiæ efficacis, per quam Deus efficit, vt liberum arbitrium cooperetur Deo mouẽti, fundatur tanquam in prima radice, & cauſſa in omnipotentia, & efficacia voluntatis diuinæ; & in ipſa libera cooperatione arbitrij, tanquam in cauſſa proxima operationis liberæ, atque adeo talis neceſsitas fundatur in illo principio, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & nõ eſſe.* Sicut enim eſt neceſſariũ neceſsitate ex ſuppoſitione, ſiue infallibilitatis actum liberum eſſe, dum producitur à voluntate: ita etiam eſt neceſſarium eadẽ neceſsitate ex ſuppoſitione, vel infallibilitatis talem actum liberum eſſe, dum producitur à Deo per voluntatem, vt à prima cauſſa efficiente: nec eſt maior illa neceſſitas, quàm

iſta, cùm vtraque ſumatur à cauſſa libera operante eundem actum.

Ad vndecimum reſpondetur, quòd vt pluries iam diximus, ſuppoſitio illa, ex qua actus liber habet neceſſitatem infallibilitatis, non eſt ſuppoſitio *omnino* antecedens vſum libertatis voluntatis creatæ, quoniam illum coniunctum habet in eodem inſtanti temporis, vt ſupra explicatum eſt. Vnde emanatio effectus, videlicet actus liberi à tali ſuppoſitione non fit abſque libera cooperatione eiuſdem voluntatis: licèt enim efficax præmotio Dei non ſubdatur dominio voluntatis; eo quòd illa præmotio ſolùm eſt à Deo, vt à cauſſa efficiente, iuxta illud Pſal. 120. *Auxilium meum à Domino*. Et Oſeæ 13. *Perditio tua Iſraël, tantummodò ex me auxilium tuum*, nihilominus actus liber, ad quem Deus mouet, & ad quem motio ipſa dicit reſpectum; ſubditur dominio voluntatis humanæ, quæ ſupra ſuos actus dominium habet, ſed non primum, quia eſt Deo tanquam ſupremo Domino ſubiectum, vt *diſput.* 117. *de Auxiliis* oſtenſum eſt.

XIX. Ad duodecimum reſpondetur, quòd poſita prædicta ſuppoſitione, voluntas ſpectata prius natura, quàm operetur, imò & in eodem inſtanti, quo actualiter operatur, poteſt abſolutè loquendo agere, & poteſt non agere, quoniam & ſi infallibiliter agat actum illum, ad quẽ efficaciter mouetur à Deo: poteſt tamen abſolutè loquendo non agere eundẽ actũ. Quia ex tali ſuppoſitione non ſequitur, quòd agat actum illum cum neceſſitate abſoluta, quoad exercitium, ſed ſolùm

ſolùm cum neceſſitate conſequentiæ,& infallibilitatis,quæ eſt neceſſitas ſecundùm quid, non obſtans libertati, vt dictum eſt. Manet ergo firma tertia explicatio, quam in libro de Auxiliis adhibuimus circa diſtinctionem neceſſitatis ex ſuppoſitione,& neceſſitatis abſolutæ, per quam diſtinctionem Sanct. Auguſtinus, & Thomas, atque alij Doctores *diſput.25.de Auxiliis* allegati concordarunt libertatem arbitrij cum infallibilitate actus, quæ prouenit ex abſoluto decreto voluntatis diuinæ, & efficacia auxilij præoperantis gratiæ.

Qualiter, & in quo ſenſu S. Auguſtinus, & Thomas vtantur illa diſtinctione neceſſitatis antecedentis,& conſequentis,ſiue in ſenſu compoſito, & diuiſo ad concordandam libertatem arbitrij cum neceſſitate præcedente,ſiue ex ſuppoſitione.

CAPVT V.

AVCTOR ille, qui tres explicationes, quas *diſp.23. de Auxiliis nu.*40.& 41.& in hoc *lib.c.* 4. adhibuimus S.Anſelmo impugnat, contendit eaſdemmet explicationes eſſe contra doctrinam Sanctorum Aug.& Tho. quorum auctoritate ſuam ſententiam, & explicationem, S. Anſelmi, quam ipſe putat eſſe legitimam, conatur defendere, quòd nimirum neceſſitas præcedens, quæ ſumitur ex efficacia volũtatis diuinæ;& efficaci auxilio præuenientis gratiæ, I.

P. Suarez Prologom.1. c.6.n.22.

gratiæ, nulla præſuppoſita ſcientia media, non ſtet ſimul cum libertate noſtri arbitrij, vel cum actuali vſu eiuſdem libertatis, ſed ſit neceſſitas abſoluta, quæ formaliter repugnat libertati. Teſtimonia quibus conuincitur ſunt, quæ ſequuntur.

Primò ergo argumentatur auctoritate Sancti Auguſtini *libro 5. de Ciuitate Dei, cap.* 10. Vbi diſtinguit duas neceſſitates, vnam, quæ libertati repugnat, aliam, quæ optimè cum illa ſubſiſtit. Priorem dicit eſſe illam, *quæ non eſt in noſtra poteſtate*, ſub qua comprehendit Sanctus Auguſtinus illam omnem, quæ ab extrinſeco prouenit, etiam nobis nolentibus, quæ profectò pertinet ad antecedentem neceſſitatem. Vnde ſub *Auguſt.* alio membro comprehendere videtur Auguſtinus omnem neceſſitatem, quæ eſt ſine extrinſeca vi: Nam duo exempla illius ponit, ſcilicet, neceſſe eſſe Deum ſemper viuere, & omnia præſcire, quorum prius eſt abſolutè neceſſarium, poſterius tantùm ex ſuppoſitione obiecti; & ideo de hoc membro poſteriori ait Auguſtinus, non repugnare libertati, quia quatenus ſuũ obiectum ſupponit, eſt in noſtra poteſtate, & hoc eſt, quod ait; *Non propterea nihil eſt in noſtra poteſtate, quia Deus præſciuit, quid futurum eſſet in noſtra voluntate. Non enim qui hoc præſciuit, nihil præſciuit. Porro ſi aliquid præſciuit, profectò & illo præſciente, eſt aliquid in noſtra voluntate.* Vnde in fine concludit: *Non ideo homo peccat, quia Deus illum peccaturum præſciuit; ſed ideo non dubitatur ipſum peccare, dum peccat, quia Deus illum peccaturum eſſe præſciuit, qui ſi nolit, vtique non*

non peccat, ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſciuit.

Secundò id ipſum probat pluribus teſtimoniis Sancti Thomæ. Primũ teſtimonium habetur *lib. 1. Periher. lect. 15. in 1.* Vbi explicans axioma Ariſtotelis, *Omne, quod eſt quando eſt, neceſſe eſt eſſe*, dicit fundari in illo principio: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*, nam inde fit, vt quod eſt, neceſſe ſit eſſe, quando eſt. *Et hæc eſt* (inquit) *neceſſitas non abſoluta, ſed ex ſuppoſitione.* Et inferius in §. 2. ait: *Illud, quod non eſt abſolutè neceſſarium, fieri neceſſarium ex ſuppoſitione eiuſdem.* Ex quibus colligit iuxta mentem, ac ſententiam D. Thomæ verum ſenſum compoſitum excludentem neceſſitatem abſolutam contingentiæ, ſeu libertati contrariam, debere fundari in ſuppoſitione eiuſdem rei, cui attribuitur neceſſitas, & virtualiter debere includere illud principium: *Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe.* Ergo hic etiam ſenſus ſeruandus eſt in ſenſu compoſito, in quo dicitur actus liber neceſſariò euenire, vtique, vt in ſua hypotheſi includat actum ipſum liberè factum, vel futurum, quæ eſt neceſſitas conſequens ab Anſel. tradita. II.

Secundum teſtimonium habetur *libr. 2. Phyſicor. lect. 15. in principio*, vbi diſtinguendo duplicem neceſſitatem; abſolutam, & ex ſuppoſitione, generaliter pronuntiat, *quòd neceſſitas illa, quæ pendet ex cauſſis prioribus, eſt abſoluta*, quod in tribus cauſſis materiali, formali, & efficiente declarat. Et adiungit: *Quod autem habet neceſſitatem ab eo, quod eſt poſterius in eſſe, eſt neceſſarium ex conditione, vel ſuppoſitione*, quæ eſt mani-

feſta

feſta declaratio diſtinctionis Anſelmi in ſenſu tradito.

III. Si dicatur, quòd S. Thom. declarando illud prius membrum in cauſſa efficiente, exemplum ponit in motu ſolis, ex quo apparet, illum loqui de cauſſis naturalibus, ſeu inferioribus, non de cauſſa prima: Contra argumentatur. Nam hoc eſt in primis contra generalitatem priorum verborum, quæ non limitantur propter vnum exemplum, quia non oportuit in omnibus ſpeciebus cauſſarum efficientium exempla ponere, nam illud tanquam notius poſitum eſt. Deinde obſtat vis rationis, quæ non eſt minor in prima cauſſa, quàm in aliis. Præterea obſtat diffinitio primi membri, quæ, vt ſit adæquata, non admittit neceſſitatem ſecundi modi, niſi vbi non ex priori aliquo, ſed ex poſteriori ſequitur.

Tertium teſtimonium habetur 3. *p. q.* 46. *art.* 1. vbi cùm dixiſſet, quandam eſſe neceſſitatem ex aliquo exteriori, quod ſi ſit cauſſa efficiés, vel mouens facit neceſſitatem coactionis, ad excludendam hanc neceſſitatem à paſſione Chriſti, addit, non habuiſſe illam ex parte Dei: ergo intelligit, ſub illa violenta neceſſitate præueniente ex aliquo exteriori principio, includi etiam illam, quæ à Deo prouenire poteſt.

Quartum teſtimonium habetur *q.* 6. *de Mal. art. vnic.* vbi generaliter docet, ad libertatem actus voluntatis, quoad exercitium neceſſarium eſſe, vt ab extrinſeco principio, etiam à Deo ipſo, non neceſſitetur, vtique ex aliqua ſuppoſitione antecedente, & præuia. Vnde ſic inquit: *Deus,*

Digitized by Google

Deus, cùm omnia moueat ſecundùm rationem mobilium, leuia ſurſum, & grauia deorſum, etiam voluntatem mouet ſecundùm eius conditionem, non vt ex neceſſitate, ſed vt indeterminatè ſe habentem ad multa.

Hæc tamen ſententia aliena eſt omnino à mente Sanctorum Auguſtini, & Thomæ, non ſecus atque explicatio illa, quam idem auctor tribuit verbis Anſelmi, vt conſtat ex his, quæ dixi *capite præcedēti* & in *diſp. 25. de Auxiliis per totam*, vbi de illa diſtinctione neceſſitatis in ſenſu cōpoſito, & diuiſo, & de neceſſitate ex ſuppoſitione, vel neceſſitate abſoluta, & aliis conſimilibus egimus ex profeſſo, & oſtendimus manifeſtiſſimis teſtimoniis Sanct. Aug. & Thom. quæ ibi adduximus, neceſſitatem ex ſuppoſitione decreti efficacis voluntatis diuinæ, quo vult abſolutè, vt liberum arbitrium conſentiat, & cooperetur cum Deo, non tollere eius libertatem, neque actualem vſum illius, ſed potius eam cauſſare, perficere, & roborare. Ad cuius maiorem explicationem, & clariorem intelligentiam doctrinæ Sanctorum Auguſtini, & Thom. in hac parte, ſupponere oportet, quòd licet multoties doceant neceſſitatem ex ſuppoſitione præſcientiæ diuinæ non tollere contingentiam, & libertatem ab actibus liberis futuris, nomine *præſcientiæ*, non intelligunt ſcientiam mediam, quæ antecedit in ſigno rationis omne liberū decretum voluntatis diuinæ, vel eam præſupponit, vt auctores cum quibus diſputamus exiſtimant. Hanc enim præſcientiam Sanct. Auguſtin. & Thomas nunquam admiſerunt, quia videbant repugnare omnipotentiæ voluntatis diuinæ, & perfectioni gratiæ,

VI. [margin, beside "Hæc tamen ſententia"]
Not. [margin, beside "que actualem vſum"]

gratiæ, quæ nobis datur per Ieſum Chriſtum Redemptorem noſtrum, vt *diſp.7.de Auxiliis, & in aliis diſputationibus* probauimus. Per illam ergo præſcientiam futuri conſenſus, & cooperationis liberi arbitrij, intellexerunt præſcientiam fundatam tanquam in prima radice in decreto abſoluto voluntatis Dei, qui per auxilium efficax præuenientis gratiæ verè efficienter facit, vt voluntas mota eodem auxilio liberè conſentiat Deo excitanti, & mouenti, vt tandem hoc ipſum, quod eſt liberum noſtrum arbitrium cooperari cum gratia præuenienti, referatur ad ipſam gratiam, & ad Deum, tanquam ad principium effectiuum principium primum, & vniuerſale, & non tribuatur voluntati creatæ pro ſola, & innata eius libertate bonis, ac malis reprobis, & electis communi.

V. Et quidem, quòd Sancti Auguſtinus, & Thomas per ſcientiam prædictam, ſeu prçſcientiam intellexerint ſcientiam, quæ ſequitur in ſigno rationis liberum decretum diuinæ voluntatis prædeterminantis abſolutè actus omnes liberos, & contingentes futuros in tempore, cõſtat ex Sancto Auguſtino *epiſt.*105.*ad Sixtum, & libro de prædeſtinat. Sanctor. ca.*14.*&* 17. *& lib.*1.*de Anima, & eius origine*; cuius verba adduximus *diſput.*7.*de Auxiliis num.* 10. Et idipſum ibi confirmaui manifeſtiſſimis teſtimoniis Sanctorũ Proſperi, & Hilarij *epiſt. ad Auguſtinum.* Quæ propterea in præſenti non repeto.

Præterea id ipſum probatur. Nam Sanctus Auguſtinus expreſsè docet ſcientiam Dei, qua præſcit res eſſe futuras, eſſe cauſſam rerum, atquo

atque adeo iſtam cauſſalē eſſe veram, quia Deus præſcit hoc futurum eſſe, ideo futurum eſt: hanc autem eſſe falſam, quia hoc futurum eſt; ideo præſcitur à Deo, vt patet *lib.* 15. *de Ciuitate, cap.* 13. *& lib.* 6. *cap.* 10. cuius verba adduximus *diſputat.* 16. *de Auxiliis numero* 6. Et idem docet Sanctus Thomas 1. *parte quæſt.* 14. *artic.* 8. *ad* 1. de quo etiam plura dicta ſunt *lib.* 1. *capite* 6. *nu.* 20. *&* 21. Scientia autem Dei non eſt cauſſa rerum, niſi habeat adiunctum liberum decretum diuinæ voluntatis, vel illud in ſigno rationis præſupponat: nam, vt dicit Sanct. Thom. *quæſt.* 2. *de verit. art.* 14. *in corp. & ad ſecundum, mediante voluntate proueniunt res à ſcientia Dei*, quod etiam docet 1. *parte, quæſtione* 19. *articulo* 4. *ad* 4. Ergo ſentiunt infallibilitatem cuiuſcunque futuri contingentis, & liberi, certitudinem præſcientiæ diuinæ fundari, tanquam in prima radice, & cauſſam in abſoluto, & efficaci decreto voluntatis diuinæ. Sentiunt ergo neceſſitatem in ſenſu compoſito, ſiue ex ſuppoſitione eiuſdem decreti abſoluti non repugnare libertati actus futuri, neque impedire actualem vſum illius, etiam ſi hæc neceſſitas infallibilitatis deſumatur ex cauſſa præcedente ordine rationis, & cauſſalitatis actualem cooperationem, & influxum noſtri liberi arbitrij.

Denique id ipſum probatur teſtimonio efficaciſſimo Sanct. Thom. 1. *p. q.* 19. *a.* 8. *in* 3. *arg. & eius ſolutione.* Vbi expreſſiſſimè docet, non ſemper eſſe neceſſariū abſolutè, quòd habet neceſſitatem ex priori. Ait enim: *Quòd poſteriora habēt neceſſitatem à prioribus, ſecundùm modum priorum, vnde, &*

ea, quæ fiunt à voluntate diuina, talem neceſſitatē habent, qualem vult Deus ea habere, ſcilicet, vel abſolutam, vel conditionatam tantū, & ſic non omnia ſunt neceſſaria abſolutè. Quibus verbis apertè docet non eſſe neceſſarium abſolutè omne illud, quod eſt neceſſarium ex decreto voluntatis diuinæ, tanquam ex cauſſa priori, niſi quando Deus vult vt habeat neceſſitatem abſolutam, quæ libertati repugnat: Deus autem non vult, quòd omnia habeant neceſſitatem abſolutam, ſed ſolùm ea, quæ per naturam ſunt ad vnum determinata, qualia ſunt ea, quæ libertatem non habent. Quædam verò voluit, vt ſolùm habeant neceſſitatem conditionatam, & ex ſuppoſitione, ſiue infallibilitatis, quæ eſt neceſſitas ſecundùm quid non obſtans libertati, vt *diſputatione* 25. *de Auxiliis* viſum eſt: Ergo iuxta ſententiam S. Thomæ neceſſitas infallibilitatis, ſeu conſequentiæ, quæ in actibus humanis deſumitur ex decreto antecedenti, & abſoluto diuinæ voluntatis, non præiudicat libertati humanæ, nec actualem vſum illius impedit, ſed potius cauſſat, & perficit.

VI. Ad primum argumentum reſpondetur, quòd Sanctus Auguſtinus expreſſe admittit neceſſitatem ex ſuppoſitione decreti abſoluti voluntatis diuinæ cum libertate actus, quem vult à nobis fieri: Explicans enim illud 1. *ad Timotheum* 2. *Qui vult omnes homines ſaluos fieri*, ait: *Rogandus eſt, vt velit, quod ſi vult, neceſſe eſt fieri.* quem locum explicans Sanctus Thomas *prima parte quæſtione* 19. *articulo* 8. *ad primum*, inquit: *Per gloſſam Auguſtini intelligenda eſt neceſſitas in rebus volitis à Deo, non abſoluta*

1. Timoth. 2.
Au. in ench. c. 103.

abſoluta ſed conditionalis; *neceſſe eſt enim hanc conditionalem veram eſſe*: *Si Deus hoc vult neceſſe eſt hoc eſſe.* Nec poteſt dici Sanctum Auguſtinum, & Thomam ante decretum Dei abſolutum præſuppoſuiſſe in Deo ſcientiã mediam cooperationis futuræ ex hypotheſi, ex qua tanquam ex prima radice deſumatur certitudo, & infallibilitas prædeſtinationis cuiuſcumque piæ operationis noſtri arbitrij, quia Sanctus Auguſtinus & Thom. expreſsè docent prædeſtinationem, quantum ad effectus aſſequutionem eſſe certam, & infallibilem certitudine ordinis, & cauſſalitatis mediorum, vt manifeſtiſſimis teſtimoniis vtriuſque Sancti Doctoris oſtendimus ex profeſſo *diſputatione* 41. *de Auxiliis.* Accedit, quòd Sanctus Auguſtinus, & Thomas nunquam approbauerunt, nec ſuppoſuerunt ſcientiam mediam, vt ſupra oſtenſum eſt. Ex locis autem Auguſtini in argumento inductis ſolùm concluditur, actum liberum eſſe in noſtra poteſtate, & ſcientiam Dei, qua cognoſcit futura contingentia, & libera non repugnare libertati, & præſcientiam Dei non eſſe cauſſam, quòd homo peccet, quod & nos fatemur. Sed ex his, non rectè infertur neceſſitatem ex ſuppoſitione decreti abſoluti præexiſtentis in Deo, quo vult, vt homo operetur talem actum, eſſe neceſſitatem abſolutam. *Lib. 1. c. 1. n. 17. & c. 2. n. 2. & ſeq.*

VII. Ad ſecundum argumentum deſumptum ex primo teſtimonio S. Tho. iam ſupra explicatum eſt, qualiter neceſſitas ex ſuppoſitione diuini decreti, & efficacis auxilij præuenientis gratiæ fundetur in illo principio, impoſſibile idẽ ſimul eſſe

Digitized by Google

& non eſſe, nam in ipſa ſuppoſitione inuoluitur habitudo ad liberam cooperationem arbitrij infallibiliter futuram, vt ipſi etiam concedunt. Eſt tamen differentia. Nam illi arbitrantur prædictam cooperationem arbitrij vt emanat ab eodem arbitrio; eſſe quidem præcognitam à Deo per ſcientiam, quam vocant mediam; non autem cauſſatam ab ipſo Deo, neque ab auxilio efficaci præuenientis gratiæ in genere cauſſæ verè efficientis, ſeu phyſicæ: ſed ſolum in genere cauſſæ moralis, quamuis aſſerant, quòd ſuppoſita determinatione, & cooperatione liberi arbitrij à Deo præcognita, Deus concurſu ſimultaneo, & coinſtantaneo ſimul concurrit efficienter, & phyſicè cum libero arbitrio ad piam operationem, vt cauſſæ partiales eiuſdem cooperationis, ſicut duo trahentes nauim ſimul concurrunt ad motum nauis. Nos autem exiſtimamus, quòd talis cooperatio liberi arbitrij, vt emanat ab eodem arbitrio, non ſolùm eſt à Deo præcognita; ſed etiam præuolita voluntate abſoluta, & cauſſata, tum in genere cauſſæ moralis, tum etiam in genere cauſſæ efficientis, & phyſicæ, vt *capite* 6. patebit: Imo ideo Deus præſciuit cooperationem liberi arbitrij cum gratia eſſe infallibiliter tali tempore, & cum tali intenſione futuram; quia prædefiniuit, & voluit, ac verè efficienter facit, vt ſic eſſet futura ex ipſo decreto Dei, & auxilio efficaci.

Ad 2. teſt. Ad ſecundum teſtimonium, ex *ſecundo phyſicorum* reſpondetur, Sanctum Thomam ibi apertè loqui de cauſſis prioribus determinantibus

tibus naturaliter ad vnũ, vt patet ex ipſis exemplis à Sancto Doctore adductis. Nam de cauſſa prima, & vniuerſaliſſima, hoc eſt, de voluntate diuina, quæ eſt cauſſa prima cuiuſcumque humanæ operationis expreſsè docet *1. parte, quæſtione* 19. *allegata*, quòd non infert in actibus humanis neceſſitatem abſolutam, ſed ſolùm conditionatam, quæ libertati non repugnat. Et per hæc pàtet ad ea, quæ in replica proponuntur: dicimus enim, quod diuiſio illa Sancti Thomæ, qua diuidit neceſſitatem in abſolutam, & ex ſuppoſitione, eſt adæquata, neque vnum membrum includitur in altero, iuxta quam omnis neceſſitas ex cauſſa priori, quæ non inuoluit habitudinem ad futurum actum liberum, eſt neceſſitas abſoluta vndecumque proueniat. Neceſſitas autem ex ſuppoſitione decreti abſoluti voluntatis diuinæ, & præuenientis auxilij efficacis inuoluit habitudinem ad cauſſam ſecundam liberam, quam mouet ad eius actum, quem per voluntatem cauſſat: Et ideo iuxta doctrinam Sancti Thomæ talis neceſſitas, quamuis ſumatur ex cauſſa priori, non eſt neceſſitas abſoluta, ſed ſolùm ex ſuppoſitione, vel conditionata, quæ libertatem actus non tollit; ſed potius cauſſat, cùm per talem ſuppoſitionem reducatur cauſſa ſecunda libera de actu primo ad actum ſecundum liberum, vt dictum eſt.

Ad tertium teſtimonium ex 3. *parte* reſpondetur ſimiliter, non eſſe contra noſtram ſententiam. Nam ibi loquitur expreſſe Sanct. Thom. de cauſſa exteriori creata inferente vim naturæ, VIII.

nõ autẽ de prima,& vniuerſaliſſima cauſſa præmouente efficaciter cauſſam ſecũdã liberam ad operandum, vt ex dictis conſtat; etenim nulla creatura poteſt pati violentiam, dum mouetur à Deo immediatè vt 1.2. *q.6.a.4.d.*37.ex profeſſo oſtendimus. Accedit, quòd Deus non eſt cauſſa omnino à nobis extrinſeca cùm ſit intima in omnibus rebus per eſſentiam,præſentiam,& potentiam,vt 1.*p.q.*8.*a.*3.probat Sanctus Thomas,vnde non comprehenditur ſub cauſſis extrinſecis quæ vim inferunt, vel coactionem.

Et per hæc reſpondetur ad quartum teſtimonium ex *quæſtione 6. de malo*, quòd cùm ait Sanctus Doctor ad libertatem actus voluntatis quo ad exercitiũ requiri,quod ab extrinſeco principio nõ neceſſitetur,loquitur expreſsè de neceſſitate abſoluta: non autẽ de neceſſitate cõditionata,quæ prouenit ex abſoluto decreto volũtatis diuinæ, & præuenientis auxilij efficacis, nam in aliis locis ſupra inductis apertè docet cum huiuſmodi neceſſitate integram ſeruari libertatem arbitrij,& actualem vſum illius.

Secundò reſpondetur, quòd Deus non eſt agens omnino extrinſecum à creata voluntate, nã eſt illi intimè præſens per eſſentiam,præſentiam, & potentiam, ſicut etiam eſt in omnibus rebus, vt ſupra dictum eſt ex S. Thoma.Vnde bene poteſt creata voluntas neceſſitari à Deo ad aliquem actum liberum neceſſitate infallibilitatis, abſque eo, quod præiudicet eius libertati. Hæc ſolutio habet magnum fundamentum in Sanct.Thoma 1.*parte quæſt.* 111.*a.*2. *in corpore*,vbi ait: *Quòd voluntas poteſt mutari dupliciter.*

citer. Vno modo ab interiori, & ſic cùm motus voluntatis non ſit aliud, quàm inclinatio voluntatis in rem volitam, ſolius Dei eſt, ſic immutare voluntatem, qui dat naturæ intellectuali virtutem talis inclinationis, &c. Alio modo mouetur voluntas ab exteriori, per modum ſuadentis, & ſic mouetur ab Angelo. Ex quo Sanctus Doctor concludit *quæſtione* 106. *articulo* 2. *quòd ſolus Deus efficaciter po eſt mouere voluntatem. Angelus autem, & homo per modum ſuadentis, vt ſupra dictum eſt.* Quibus verbis apertè docet S. Thom. quòd Deus non eſt principium extrinſecū motus voluntatis, ſed internum. Et ex hoc infert ibi quod poteſt efficaciter mouere voluntatem iuxta modum propriæ naturæ, ſeruata eius libertate; quod tamen efficere non poteſt Angelus, aut homo, quia eſt principium externū eiuſdem motus, & ideo ſolùm per modum ſuadentis poſſunt eam mouere, non autem verè efficienter, & efficaciter. Et 3. *contra gentes cap.* 88. ex eo probat quòd ſubſtantiæ ſeparatæ creatæ non poſſunt eſſe cauſſa directa electionum, & voluntatum noſtrarum, quia ſolus Deus eſt principium internum motus voluntatis, aliæ verò ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt principium externum eiuſdem motus. Et ſunt valde expendenda eius verba. Sic enim loquitur *in* 4. *ratione: Violentum, vt dicitur in* III. *Ethi. eſt, cuius principium eſt extra, nihil conferente vim paſſo: ſi ergo voluntas moueatur ab aliquo exteriori principio, erit violentus motus: dico autem moueri ab extrinſeco principio, quod moueat per modum agentis, & non per modum finis:*

 vio-

violentum autem voluntario repugnat: Impoſſibile eſt ergo, quòd voluntas moueatur à principio extrinſeco, quaſi ab agente: ſed oportet, quod omnis motus voluntatis ab interiori procedat: nulla autem ſubſtantia creata coniungitur animæ intellectuali, quantum ad ſua interiora, niſi ſolus Deus, qui ſolus eſt cauſſa ipſius, & ſuſtinens eam in eſſe: A ſolo ergo Deo poteſt motus voluntarius cauſſari.

Vtrum determinatio, ſeu influxus, & cooperatio liberi arbitrij cum auxiliis præuenientis gratiæ, vt emanat à libero arbitrio ſit effectus Dei, ſiue operationis diuinæ in genere cauſſæ verè efficientis, ſeu phyſicæ, an ſolùm in genere cauſſæ moralis.

CAPVT VI.

I. VT titulus quæſtionis manifeſtus fiat, & id de quo eſt controuerſia intelligatur, aduertere oportet, omnes Doctores in hoc conuenire, quòd Deus illuminando intellectum, & excitando voluntatem, & interius eam alliciendo, vt proſequatur bonum ſibi propoſitum (quod pertinet ad genus cauſſalitatis moralis) eſt cauſſa, quòd liberum arbitrium ſe determinet ad proſequendum bonum illud ſibi propoſitum, & in eodem genere eſt etiam cauſſa curſus, & influxus voluntatis, vt emanat à libero arbitrio: cõtrouerſia tamen non modica eſt inter illos, & diſſenſio,

Vtrum

Vtrum non ſolùm in hoc genere cauſſalitatis moralis;ſed etiam in genere cauſſæ phyſicæ,hoc eſt,verè efficientis,vt diſtinguitur contra ſolam cauſſalitatem moralem, Deus per auxilium efficax præuenientis gratiæ , qua præueniens eſt, ſit cauſſa efficiens , vt noſtrum liberum arbitriũ influat in actum , ad quem mouetur à Deo: Ita nimirum, vt ipſa cooperatio liberi arbitrij cum auxiliis gratiæ , & influxus , vt emanat à libero arbitrio ſit effectus gratiæ , ſeu primæ , & vniuerſaliſſimæ cauſſæ in genere cauſſæ verè efficientis,& propriȩ.Hanc difficultatem diſcuſſimus *diſp.86.de Auxiliis*:Et ideo nunc eſt breuiter abſoluenda.

II. Quidam moderni Doctores, vt *eadem diſputatione* notauimus , ſentiunt , quòd licèt Deus per auxilium efficax præuenientis gratiæ verè efficienter , & phyſicè efficiat ſimul cum libero arbitrio actum ſupernaturalem , ſi voluntas ſe ad illum determinare voluerit : negant tamen, quòd Deus per idem auxilium verè efficienter, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ faciat liberum arbitrium cooperari , ſeu influere ſimul cum præueniente gratia in actum liberum. Vnde omnia loca Scripturæ,Conciliorum , & Patrum, quæ aſſerunt , Deum per gratiam præuenientem facere,vt faciamus,& operari,vt operemur, quatenus aliqua ratione id ſoli Deo , & gratiæ præuenienti tribuitur,explicant de ſola efficientia morali , quæ fit tantummodò ſuadendo,inuitando,& alliciendo,etiam interius, eo modo, quo Deus per ſcientiam mediam præſcit voluntatem noſtram præſtituram conſenſum ex

hypotheſi, quod in talibus circunſtantiis conſtituatur. Defendunt hanc ſententiam Molina *in concord. quæſtione* 23. *articulo* 5. *diſp.* 1. *membro* 7. §. *ad primum.* Suarez *libro* 3. *de Auxiliis cap.* 5. *n.* 4. 5. *&* 10. *& cap.* 11. *n.* 7. *& cap.* 12. *n.* 4. *&* 10. *& alii.* Argumenta, quibus conuincuntur, propoſita ſunt, & ſoluta *diſp.* 86. *allegata.*

Molina.

Suarez.

III. Nos autem iterum dicimus, ſicut in eadem diſputatione præmiſimus, Deum per gratiam præuenientem, vt præueniens eſt, non ſolùm moraliter, ſed etiam verè efficienter facere, vt faciamus, & operari, vt operemur: ita nimirum, vt libera cooperatio, & conſenſus arbitrij, ſiue influxus cum gratia, vt emanat à libero arbitrio ſit in genere cauſſæ verè efficientis, ſeu phyſicæ effectus primæ, & vniuerſaliſſimæ cauſſæ, ſcilicet Dei præmouentis per ſuam gratiam voluntatem noſtram, vt liberè cooperetur, & concurrat cum Deo ad actum liberum ab vtroque pendentem, non quidem, vt à duabus cauſſis partialibus, ſicut ſunt duo trahentes nauim comparatione motus nauis, ſed totalibus in ſuo genere, quarum vna, ſcilicet liberum arbitrium intrinſecè ſubordinatur alteri, videlicet Deo, à quo efficienter dependet, non ſolùm in eſſe, ſed etiam in hoc, quod eſt actualiter cooperari. Hæc ſententia probata eſt à nobis *diſp.* 86. *de Auxiliis.* efficaciſſimis rationibus. Ideo nunc eſt breuiter corroboranda.

IV. Probatur ergo primò vrgendo argumentum, quod ibi tetigimus ex Conc. Arauſicano *Can.* 9. vbi dicitur: *Quoties bona agimus Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur operatur.* Quo in loco ver-

Digitized by Google

co verbum illud *operatur* ſignificat veram, & propriam operationem cauſſæ efficientis, non ſolùm quando operatur nobiſcum opus pium per concurſum ſimultaneum, ſed etiam quando per gratiam præuenientem operatur in nobis, vt operemur, faciendo nos facere, iuxta illud *Ezech. 36. faciam, vt faciatis*; aliàs profectò in illa diffinitione eſſet magna æquiuocatio in eodem verbo ſi intelligeretur de ſola operatione morali, ſiue per modum ſuadentis, cùm ait: *Deus in nobis, vt operemur operatur*, cùm verò inquit, *atque nobiſcum operatur*, intelligeretur de vera, & reali operatione phyſica, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ, vt diſtinguitur contra ſolam cauſſalitatem moralem. Ergo neceſſariò dicendum eſt, Deum per gratiam præuenientem verè efficienter, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ operari in nobis, vt operemur, & facere, vt faciamus, ac per conſequens determinatio, & cooperatio noſtri liberi arbitrij cum præueniente gratia erit effectus operationis diuinæ, & eiuſdem gratiæ in genere cauſſæ verè efficientis.

Si dicatur, quod Deus cùm nos præuenit ſua gratia, operatur verè efficienter, ac phyſicè in nobis, vt operemur, quia verè efficienter cauſſat in nobis illuſtrationem intellectus, & excitationem voluntatis per motus indeliberatos, quibus voluntas excitata, & adiuta ſe determinat ad operandum, & operatur. Contra hoc eſt efficax argumentum, nam vel per huiuſmodi illuſtrationem intellectus, & excitationem voluntatis eſt Deus cauſſa verè efficiens, & phyſica, quòd liberum arbitrium ſe determinet, & *Solutio.* *Impugnat.*

coope-

cooperetur cum gratia, vel ſolùm eſt cauſſa moralis eiuſdem determinationis, & cooperationis arbitrij. Si detur primum, habemus intentum, quòd nimirum determinatio, & cooperatio arbitrij eſt effectus operationis diuinæ, & præuenientis gratiæ actualis in genere cauſſæ verè efficientis. Si verò ſolùm concedant ſecundum; Ergo non admittunt re vera Deum per gratiam præuenientem operari verè efficienter, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ: vt operemur, nec facere verè efficienter, vt faciamus, ſed ſolùm moraliter ſuadendo.

Confirmatur, nam etiam Oratores, & prædicatores Euangelij aliquid phyſicum operantur, quando verbis excitant peccatores, vt piè operentur, quia verba proferunt, quibus per aures excitetur voluntas, quæ quidem verba, & excitatio ſunt aliquid phyſicum: & tamen non efficiunt ad modum cauſſæ phyſicæ, quòd voluntas audientium piè operetur, ſed ſolùm in genere cauſſæ moralis. Ergo, vt Deus per gratiam præuenientem dicatur verè efficiẽter facere in nobis, vt faciamus, & operari, vt operemur, non ſufficit, quod verè efficienter cauſſat in nobis illuſtrationem intellectus, & motus indeliberatos voluntatis, quibus illi ſuadet bonum propoſitum per intellectum; ſed vltra hoc requiritur, quòd verè efficienter faciat per eandem gratiá præuenientem, quòd voluntas creata ſe liberè determinet, & cooperetur cum Deo piam operationem.

V. Secundò probatur. Cooperatio, & influxus actualis, ſeu determinatio volũtatis ſub propria & for-

& formali ratione,vt emanant à libero arbitrio, vel eſt aliquid, vel nihil. Si eſt aliquid,oportet, quòd ſit ens creatum,& ens per participationẽ, ac per conſequens debet reduci ad primum ens per eſſentiam,ſcilicet ad Deum,tanquam ad primam cauſſam per ſe efficientem,aliàs ſequerentur duo magna inconuenientia, vt probat Sanctus Thomas *in 2.ſententiarum diſtinct. 37. quæſt. 2.art.2.in corp.* Alterum eſt: *Quòd ſint plura prima principia:hoc enim eſt de ratione primi principii,vt agere poſſit ſine auxilio prioris agentis, & influentia eius,vnde ſi voluntas humana actionem aliquam poſſet producere, cuius autor Deus non eſſet, voluntas humana rationem primi principij haberet.* Vel ſaltem ſequeretur, quòd liberum arbitrium creatum,licèt non eſſet primum ens ſimpliciter, *Euitari non poſſet quin eſſet primum agens, ſi eius actio in aliquod prius agens non reduceretur,ſicut in cauſſam.* Secundum inconueniens eſt,nam ſequeretur quòd, *Deus non eſſet vniuerſalis cauſſa omnium entium, quod eſt contra perfectionem primi entis.* Si verò talis determinatio, & cooperatio noſtræ voluntatis eſt nihil:ſequitur aliud maximum inconueniens, quòd ſcilicet noſtrum liberum arbitrium nihil faciat,quando conſentit, & cooperatur Deo excitanti,& mouenti, quod tamen eſt contra expreſſam definitionem Sacri Concilii Tridentini *Seſsione 6. de iuſtificatione Canone 4.*

Nota illa verba S. Thom.

Hoc argumentum diſſoluere conantur authores oppoſitæ ſententiæ. Dicunt enim, concurſum liberi arbitrij poſſe dupliciter conſiderari.Primò entitatiuè,& ſic nihil aliud eſt,quàm

Solutio.

ipſa

ipſa actio volendi, & ſub hac ratione fatentur, quòd liberi arbitrij concurſus ſimul eſt à Deo, & à libero arbitrio. A Deo quidem, vt à cauſſa prima: à libero autem arbitrio, vt à cauſſa proxima, & vitali. Secundò poteſt conſiderari formaliſſimè in quantum eſt influxus,&cooperatio liberi arbitrij; & ſub hac ratione importat intrinſecum ordinem ad ipſum liberum arbitrium creatum,& ideo ſub hac ratione non poteſt efficienter procedere à Deo.

Hæc tamen ſolutio vim argumenti non euacuat,ſed ſubterfugere videtur eius vim, & efficaciam, nam ratio facta procedit de influxu,& cooperatione arbitrij formaliter,vt influxus, & cooperatio illius eſt.Etenim, etiam ſub hac ratione,vel eſt aliquid,vel nihil. Si nihil,manet in ſuo robore argumentum factum; quòd nimirum liberum hominis arbitrium nihil faciat, quando conſentit,& cooperatur Deo excitanti, & mouenti.Si verò eſt aliquid,oportet,quòd ſit aliquid per participationem. Ergo neceſſarium eſt,quòd etiam ſub eadem formali ratione pendeat à Deo, vt à prima cauſſa efficiente; nam quamuis talis cooperatio formaliter dicat intrinſecum ordinem ad liberum arbitrium creatum,tanquam ad cauſſam proximam vitaliter,& liberè concurrentem ad actum volendi; ac per conſequens ſub hac ratione non poſſit pendere à Deo,vt à cauſſa proxima,& immediata:negari tamen non debet,nec poteſt, quod ſub eadem ratione dicat intrinſecam, & realem dependẽtiam à Deo,vt à prima cauſſa,non ſolùm moraliter mouente;ſed etiam verè efficiente, quòd libe-

liberum arbitrium influat, concurrat, & cooperetur cum Deo actum illum ad quem mouetur: aliàs non vitantur inconuenientia, quæ ex poſitione contraria infert S. Thom. *loco ſuperius allegato.*

Tertiò idipſum efficaciſſimè confirmatur, nam vt docet Sanctus Thomas *articulo 2. allegato*, quod non habet à ſe ipſo eſſe, non habet à ſe ipſo actualiter operari, ſed hoc ipſum, quod eſt actualiter operari, accipit à Deo, à quo habet eſſe. Vnde filius Dei, quia non habet eſſe à ſe ipſo; ſed à patre, habet etiam à Patre operari; & non à ſe ipſo: ait enim: *Filius non poteſt à ſe facere quidquam,* & propter eandem rationem, etiam accepit à Patre, hoc ipſum, quod eſt ſpirare Spiritum ſanctum, vt definitur in Concilio Florentino in decreto fidei. Vbi ſic dicitur: *Et quoniam omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem, hoc ipſum quòd Spiritus ſanctus procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus eſt.* Quæ teſtimonia adduximus, & expendimus *diſp. 96. de Auxiliis numer. 3.* Sed liberum arbitrium creatum non habet eſſe à ſe ipſo, ſed à Deo. Ergo à Deo habet efficienter hoc ipſum, quod eſt ſe determinare, & cooperari cum gratia præueniente. Vnde Apoſtolus ait: *Quid habes, quod non accepiſti: Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Quem locum expendimus *diſputatione 97. de Auxiliis nu. 6.* VI. *Conc. Flor.* *1. Cor. 4.*

Confirmatur hæc ratio auctoritate S. Thomæ *q. 3. de malo art. 2. ad 4.* vbi ſic ait, *Manifeſtum eſt* *S. Thom.*

autem

autem; quòd cùm aliquid mouet alterum, non ex hoc ipſo, quod eſt mouens, ponitur, quòd ſit primum mouens. Vnde non excluditur quin ab altero moueatur, & ab altero habeat ſimiliter hoc ipſum, quod mouet. Similiter cùm aliquid mouet ſe ipſum non excluditur, quin ab alio moueatur, à quo habet hoc ipſum, quod ſe ipſum mouet, & ſic non repugnat libertati, quòd Deus eſt cauſſa actus liberi arbitrii, quo nihil clarius pro noſtra ſententia poteſt adduci.

VII. Quartò probatur Nam, vt ſuperius *lib. 2. cap.* 10. oſtenſum eſt, Concilia, & Patres ſæpiſſimè docent, actum charitatis, & alios liberos actus pios fieri in nobis per infuſionem, & operationem Spiritus ſancti: Hoc autem ſaluari cum proprietate non poteſt, niſi idem Spiritus ſanctus verè efficienter faciat per gratiam præuenientem, quòd liberum arbitrium ſe determinet, & cooperetur. Ergo talis determinatio, & cooperatio ſub proprio, & formali conceptu, vt emanat à libero arbitrio eſt effectus infuſionis, & operationis Spiritus ſancti, non ſolùm in genere cauſſæ moralis, ſed etiam verè efficientis, & propriæ. Qualiter autem cum hac infuſione, & operatione Spiritus ſancti illæſa cõſeruetur arbitrij noſtri libertas *c. 20. præallegato* explicatũ eſt.

Si ergo conſenſerint nobiſcum, liberã determinationem, cooperationem, & influxum actualem noſtræ voluntatis, ſub ea etiam ratione formali, qua effectiuè procedit, & emanat à libero arbitrio, eſſe in genere cauſſæ verè efficientis effectum Dei, & operationis Spiritus ſancti, qui per adiutorium gratiæ Dei per Ieſum Chri-

Chriſtum facit, vt faciamus, & in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur, *Nihil de adiutorio gratiæ Dei quantum arbitror inter nos controuerſiæ relinquetur, vt libro de gratia Chriſti contra Pelagium, & Cœleſtium cap.* 47. dicit Auguſtinus. Cum hac enim vnica propoſitione ea ferè omnia ſunt connexa, quæ Sanctus Thomas, & Thomiſtæ docent circa concordiam gratiæ, & liberi arbitrij; ſicut etiam cum aſſertione contraria antecedenter, vel conſequenter connectuntur aliæ ferè omnes propoſitiones, & præcipua fundamenta defenſorum aduerſæ concordiæ, vt *cap. ſequenti* manifeſtum fiet.

Proponitur & explicatur diſcurſus vtriuſque concordiæ, oſtenditurque differentiam inter earum defenſores totam conſiſtere circa vnicam propoſitionem capite præcedenti ſtabilitam, cum qua aliæ fere omnes in quibus diſſentiunt antecedenter ſunt, vel conſequenter connexæ.

Capvt VII.

QVIA ergo arbitramur, Deum per auxilium efficax præuenıétis gratiæ, in quantum prçueniens, eſſe cauſſam non ſolùm moralem, ſed etiam verè efficientem, quòd liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum ſe liberè determinet ad conſentiendum, & con- I.

ſentiendum, & conſentiat Deo excitanti,& vocanti: ideo non admittimus fundamenta contrariæ ſententiæ. Nam cum prædicta propoſitione non ſubſiſtunt, cum qua tamen conſonant alia omnia fundamenta concordiæ liberi arbitrij cum gratia, quæ 12. *libris de Auxiliis* ſtabilita ſunt.

Et in primis ſcientia illa media, quam *diſput. 7. de Auxiliis* impugnauimus cum propoſitione iſta non cohæret, nam ſi determinatio, & cooperatio, ſeu influxus voluntatis, vt emanat à libero arbitrio eſt effectus Dei, & efficacis gratiæ præuenientis in genere cauſſæ efficientis, fieri non poteſt, vt antecedenter ad omne liberum decretum diuinæ voluntatis, & cooperationis diuinæ intelligatur futurus aliquis actus determinatus, vel concurſus, ſeu conſenſus noſtræ voluntatis ex hypotheſi, quòd in iſtis, vel illis circumſtantiis conſtituatur, quia effectus intelligi non poteſt futurus, etiam ex hypotheſi antecedenter ad ſuam cauſſam efficientem.

II. Cum eadem propoſitione eſt intrinſecè connexum illud principium philoſophicum *d.18.de Auxiliis* à nobis ſtabilitum, quod nimirum concurſus Dei generalis eſt influxus immediatus in cauſſas ſecundas, eas præmouens, applicans, & prædeterminans ad ſuas operationes, vnāquamque iuxta cōditionē propriæ naturæ, faciens, vt cauſſæ naturales, operētur naturaliter; & cōtingētes, & liberæ; operētur contingenter, & liberè. Nā ſi cōcurſus actualis cuiuſcunque cauſſæ ſecundæ, etiā contingentis, & liberæ reducitur in Deum, tanquam in primam cauſſam per ſe efficientem,

cientem,oportet, quòd motio Dei actualis,qua generaliter præmouet quamlibet cauſſam ſecundam ad operandum, ſit influxus immediatus in eandem cauſſam. Etenim per ſolum influxum immediatum in ipſum effectum contingentem, & liberum,non facit Deus verè efficienter,quòd cauſſa ſecunda contingens,& libera ſe determinet, & influat in effectum,ſed ſolùm concurrit ſimul cum eadem cauſſa libera,ſi ipſa voluerit ſe determinare, & concurrere cum Deo ad eundem effectum.

Ex eadem propoſitione ſequitur alia, quam *diſput.21. de Auxiliis* probauimus,quòd ſcilicet concurſus Dei generalis non ſit ſecundùm ſe indifferens: nam concurſus indifferens non poteſt eſſe cauſſa efficiens determinationis,& concurſus actualis creatæ voluntatis: à cauſſa enim indifferenti,in quantum indifferens non erit determinatus effectus, cùm non ſit maior ratio de vno,quàm de alio.

Item etiam cùm eadem propoſitione eſt alia coniuncta,quam *diſput.22. de Auxiliis,& duabus ſequentibus, & diſput.91.* ſtabiliuimus, quòd ſcilicet Deus abſoluto, & efficaci decreto ſuæ voluntatis,nulla præſuppoſita ſcientia media, prædeterminauit omnes actus liberos; qui in quacunque differentia temporis fiunt, & per motionem actualem præuiam moueat, & prædeterminet quamlibet cauſſam ſecundam, etiam liberam ad ſingulas operationes, ſalua cuiuslibet cauſſæ ſecundæ natura, & libertate: quod ſic oſtenditur. Nam cùm Deus per cauſſas ſecundas operetur earum effectus III.

fieri non poteſt, vt verè efficienter cauſſet concurſum, & influxum voluntatis, vel cuiuslibet alterius cauſſæ ſecundæ, niſi eam præmoueat, & prædeterminet ad concurrendum cum eo, nam eam ſic præmouere, & prædeterminare motione actuali, nihil aliud eſt, quàm efficere, vt ſe liberè determinet, & concurrat cum Deo.

Ex eadem propoſitione per euidentem conſequentiam ſequitur alia propoſitio, quam *diſp. 36. de Auxiliis* probauimus, quòd ſcilicet bonus vſus liberi arbitrij, quo prædeſtinatus conſentit Deo vocanti, & excitanti, etiam conſideratus vt emanat à libero arbitrio, ſit effectus prædeſtinationis, & gratiæ: nec eſſe admittendum quod præſupponatur ex parte noſtra ad ipſam prædeſtinationem: Ex quo rurſus infertur nullam dari ex parte noſtra cauſſam, rationem, vel conditionem ſine qua non ipſius prædeſtinationis, tam in adultis, quàm in paruulis, ſed referendam eſſe in omnino gratuitam, & meram Dei voluntatem, vt *diſp. 37. & 38. & 116. de Auxiliis* latè oſtendimus. Etenim ſi talis bonus vſus liberi arbitrii cauſſatur efficienter à Deo, qui per auxilium præuenientis gratiæ facit, vt prædeſtinatus bene vtatur ſuo arbitrio, quomodo idem bonus vſus poterit eſſe conditio ſine qua non ipſius prædeſtinationis.

Hinc etiam infertur aliud principium, quod *diſput. 41. de Auxiliis* ſtatuimus, videlicet, prædeſtinationem, quantum ad aſſequutionem effectus ſecluſa ſcientia media eſſe certam, & infallibilem certitudine ordinis, & cauſſalitatis mediorum, quibus, ſicut dicit Auguſtinus, certiſſimè libe-

mè liberantur, quicunque liberantur. Nam ſi Deus, cuius voluntati abſolutæ nemo poteſt reſiſtere, vel impedire id, quod decreuit facere, eſt cauſſa efficiens per auxilium efficax præuenientis gratiæ, quòd liberum arbitrium conſentiat, & operetur actus liberos præordinatos à Deo, per quos ad tantam, vel tantam gloriam perueniat: ex ipſo decreto prædeſtinantis, & auxiliis præuenientis gratiæ, quæ præparauit electis, erit certum, & infallibile, quòd prædeſtinatus eoſdem actus pios, & liberos tempore ſtatuto perficit, & per eos ad tantam gloriam, ad quam eſt electus, perueniet.

Ex eadem propoſitione ſequitur illa propoſitio, quam *diſputat.* 85. *de Auxiliis* firmauimus, quòd ſcilicet Deus, per auxilium efficax, & liberum arbitrium non ſint duæ cauſſæ partiales piæ operationis, ſicut duo trahentes nauim, ſed quælibet ſit totalis in ſuo genere, quarum vna, ſcilicet liberum arbitrium intrinſecè ſubordinatur alteri; ſcilicet Deo, non ſolùm in eſſendo, ſed etiam in actualiter operando, & concurrendo. Conſtat hoc ex eadem propoſitione, nam Deus per auxilium efficax præuenientis gratiæ eſt cauſſa efficiens, quòd liberum arbitrium ſe determinet, & concurrat cum Deo ad pias operationes. Ergo, &c. Quo fit, vt auxilium præuenientis gratiæ in ratione efficacis auxilij non pendeat, etiam vt à conditione ſine qua non ex libera determinatione, & cooperatione arbitrij noſtri cum illo, cùm potius è conuerſo eadem determinatio libera, & cooperatio arbitrij ſit in genere cauſſæ efficientis effectus operationis

Dei mouentis per auxilium efficax noſtram voluntatem, vt liberè, & infallibiliter conſentiat. Etenim virtus,& efficacia cauſſæ non pendet à ſuo effectu etiam vt à conditione ſine qua non aliàs eadem virtus & efficacia cauſſæ efficientis eſſet poſterior ſuo effectu in eodem genere, quod eſt contra omnem philoſophiam: nam cauſſa efficiens in quantùm huiuſmodi præcedere debet ſuum effectum; ſaltem ordine rationis,& cauſſalitatis,ſicut ſol,quia eſt cauſſa lucis,præcedit ordine cauſſalitatis lucem ipſam,& ſimiliter ignis, quia eſt cauſſa caloris, præcedit ordine rationis, & cauſſalitatis ipſum calorem, quamuis ſint in eodem inſtanti temporis.

V. Hinc etiam habetur alia propoſitio tradita *diſput. 95. de Auxiliis*, quod ſcilicet poſtquam Deus miſericorditer excitauit arbitrium creatum non expectat liberam eius determinationem,& conſenſum,vt purgari,aut iuſtificari velit: probatur hoc ex eadem propoſitione, nam cauſſa efficiens non expectat ſuum effectum ſed potius illum efficit, ſed Deus per auxilium efficax præuenientis gratiæ eſt verè,& propriè cauſſa efficiens,quòd liberum arbitrium excitatum, & motum à Deo ſe determinet, & conſentiat. Ergo Deus poſtquam nos miſericorditer excitauit,non expectat noſtrum conſenſum,vt purgari velimus.

Eidem propoſitioni eſt etiam annexa aſſertio illa, quam *diſputatione 96. & 97. de Auxiliis* probatam dedimus, quod nimirum liberum arbitrium, quando conſenſit Deo vocanti, & excitanti, nihil operatur à ſe

ipſo

Digitized by Google

ipſo, ſi illa particula, *à ſe ipſo* accipiatur, vt ſignificat idem quod operari non ab alio priori agente, vel à cauſſa prima per ſe efficiente, quod ipſum arbitrium cooperetur, ex quo rurſus ſequuntur aliæ quatuor propoſitiones ſtabilitæ à nobis *diſputatione* 98. 99. & 100. & 108. *de Auxiliis.* Prima eſt quod ſuppoſita gratia excitante conſenſus, vel cooperatio liberi arbitrij non eſt primò inchoanda à voluntate creata, ſed à voluntate diuina mouente per auxilium efficax præuenientis gratiæ noſtram voluntatem, vt liberè cooperetur, & conſentiat. Nam ſi Deus per auxilium efficax præuenientis gratiæ eſt cauſſa efficiens, quòd liberum arbitrium cooperetur, & conſentiat, vt dictum eſt: oportet, vt à voluntate diuina per auxilium præuenientis gratiæ primò incipiat inchoatio cooperationis & conſenſus noſtri arbitrij, à quo primum initium noſtræ ſalutis, & iuſtificationis procedit, quæ ſine libero conſenſu, & cooperatione arbitrij creati non fit. Secunda propoſitio habetur *diſputatione* 99. *de Auxiliis,* quòd ſcilicet iſta cauſſalis ſit vera, quia homo præuentus gratia excitante adiuuatur à Deo, vt conuertatur, ideo conuertitur: hæc autem cauſſalis eſt falſa, quia homo excitatus à Deo vult conuerti, ideo à Deo adiuuatur. Probatur ex eodem principio; nam cooperatio, & conuerſio noſtri arbitrij eſt in genere cauſſæ efficientis effectus Dei, & præuenientis gratiæ adiuuantis, vt dictum eſt: ergo non ideo adiuuatur à Deo, quia vult conuerti, ſed potius è

conuerſo ideo conuertitur, quoniam à Deo adiuuatur. Tertia propoſitio eſt, quam ſtatuimus *diſput.* 100. quòd ſcilicet collatio efficiens auxilij, ſiue Deus per idẽ auxiliũ ſit adæquata cauſſa, faciens, quòd liberum arbitrium conuertatur: nam quamuis Deus non ſit adæquata, & ſola cauſſa, producens effectiuè conuerſionem actualem, & piam operationem, ſed ſimul cum libero arbitrio eandem operationem producat, nihilominus Deus eſt ſola, & adæquata cauſſa efficiens vt liberum arbitrium cooperetur, & conſentiat, iuxta illud, quod ait Aug. *Certum eſt nos velle cùm volumus, ſed ille facit, vt velimus bonum, de quo dictum eſt: Præparatur voluntas à Domino: de quo dictum eſt: Qui operatur in nobis velle. Certum eſt nos facere, cùm facimus: ſed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati: qui dicit: Faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis & faciatis.* Quarta propoſitio habetur *diſput.* 108 *de Auxiliis*, quòd videlicet exiſtentibus in duobus hominibus auxiliis omnibus præuenientis gratiæ omnino æqualibus, nunquã contingit, quòd vnus conuertatur, perſeueret in gratia, & ſaluetur, alter verò in peccato permaneat, & damnetur, ſed ſemper ille, qui cõuertitur habet aliquod maius auxilium præueniens, quo Deus efficit, vt conuertatur, perſeueret in gratia, & ſaluetur. Ratio eſt, nam auxilium efficax præuenientis gratiæ, quo Deus efficit, vt homo conuertatur, perſeueret in gratia, & ſaluetur, eſt multo maius, & fortius auxiliũ quolibet alio auxilio ſufficienti, quòd ſolum tribuit homini poſſe conuerti, poſſe perſeuerare, ſi velit & ſaluari: ſed ille qui conuer

Aug. lib. de gratia & libero arbitrio cap.16.

Ezech.36.

conuertitur accipit à Deo auxilium efficax præuenientis gratiæ, quo Deus efficit, vt conuertatur, perſeueret in gratia, & ſaluetur, quod tamen auxilium non eſt datum illi, qui non conuertitur: nam ſi habuiſſet in ſe ipſo huiuſmodi auxilium, conuerteretur. Ergo ſemper ille, qui conuertitur habet in ſe ipſo aliquod maius, & fortius auxilium præuenientis gratiæ, quod non habet in ſe ipſo ille, qui non conuertitur.

Ex quibus omnibus dilucida manet concordia liberi arbitrij cum diuina præſcientia, & prædeſtinatione: nec non cum efficacia præuenientis gratiæ actualis, ſicut à Sancto Thoma, & Thomiſtis, iuxta doctrinam Sancti Auguſtini traditur, & explicatur. Non enim fundatur talis concordia in ſcientia illa media cooperationis arbitrij futuræ ex hypotheſi, quam ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ, quidam conſtituunt in Deo: nam talis ſcientia non datur: ſed in decreto abſoluto, & æterno, atque efficaciſſimo voluntatis Dei, & in efficacia ipſa, & virtute auxiliorum præuenientis gratiæ, quibus in tempore medio iudicio rationis indifferenti mouet hominis voluntatem, vt liberè & infallibiliter operetur omnes, & ſingulos actus pios præordinatos à Deo, ſicut *diſp.* 121. *de Auxilijs* latiùs explicuimus. VII.

Aduerſæ concordiæ diſcurſus aperitur.

QVia verò defēſores aduerſæ cōcordiæ cōcedūt, arbitrii creati libertatem ſaluari nō VIII.

poſſe,ſi ſemelſtatuatur liberã determinationẽ, cooperationem,concurſum,ſeu influxum creatæ voluntatis,vt emanat à libero arbitrio, nulla præſuppoſita ſcientia media eſſe reducendum in Deum,atque in abſolutum, & efficax decretum voluntatis diuinæ, tanquam in primam,& priorem cauſſam efficientem, vt liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum ſe determinet ad bene operandum, & operetur; ideo negant propoſitionem illam *cap. præcedenti* à nobis ſtatutam cum ſupradictis aſſertionibus eidem connexis:& contendunt, ipſum Deum per auxilium efficax præuenientis gratiæ, qua præueniens eſt, non eſſe cauſſam efficientem vera efficientia phyſica,quod liberum arbitrium ſe determinet, ſed ſolùm efficientia morali, illuminando intellectum,& excitando, & ſuadendo voluntatem in illis circunſtantiis, in quibus Deus per ſcientiam mediam præſcit, voluntatem noſtram pro ſua innata libertate conſenſuram. Itaque licèt fateantur Deum phyſica efficientia ſimul cum voluntate producere actum liberum, quotieſcunque ipſa voluntas gratia excitante præuenta voluerit ſe determinare ad eundem actum: negant tamen determinationem ipſam, & concurſum creatæ voluntatis, ſub ea ratione qua pendet à libero arbitrio, eſſe effectum Dei,& præuenientis gratiæ in genere cauſſæ verè efficientis.Exiſtimant enim, quòd ſi Deus verè efficienter facit, quòd voluntas ſe determinet, & concurrat cum Deo (quod eſt eam ad modum cauſſæ phyſicæ prædeterminare) non poteſt ſalua conſiſtere libertas arbitrij,
&

& actualis vſus illius. Et, vt hanc vnicam propoſitionem defendant, & eximant determinationem, cooperationem, & influxum creati arbitrii à prædeterminatione, & cauſſalitate phyſica, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ voluntatis diuinæ, quàm in tempore exequitur per auxilium efficax præuenientis gratiæ, alia diuerſa principia, ſine quibus hæc vnica aſſertio defendi non poteſt, ſtabilire conantur, vt libertatem arbitrii cum infallibilitate diuinæ prouidentiæ, & prædeſtinationis concilient; & cum gratiæ præueniẽtis efficaci auxilio. Id quod luce clarius manifeſtũ fiet, ſi per ſingulas eorũ propoſitiones, cũ quib. hæc vnica eſt cõnexa, diſcurramus.

Ideo enim ſcientiam mediam conſtituunt, qua (vt aiunt) Deus ante omne liberum decretum ſuæ voluntatis certò ſciat, quid in particulari voluntas creata ſit volitura, & in quam partem ſe determinabit ex ſua innata libertate, ex hypotheſi quod in iſto vel illo ordine rerum, aut in iſtis, vel illis circumſtantiis crearetur, vel conſtitueretur. Hanc enim præſcientiam inter merè naturalem, & merè liberã conſtituunt in Deo, vt ex illa, tanquã ex prima radice deſumatur infallibilitas futuræ determinationis, & cooperationis arbitrii, data quacunque hypotheſi, & poſita in eſſe conditione. Et ex alia parte vident hanc præſcientiam eſſe neceſſariam, vt ſaluent, quod Deus ſuo abſoluto, & efficaci decreto & auxilio præuenientis gratiæ non facit verè efficienter, ad modum cauſſæ phyſicæ, vt liberũ arbitriũ ſe determinet, & concurrat cũ Deo ad piam operationem, ſed ſolũ moraliter, vt dictum eſt. IX.

Ideo

Ideo etiam defendunt concurſum Dei generalem,ſeu motionem eius actualem,qua indigent omnes cauſſæ ſecundæ, vt ſuas operationes producant,non eſſe influxum immediatum in ipſas cauſſas ſecundas, nec eas præmouere, vel applicare, vel prædeterminare ad operandum,ſed ſolum eſſe influxum immediatum, & ſimultaneum,quo cum ipſis cauſſis ſecundis influit immediatè in earum effectus: Non enim poſſunt aliter defendere determinationem, & influxum,ſeu cooperationem voluntatis, vt emanat à libero arbitrio, non pendere ex abſoluto, & efficaci decreto voluntatis diuinæ, vt à prima, & priori cauſſa efficiente; vt noſtra voluntas ſe liberè determinet: Etenim ſi influxus Dei eſt fluxus immediatus in ipſas cauſſas ſecundas,etiam liberas eas præmouens,applicans, & prædeterminans ad operandum, iuxta propriam vniuſcuiuſque naturam, per euidentem conſequentiam infertur, determinationem & cooperationem voluntatis creatæ, atque eius influxum,vt emanat à libero arbitrio, eſſe referendum in Deum, vt in priorem, & primam cauſſam verè efficientem, vt liberum arbitrium ſe determinet, & concurrat cum Deo, & non ſolùm, vt in cauſſam allicientem, aut excitantem,vel quolibet alio modo,etiam interiùs moraliter ſuadentem.

X. Item etiam, vt eandem propoſitionem defendant, coguntur ſtatuere aliud principium, quòd ſcilicet concurſus Dei generalis ſit ſecundùm ſe indifferens, ſeu modo indifferenti eſſe expoſitum ad concurrendum cum libero arbitrio

arbitrio ad eum actum, ad quem voluntas pro ſua innata libertate ſe voluerit determinare: Etenim ex hoc principio, ſi eſſet verum, quod tamen falſum reputamus, infertur, determinationem, & concurſum creatæ voluntatis non pendere, vt à cauſſa verè efficiente ex abſoluto, & efficaci decreto voluntatis diuinæ.

Præterea ad eandem propoſitionem ſtabiliendam ſtatuere conantur aliam propoſitionem, quòd ſcilicet Deus, & liberum arbitrium ſunt duæ cauſſæ partiales operationis voluntatis, ſicut duo trahentes nauim, vt determinatio, & cooperatio noſtri arbitrii, & eius influxus ita relinquatur in eius poteſtate, vt non pendeat efficienter à Deo, tanquam à primo prædeliberante, & prima cauſſa efficiente vt liberum arbitrium ſe determinet.

Rurſus vt eandem propoſitionem defendant, aliam ſtatuunt, quod ſcilicet, poſtquam Deus excitauit etiam interius noſtrum arbitrium, expectat eius cooperationem, & conſenſum, vt purgari, & iuſtificari velit. Ex hac enim propoſitione infertur per bonam conſequentiam, quòd Deus per gratiam præuenientem efficacem non eſt vera cauſſa efficiens, quòd liberum arbitrium ſe determinet, & cooperetur cum Deo, ſed ſolùm moralis per modum ſuadentis. Nam ſi Deus eſſet vera cauſſa efficiens, non expectaret prædictum conſenſum noſtri arbitrii, nam cauſſa efficiens non expectat ſuum effectum, ſed potius illum efficit.

Ideo etiam aliud principium probare co- XI.

nan-

nantur, quòd ſcilicet ſuppoſita gratia excitante, conſenſus determinatus vel cooperatio liberi arbitrii ſit primò inchoanda (phyſicè ſiue verè efficienter) à voluntate creata : non autem ab abſoluto, & efficaci decreto voluntatis diuinæ, vel ab auxilio præuenientis gratiæ, qua præueniens eſt. Etenim ſi eſſet primò efficienter inchoanda à voluntate diuina per auxilium efficax præuenientis gratiæ, euitari non poteſt, quin eadem determinatio, cooperatio, & influxus noſtræ voluntatis, vt emanat à libero arbitrio, eſſet reducenda in Deum, tanquam in primam cauſſam verè efficientem per auxilium efficax præuenientis gratiæ, vt liberum arbitrium ſe determinet, & cooperetur cum Deo, quam tamen propoſitionem ſemper negant, vt libertatem arbitrii creati defendant.

Præterea ad eandem propoſitionem tuendam aliam afferunt, quòd ſcilicet, quamuis in eodem prorſus momento temporis, & naturæ, Deus, & voluntas operari incipiant; tamen Deus operatur, quia voluntas noſtra operatur: & hoc eſſe, quod aliqui dicunt, voluntatem prius natura operari, quàm Deum, non prioritate inſtantis, in quo, ſed à quo. Hæc enim propoſitio eſt inſeparabiliter connexa cum præcedenti, &ex ea etiam infertur, quòd decretum abſolutum, & efficax voluntatis diuinæ per auxilium efficax præuenientis gratiæ non ſit vera cauſſa efficiens, quòd liberum arbitrium ſe determinet, & concurrat cum Deo, ſed ſolùm cauſſa moralis, vt dictum eſt. Si enim

enim à voluntate diuina per auxilium efficax præuenientis gratiæ eſſet prius efficienter inchoanda prioritate à quo,determinatio,& cooperatio creati arbitrij , eſſet neceſſariò concedendum , quòd voluntas Dei abſoluta per auxilium efficax præuenientis gratiæ eſſet vera cauſſa efficiens , & non ſolùm moralis, quòd noſtrum arbitrium ſe liberè determinet , & cooperetur cum Deo , quod tamen concedere renuunt : vt eiuſdem arbitrij libertatem defendant:non conſiderantes , quòd noſtrum liberum arbitrium non eſt ſimpliciter primum liberum , nec eſt ſimpliciter primum ſe mouens , aut primum ſe determinans , ſed eſt per participationem ſecundùm liberum , ſecundùm ſe mouens , & ſe determinans ſubiectum primo libero ſimpliciter , quod eſt Deus, à cuius motione , & prædeterminatione , tanquam à prima cauſſa efficiente cooperatio , & determinatio noſtri arbitrii dependet in omnibus actibus ſecundùm omnem entitatem , & bonitatem,quam habent , tam in genere moris, quàm in eſſe naturæ.

Item, vt eandem propoſitionem defendant , aſſerunt, quòd auxilium gratiæ adiuuantis , in quantum adiuuans , non eſt præueniens ordine rationis,& cauſſalitatis liberam determinationem,& cooperationem noſtri arbitrii, ſed pariter,& ſimultaneè cum illo in operationem piam influens:Ex hac enim propoſitione infertur , quòd Deus per gratiam adiuuantem non eſt vera cauſſa efficiens,quòd noſtra voluntas ſe liberè determinet,& cooperetur cũ gratia præueni- XII.

ueniente, ſed ſolùm moralis.

Propter eandem propoſitionem ſaluandam aliud principium probare conantur, quòd ſcilicet nullum auxilium præuenientis gratiæ habet efficaciam ex abſoluto decreto Dei volentis, vt homo cuius cor mouet, conuertatur, & piè operetur: ſed talis efficacia pendet, vt à conditione ſine qua non, ex libera cooperatione creatæ voluntatis à Deo præcognita per ſcientiam mediam. Nam ex hoc principio infertur, quòd libera cooperatio, & determinatio noſtræ voluntatis, vt emanat à libero arbitrio, non ſit effectus abſoluti decreti voluntatis diuinæ, vel efficacis auxilii præuenientis gratiæ in genere cauſſæ verè efficientis, ſed ſolùm in genere cauſſæ moralis.

XIII. Denique, vt reliqua perſtringamus, ex eadem propoſitione, alias plures inferunt, quas *diſputatione* 4. *de Auxiliis* tetigimus. Prima, quod ſtantibus in duobus hominibus auxiliis omnibus tam externis, quàm internis præuenientis gratiæ æqualibus, ſecundùm realem virtutem, quam intentionaliter habent, vt procedunt à Deo, contingat aliquando, quòd vnus pro ſua libertate conuerta , perſeueret in gratia, & ſaluetur: Alter verò in peccato perſeueret, & damnetur. Secunda, Quòd prædeſtinatio in ratione prædeſtinationis pendeat, vt à conditione ſine qua non ex libera determinatione, & cooperatione noſtri arbitrii à Deo præcognita per ſcientiam mediam.

Tertia,

Tertia, quòd determinatio voluntatis cum auxiliis gratiæ non ſit effectus prædeſtinationis, ſed ad eam præſupponatur ex parte noſtra. Quarta, quòd prædeſtinatio quantum ad aſſequutionem effectus non ſit certa, & infallibilis certitudine ordinis, & cauſſalitatis mediorum: ſed certitudine præſcientiæ, quæ fundatur in libera cooperatione arbitrij cum auxiliis præuenientis gratiæ à Deo præcognita per ſcientiam mediam. Quinta, quòd cùm quolibet auxilio præuenientis gratiæ, ſecundùm omnem realem virtutem, quam intentionaliter habet, vt procedit à Deo, ſi ſecludatur ſcientia media, compatitur ſimul in libero arbitrio, non ſolùm vera facultas, qua poteſt diſſentire ſi velit, ſed etiam actualis diſſenſus. Omnes iſtæ propoſitiones, & aliæ conſimiles, de quibus egimus ex profeſſo in *libro noſtro de Auxiliis*, ſunt neceſſariò connexæ antecedenter, vel conſequenter cum illa vnica aſſertione ſuperius propoſita, de qua eſt potiſſima controuerſia.

Et quamuis nomen *decreti abſoluti*, & efficacis voluntatis diuinæ phyſicè, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ per auxilium efficax præuenientis gratiæ prædeterminantis voluntatem creatam, vt liberè, & infallibiliter cooperetur cum Deo piam operationem, ad quam mouetur, ſit aptiſſimum ad explicandam efficaciam auxilij præuenientis gratiæ, & tollendas quampluri-mas æquiuocationes, quibus eadem efficacia, vel eneruari latenter, vel impugnari videtur; dum aſſeritur, pendere vt à conditione ſine qua non, ex determinatione, & libera cooperatione

noſtri arbitrij à Deo præcognita per ſcientiam mediam: nihilominus dummodò concedatur, Deum per auxilium efficax præuenientis gratiæ verè efficienter, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ facere, quòd voluntas creata liberè concurrat, & cooperetur cum Deo piam operationem, ad quam mouetur, parum de nomine *phyſicæ prædeterminationis*, curabimus. Hoc enim, & nihil aliud ſignificatur nomine *phyſica prædeterminationis* ſicut etiam aduertimus *diſp.* 23. *de Auxiliis, numero* 1. Nam, cùm de re conſtat, non eſt de nomine litigandum.

* * *

INDEX

Digitized by Google

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC OPERE ALLEGANTVR & explicantur.

EX GENESI.

Cap.1. *IN principio creauit Deus cœlum & terram.* pag.218

1. *Fiat lux, & facta eſt lux.* 206.217.231

1. *Et vidit lucem, quòd eſſet bona.* 206

1. *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* 554

1. *Vidit Deus, quæ fecerat, & erant valde bona.* 220

2. *Vt operaretur, & cuſtodiret illum.* 758

2. *Quia in eo ceſſauerat ab opere ſuo, quod creauit Deus, vt faceret.* 758

2. *Tulit ergo Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis.* 758

6. *Omnis caro corruperat viam ſuam.* 773

37. *Oderant eum nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* 536

45. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* 293

50. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati.* 293

EX EXODO.

Cap.4. *Ego aperiam os tuum, & inſtruam te, quid debeas loqui.* 731

conuerſo ideo conuertitur, quoniam à Deo adiuuatur. Tertia propoſitio eſt, quam ſtatuimus *diſput.* 100. quòd ſcilicet collatio efficiens auxilij, ſiue Deus per idẽ auxiliũ ſit adæquata cauſſa, faciens, quòd liberum arbitrium conuertatur: nam quamuis Deus non ſit adæquata, & ſola cauſſa, producens effectiuè conuerſionem actualem, & piam operationem, ſed ſimul cum libero arbitrio eandem operationem producat, nihilominus Deus eſt ſola, & adæquata cauſſa efficiens vt liberum arbitrium cooperetur, & conſentiat, iuxta illud, quod ait Aug. *Certum eſt nos velle cùm volumus, ſed ille facit, vt velimus bonum, de quo dictum eſt: Præparatur voluntas à Domino: de quo dictum eſt: Qui operatur in nobis velle. Certum eſt nos facere, cùm facimus: ſed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati: qui dicit: Faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis & faciatis.* Quarta propoſitio habetur *diſput.* 108 *de Auxiliis*, quòd videlicet exiſtentibus in duobus hominibus auxiliis omnibus præuenientis gratiæ omnino æqualibus, nunquã contingit, quòd vnus conuertatur, perſeueret in gratia, & ſaluetur, alter verò in peccato permaneat, & damnetur, ſed ſemper ille, qui cõuertitur habet aliquod maius auxilium præueniens, quo Deus efficit, vt conuertatur, perſeueret in gratia, & ſaluetur. Ratio eſt, nam auxilium efficax præuenientis gratiæ, quo Deus efficit, vt homo conuertatur, perſeueret in gratia, & ſaluetur, eſt multo maius, & fortius auxiliũ quolibet alio auxilio ſufficienti, quòd ſolum tribuit homini poſſe conuerti, poſſe perſeuerare, ſi velit & ſaluari: ſed ille qui conuer

Aug. lib. de gratia & libero arbitrio cap.16.

Ezech.36.

Digitized by Google

conuertitur accipit à Deo auxilium efficax præuenientis gratiæ, quo Deus efficit, vt conuertatur, perſeueret in gratia, & ſaluetur, quod tamen auxilium non eſt datum illi, qui non conuertitur: nam ſi habuiſſet in ſe ipſo huiuſmodi auxilium, conuerteretur. Ergo ſemper ille, qui conuertitur habet in ſe ipſo aliquod maius, & fortius auxilium præuenientis gratiæ, quod non habet in ſe ipſo ille, qui non conuertitur.

Ex quibus omnibus dilucida manet concordia liberi arbitrij cum diuina præſcientia, & prædeſtinatione: nec non cum efficacia præuenientis gratiæ actualis, ſicut à Sancto Thoma, & Thomiſtis, iuxta doctrinam Sancti Auguſtini traditur, & explicatur. Non enim fundatur talis concordia in ſcientia illa media cooperationis arbitrij futuræ ex hypotheſi, quam ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ, quidam conſtituunt in Deo: nam talis ſcientia non datur: ſed in decreto abſoluto, & æterno, atque efficaciſſimo voluntatis Dei, & in efficacia ipſa, & virtute auxiliorum præuenientis gratiæ, quibus in tempore medio iudicio rationis indifferenti mouet hominis voluntatem, vt liberè & infallibiliter operetur omnes, & ſingulos actus pios præordinatos à Deo, ſicut *diſp.* 121. *de Auxilijs* latiùs explicuimus. VII.

Aduerſæ concordiæ diſcurſus aperitur.

QVia verò defěſores aduerſæ cõcordiæ cõtẽdũt, arbitrii creati libertatem ſaluari nõ VIII.

 poſſe,

poſſe, ſi ſemel ſtatuatur liberã determinationẽ, cooperationem, concurſum, ſeu influxum creatæ voluntatis, vt emanat à libero arbitrio, nulla præſuppoſita ſcientia media eſſe reducendum in Deum, atque in abſolutum, & efficax decretum voluntatis diuinæ, tanquam in primam, & priorem cauſſam efficientem, vt liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum ſe determinet ad bene operandum, & operetur; ideo negant propoſitionem illam *cap. præcedenti* à nobis ſtatutam cum ſupradictis aſſertionibus eidem connexis: & contendunt, ipſum Deum per auxilium efficax præuenientis gratiæ, qua præueniens eſt, non eſſe cauſſam efficientem vera efficientia phyſica, quod liberum arbitrium ſe determinet, ſed ſolùm efficientia morali, illuminando intellectum, & excitando, & ſuadendo voluntatem in illis circunſtantiis, in quibus Deus per ſcientiam mediam præſcit, voluntatem noſtram pro ſua innata libertate conſenſuram. Itaque licèt fateantur Deum phyſica efficientia ſimul cum voluntate producere actum liberum, quotieſcunque ipſa voluntas gratia excitante præuenta voluerit ſe determinare ad eundem actum: negant tamen determinationem ipſam, & concurſum creatæ voluntatis, ſub ea ratione qua pendet à libero arbitrio, eſſe effectum Dei, & præuenientis gratiæ in genere cauſſæ verè efficientis. Exiſtimant enim, quòd ſi Deus verè efficienter facit, quòd voluntas ſe determinet, & concurrat cum Deo (quod eſt eam ad modum cauſſæ phyſicæ prædeterminare) non poteſt ſalua conſiſtere libertas arbitrij,
&

& actualis vſus illius. Et, vt hanc vnicam propoſitionem defendant, & eximant determinationem,cooperationem, & influxum creati arbitrii à prædeterminatione,& cauſſalitate phyſica, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ voluntatis diuinæ, quàm in tempore exequitur per auxilium efficax præuenientis gratiæ, alia diuerſa principia, ſine quibus hæc vnica aſſertio defendi non poteſt, ſtabilire conantur, vt libertatem arbitrii cum infallibilitate diuinæ prouidentiæ, & prædeſtinationis concilient; & cum gratiæ præueniẽtis efficaci auxilio. Id quod luce clarius manifeſtũ fiet, ſi per ſingulas eorũ propoſitiones,cũ quib.hæc vnica eſt cõnexa,diſcurramus.

IX. Ideo enim ſcientiam mediam conſtituunt, qua(vt aiunt) Deus ante omne liberum decretum ſuæ voluntatis certò ſciat, quid in particulari voluntas creata ſit volitura,& in quam partem ſe determinabit ex ſua innata libertate, ex hypotheſi quod in iſto vel illo ordine rerum, aut in iſtis,vel illis circumſtantiis crearetur, vel conſtitueretur. Hanc enim præſcientiam inter merè naturalem, & merè liberã conſtituunt in Deo, vt ex illa, tanquã ex prima radice deſumatur infallibilitas futuræ determinationis,&cooperationis arbitrii,data quacunque hypotheſi,& poſita in eſſe conditione.Et ex alia parte vident hanc præſcientiam eſſe neceſſariam,vt ſaluent, quod Deus ſuo abſoluto, & efficaci decreto & auxilio præuenientis gratiæ non facit verè efficienter,ad modum cauſſæ phyſicæ,vt liberũ arbitriũ ſe determinet,&concurrat cũ Deo ad piam operationem,ſed ſolũ moraliter, vt dictum eſt.
Ideo

Ideo etiam defendunt concurſum Dei generalem, ſeu motionem eius actualem, qua indigent omnes cauſſæ ſecundæ, vt ſuas operationes producant, non eſſe influxum immediatum in ipſas cauſſas ſecundas, nec eas præmouere, vel applicare, vel prædeterminare ad operandum, ſed ſolum eſſe influxum immediatum, & ſimultaneum, quo cum ipſis cauſſis ſecundis influit immediatè in earum effectus: Non enim poſſunt aliter defendere determinationem, & influxum, ſeu cooperationem voluntatis, vt emanat à libero arbitrio, non pendere ex abſoluto, & efficaci decreto voluntatis diuinæ, vt à prima, & priori cauſſa efficiente; vt noſtra voluntas ſe liberè determinet: Etenim ſi influxus Dei eſt fluxus immediatus in ipſas cauſſas ſecundas, etiam liberas eas præmouens, applicans, & prædeterminans ad operandum, iuxta propriam vniuſcuiuſque naturam, per euidentem conſequentiam infertur, determinationem & cooperationem voluntatis creatæ, atque eius influxum, vt emanat à libero arbitrio, eſſe referendum in Deum, vt in priorem, & primam cauſſam verè efficientem, vt liberum arbitrium ſe determinet, & concurrat cum Deo, & non ſolùm, vt in cauſſam allicientem, aut excitantem, vel quolibet alio modo, etiam interiùs moraliter ſuadentem.

X. Item etiam, vt eandem propoſitionem defendant, coguntur ſtatuere aliud principium, quòd ſcilicet concurſus Dei generalis ſit ſecundùm ſe indifferens, ſeu modo indifferenti eſſe expoſitum ad concurrendum cum libero arbitrio

Digitized by Google

arbitrio ad eum actum, ad quem voluntas pro ſua innata libertate ſe voluerit determinare: Etenim ex hoc principio, ſi eſſet verum, quod tamen falſum reputamus, infertur, determinationem, & concurſum creatæ voluntatis non pendere, vt à cauſſa verè efficiente ex abſoluto, & efficaci decreto voluntatis diuinæ.

Præterea ad eandem propoſitionem ſtabiliendam ſtatuere conantur aliam propoſitionem, quòd ſcilicet Deus, & liberum arbitrium ſunt duæ cauſſæ partiales operationis voluntatis, ſicut duo trahentes nauim, vt determinatio, & cooperatio noſtri arbitrii, & eius influxus ita relinquatur in eius poteſtate, vt non pendeat efficienter à Deo, tanquam à primo prædeliberante, & prima cauſſa efficiente vt liberum arbitrium ſe determinet.

Rurſus vt eandem propoſitionem defendant, aliam ſtatuunt, quod ſcilicet, poſtquam Deus excitauit etiam interius noſtrum arbitrium, expectat eius cooperationem, & conſenſum, vt purgari, & iuſtificari velit. Ex hac enim propoſitione infertur per bonam conſequentiam, quòd Deus per gratiam præuenientem efficacem non eſt vera cauſſa efficiens, quòd liberum arbitrium ſe determinet, & cooperetur cum Deo, ſed ſolùm moralis per modum ſuadentis. Nam ſi Deus eſſet vera cauſſa efficiens, non expectaret prædictum conſenſum noſtri arbitrii, nam cauſſa efficiens non expectat ſuum effectum, ſed potius illum efficit.

Ideo etiam aliud principium probare conan- XI.

nantur, quòd ſcilicet ſuppoſita gratia excitante, conſenſus determinatus vel cooperatio liberi arbitrii ſit primò inchoanda (phyſicè ſiue verè efficienter) à voluntate creata: non autem ab abſoluto, & efficaci decreto voluntatis diuinæ, vel ab auxilio præuenientis gratiæ, qua præueniens eſt. Etenim ſi eſſet primò efficienter inchoanda à voluntate diuina per auxilium efficax præuenientis gratiæ, euitari non poteſt, quin eadem determinatio, cooperatio, & influxus noſtræ voluntatis, vt emanat à libero arbitrio, eſſet reducenda in Deum, tanquam in primam cauſſam verè efficientem per auxilium efficax præuenientis gratiæ, vt liberum arbitrium ſe determinet, & cooperetur cum Deo, quam tamen propoſitionem ſemper negant, vt libertatem arbitrii creati defendant.

Præterea ad eandem propoſitionem tuendam aliam afferunt, quòd ſcilicet, quamuis in eodem prorſus momento temporis, & naturæ, Deus, & voluntas operari incipiant; tamen Deus operatur, quia voluntas noſtra operatur: & hoc eſſe, quod aliqui dicunt, voluntatem prius natura operari, quàm Deum, non prioritate inſtantis, in quo, ſed à quo. Hæc enim propoſitio eſt inſeparabiliter connexa cum præcedenti, & ex ea etiam infertur, quòd decretum abſolutum, & efficax voluntatis diuinæ per auxilium efficax præuenientis gratiæ non ſit vera cauſſa efficiens, quòd liberum arbitrium ſe determinet, & concurrat cum Deo, ſed ſolùm cauſſa moralis, vt dictum eſt. Si enim

Digitized by Google

enim à voluntate diuina per auxilium efficax præuenientis gratiæ eſſet prius efficienter inchoanda prioritate à quo, determinatio, & cooperatio creati arbitrij, eſſet neceſſariò concedendum, quòd voluntas Dei abſoluta per auxilium efficax præuenientis gratiæ eſſet vera cauſſa efficiens, & non ſolùm moralis, quòd noſtrum arbitrium ſe liberè determinet, & cooperetur cum Deo, quod tamen concedere renuunt: vt eiuſdem arbitrij libertatem defendant: non conſiderantes, quòd noſtrum liberum arbitrium non eſt ſimpliciter primum liberum, nec eſt ſimpliciter primum ſe mouens, aut primum ſe determinans, ſed eſt per participationem ſecundùm liberum, ſecundùm ſe mouens, & ſe determinans ſubiectum primo libero ſimpliciter, quod eſt Deus, à cuius motione, & prædeterminatione, tanquam à prima cauſſa efficiente cooperatio, & determinatio noſtri arbitrii dependet in omnibus actibus ſecundùm omnem entitatem, & bonitatem, quam habent, tam in genere moris, quàm in eſſe naturæ.

Item, vt eandem propoſitionem defendant, aſſerunt, quòd auxilium gratiæ adiuuantis, in quantum adiuuans, non eſt præueniens ordine rationis, & cauſſalitatis liberam determinationem, & cooperationem noſtri arbitrii, ſed pariter, & ſimultaneè cum illo in operationem piam influens: Ex hac enim propoſitione infertur, quòd Deus per gratiam adiuuantem non eſt vera cauſſa efficiens, quòd noſtra voluntas ſe liberè determinet, & cooperetur cũ gratia præueni- XII.

ueniente, ſed ſolùm moralis.

Propter eandem propoſitionem ſaluandam aliud principium probare conantur, quòd ſcilicet nullum auxilium præuenientis gratiæ habet efficaciam ex abſoluto decreto Dei volentis, vt homo cuius cor mouet, conuertatur, & piè operetur: ſed talis efficacia pendet, vt à conditione ſine qua non, ex libera cooperatione creatæ voluntatis à Deo præcognita per ſcientiam mediam. Nam ex hoc principio infertur, quòd libera cooperatio, & determinatio noſtræ voluntatis, vt emanat à libero arbitrio, non ſit effectus abſoluti decreti voluntatis diuinæ, vel efficacis auxilii præuenientis gratiæ in genere cauſſæ verè efficientis, ſed ſolùm in genere cauſſæ moralis.

XIII. Denique, vt reliqua perſtringamus, ex eadem propoſitione, alias plures inferunt, quas *diſputatione* 4. *de Auxiliis* tetigimus. Prima, quod ſtantibus in duobus hominibus auxiliis omnibus tam externis, quàm internis præuenientis gratiæ æqualibus, ſecundùm realem virtutem, quam intentionaliter habent, vt procedunt à Deo, contingat aliquando, quòd vnus pro ſua libertate conuerta , perſeueret in gratia, & ſaluetur: Alter verò in peccato perſeueret, & damnetur. Secunda, Quòd prædeſtinatio in ratione prædeſtinationis pendeat, vt à conditione ſine qua non ex libera determinatione, & cooperatione noſtri arbitrii à Deo præcognita per ſcientiam mediam.

Tertia,

Digitized by Google

Tertia, quòd determinatio voluntatis cum auxiliis gratiæ non ſit effectus prædeſtinationis, ſed ad eam præſupponatur ex parte noſtra. Quarta, quòd prædeſtinatio quantum ad aſſequutionem effectus non ſit certa, & infallibilis certitudine ordinis, & cauſſalitatis mediorum: ſed certitudine præſcientiæ, quæ fundatur in libera cooperatione arbitrij cum auxiliis præuenientis gratiæ à Deo præcognita per ſcientiam mediam. Quinta, quòd cum quolibet auxilio præuenientis gratiæ, ſecundùm omnem realem virtutem, quam intentionaliter habet, vt procedit à Deo, ſi ſecludatur ſcientia media, compatitur ſimul in libero arbitrio, non ſolùm vera facultas, qua poteſt diſſentire ſi velit, ſed etiam actualis diſſenſus. Omnes iſtæ propoſitiones, & aliæ conſimiles, de quibus egimus ex profeſſo in *libro noſtro de Auxiliis*, ſunt neceſſariò connexæ antecedenter, vel conſequenter cum illa vnica aſſertione ſuperius propoſita, de qua eſt potiſſima controuerſia.

Et quamuis nomen *decreti abſoluti*, & efficacis voluntatis diuinæ phyſicè, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ per auxilium efficax præuenientis gratiæ prædeterminantis voluntatem creatam, vt liberè, & infallibiliter cooperetur cum Deo piam operationem, ad quam mouetur, ſit aptiſſimum ad explicandam efficaciam auxilij præuenientis gratiæ, & tollendas quampluri-mas æquiuocationes, quibus eadem efficacia, vel eneruari latenter, vel impugnari videtur; dum aſſeritur, pendere vt à conditione ſine qua non, ex determinatione, & libera cooperatione

noſtri arbitrij à Deo præcognita per ſcientiam mediam: nihilominus dummodò concedatur, Deum per auxilium efficax præuenientis gratiæ verè efficienter, ſiue ad modum cauſſæ phyſicæ facere, quòd voluntas creata liberè concurrat, & cooperetur cum Deo piam operationem, ad quam mouetur, parum de nomine *phyſicæ prædeterminationis*, curabimus. Hoc enim, & nihil aliud ſignificatur nomine *phyſicæ prædeterminationis* ſicut etiam aduertimus *diſp.* 23. *de Auxiliis, numero* 1. Nam, cùm de re conſtat, non eſt de nomine litigandum.

* * *

INDEX

Digitized by Google

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC OPERE ALLEGANTVR & explicantur.

EX GENESI.

Cap.1. *IN principio creauit Deus cœlum & terram.* pag.218
1. *Fiat lux, & facta eſt lux.* 206.217.231
1. *Et vidit lucem, quòd eſſet bona.* 206
1. *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* 554
1. *Vidit Deus, quæ fecerat, & erant valde bona.* 220
2. *Vt operaretur, & cuſtodiret illum.* 758
2. *Quia in eo ceſſauerat ab opere ſuo, quod creauit Deus, vt faceret.* 758
2. *Tulit ergo Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis.* 758
6. *Omnis caro corruperat viam ſuam.* 773
37. *Oderant eum nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* 536
45. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* 293
50. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati.* 293

EX EXODO.

Cap.4. *Ego aperiam os tuum, & inſtruam te, quid debeas loqui.* 731

Digitized by Google

25. *Inſpice & fac ſecundùm exemplum, quod tibi in monte monſtratum eſt.* 210

EX I. REGVM.

Cap.13. *Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui.* 262

23. *Si aſcenderis in Ceilam, tradent te.* 150. & 155

EX III. REGVM.

Cap.8. *Fiat Dominus noſter nobiſcum, ſicut erat cum patribus noſtris, non derelinquat nos, nec auertat nos à ſe.* 275

EX IV. REGVM.

Cap.11. *Non ingrediemini ad eas, neque ex illis ingredientur ad veſtras, certiſſimè enim auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos eorum.* 155

13. *Si percuſſiſſes quinquies, aut ſepties, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem.* 83

EX ESTHER.

Cap.13. *Neque eſt, qui tua poſſit reſiſtere poteſtati.* 517

15. *Conuertitque Deus ſpiritum Regis in manſuetudinem.* 845

EX IOBO.

Cap.14. *Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* 341

Digitized by Google

21. *Dixerunt Deo, Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* 737
32. *Et inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam.* 546

EX PSALMIS.

Pſal. 4. *Et confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.* 519
13. *Non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* 773
14. *Omnia quæcunque voluit fecit.* 24. & 352
15. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum.* 59
16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* 798
32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eius.* 217
36. *Confirmat autem iuſtos Dominus.* 519
50. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.* 519
50. *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* 731
50. *Cor mundum crea in me Deus.* 554
54. *Quoniam in multis erant mecum.* 403
57. *Deus meus, miſericordia eius præueniet me.* 403. & 387
62. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* 519
80. *Ego aperiam os tuum, & inſtruam te, quid debeas loqui.* 731
80. *Si populus meus audiſſet me, Iſraël ſi in viis meis ambulaſſet, pro nihilo forſitan humiliaſſem inimicos tuos.* 131
82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* 59

83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* 541
100. *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* 189
108. *Noluit benedictionem, & elongabitur à Deo.* 189. & 332.
113. *Deus autem noſter in cœlo, & in terra omnia quæcunque voluit, fecit.* 24. & 246. & 816
113. *Quoniam omnes Dij gentium Dæmonia.* 82
117. *Melius eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine.* 331
118. *Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua.* 275.
120. *Auxilium meum à Domino.* 548
134. *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra.* 331. & 383. & 836
134. *Suſcitans nubes ab extremo terræ.* 719
143. *Spiritus tuus rectus deducet me in terram rectam.* 388.
148. *Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.* 234. & 271. & 824
149. *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum.* 722

EX PROVERBIIS.

Cap. 3. *Dominus ſapientia fundauit terram, ſtabiliuit cœlos prudentia.* 217
8. *Præparatur voluntas à Domino.* 338. & 542
21. *Cor Regis in manu Domini ſicut diuiſiones aquarum, quocunque voluerit, inclinabit illud.* 330. & 368. & 386. & 111. & 844. & 827.

EX

EX SAPIENTIA.

Cap.6. *Faciam vt in iuſtificationibus meis ambuletis.* 373

7. *Inuocaui, & venit in me Spiritus ſapientiæ.* 387

7. *Omnium enim artifex docuit me Sapientia.* 209

8. *Attingit enim à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* 58. & 266.

8. *Si autem ſenſus operatur, quis horum, quæ ſunt, magis quàm illa eſt artifex.* 209

11. *Omnia in numero, pondere & menſura diſpoſuiſti.* 82. & 265

EX ECCLESIASTICO.

Cap.3. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.* 82

15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui, & adiecit mandata & præcepta.* 259. & 333. & 717

EX ESAIA.

Cap. 5. *Mandabo nubibus meis, ne pluant ſuper illam imbrem.* 719

6. *Quem mittam & quis ibit nobis.* 719

6. *Excœcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ne videant oculis, nec intelligant corde, & conuertantur, & ſanem illos.* 190

26. *Omnia opera noſtra operatus eſt in nobis.* 546. & 574

38. *Cras morieris & non viues.* 174

41. *Quis ſuſcitabit ab oriente iuſtum & vocabit eum, vt ſequeretur me.* 280
53. *Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini, cui reuelatum eſt.* 190
53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum.* 286

EX IEREMIA.

Cap. 6. *Et ecce incircumciſa aures eorum, & audire non poſſunt.* 536
15. *Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* 389
31. *Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum.* 417

EX THRENIS.

Cap. 5. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* 281. & 320.

EX EZECHIELE.

Cap. 3. *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus.* 719
20. *Dedi eis præcepta bona.* 773
36. *Faciam vt faciatis, & in præceptis meis ambuletis.* 278. & 405. & 616. & 733.

EX OSEA.

Cap. 13. *Perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum.* 394. & 499. & 665. & 711. & 721. & 729

EX

EX ZACHARIA.

Cap. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* 320. & 429

EX MATTHÆO.

Cap. 5. *Beati miſericordes, quia ipſi miſericordiam conſequentur.* 289
7. *Petite, & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis.* 742
10. *Nonne duo paſſeres aſſe veniunt, & vnus non cadit in terram ſine patre veſtro.* 270. & 330
10. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* 550
11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida,* &c. 7. & 150
11. *Si in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* 7. & 72. & 77. & 83. & 87. & 130. & 155. & 337
11. *Ita pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.* 734. & 289
12. *In Beelzebub principe Dæmoniorum eiicit dæmonia.* 187
13. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni cœlorum, illis autem non eſt datum.* 189
16. *Generatio praua & peruerſa ſignum petit, & ſignum non dabitur illi, niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* 367. & 718
18. *Neceſſe eſt vt ſcandala veniant, &c.* 367
20. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* 44
24. *Qui perſeuerauit vſque in finẽ, hic ſaluus erit.* 485
26. *Filius hominis, ſicut definitum eſt vadit, &c.* 286
26. *Poſſum rogare Patrẽ, & exhibebit mihi plus quàm*

duodecim legiones Angelorum. 131

EX LVCA.

Cap.7. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 543

22. *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.* 674

EX IOANNE.

Cap.1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* 137

1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* 516

2. *Magiſter volumus à te ſignum videre.* 187

3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* 720

4. *Quod ergo tu ſignum facis vt videamus & credamus?* 718

6. *Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.* 280.& 405.& 467

6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi ei fuerit datum à patre.* 337

6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater traxerit eum.* 180.& 388.& 618.& 623

8. *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* 700

10. *Ego vitam æternam do eis.* 624

10. *Ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam.* 286

10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & nemo poteſt rapere eas de manu mea.* 510

11. *Cùm autem tanta ſigna feciſſet coram eis non crediderunt in eum.* 190

12. Non

Digitized by Google

12. *Non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, Excœcatum cor populi huius.* 536
14. *Ego ſum via, veritas & vita.* 387
15. *Quia ſine me nihil poteſtis facere.* 137. & 664. & 728. & 717. & 654

EX ACTIS.

Cap. 4. *In cuius nomine oportebat nos ſaluos fieri.* 769
4. *Conuenerunt in ciuitate iſta aduerſus puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti.* 287. & 274
7. *Vos ſpiritui ſancto ſemper reſtitiſtis.* 444. & 737. & 790
9. *Domine quid me vis facere.* 722
9. *Hic dicet tibi, quid te oportet facere.*
13. *Et crediderunt, quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* 370
17. *In ipſo viuimus, mouemur & ſumus.* 347

AD ROMANOS.

Cap. 4. *Ideo ex fide, vt ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio.* 384
5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* 541
8. *Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* 551
8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti.* 43
8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit, hos, &c.* 341
8. *Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei.* 387. & 559
8. *Ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis.*

Non

Digitized by Google

8. *Non ex operibus,ſed ex vocante dictum eſt ei.* 540
9. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis.* 616.& 722.& 801
10. *Quomodo credent ei quem non audierunt.* 719
11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* 741
12. *Et vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.* 452

EX I. AD CORINTHIOS.

Cap.1. *Iudæis ſcandalum,gentibus autem ſtultitiam.* 540
2. *Diuiſiones gratiarum ſunt,&c.* 387
3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis,quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 723.& 728
4. *Quis enim te diſcernit, &c.* 453.& 814
4. *Quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti,quid gloriaris.* 453.& 477.& 513.& 708
12. *Hæc autem operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis,prout vult,&c.* 452
14. *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiecti ſunt.* 376
15. *Gratia eius in me vacua non fuit.* 463.& 322
15. *Plus omnibus laboraui, non ego, ſed gratia Dei mecum.* 559

EX II. AD CORINTHIOS.

Cap.6. *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 463

EX EPIST. AD GALATAS.

Cap.1. *Si per legem iuſtitia: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.*

eſt. 770
4. *Ad infirma & vacua elementa.* 773
4. *Miſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda noſtra clamantem, Abba pater.* 551
5. *Nouam creaturam, &c.* 554

EX EPIST. AD EPHESIOS.

Cap.1. *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* 16. & 266
2. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu.* 546
4. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* 452

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

Cap.1. *Quoniam qui in vobis bonum opus cœpit, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu.* 718
2. *Certus ſum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum perficiet.* 373. & 553
2. *Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* 330. & 338. & 546. & 722. & 654. & 574. & 547. & 111

EX II. EPISTOLA AD THESSALONICENSES.

Cap.2. *Ipſe autem Dominus Ieſus confirmet corda veſtra in omni opere & ſermone bono.* 519
3. *Qui confirmabit vos & cuſtodiet à malo.* 519

EX

Digitized by Google

EX I. EPIST. AD TIMOT.

Cap. 1. *Reſuſcitans gratiam Dei, quæ in te eſt per impoſitionem manuum.* 463. & 472
4. *Non ego, ſed gratia Dei mecum, &c.* 574. & 322
4. *Curſum conſumaui, fidem ſeruaui.* 574

EX II. EPISTOLA AD TIMOTHEVM.

Cap. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* 714
6. *Profanas vocum nouitates deuita.* 313

EX EPIST. AD TITVM.

Cap. 1. *Teſtimonium hoc verum eſt.* 411

EX EPIST. AD HEBRÆOS.

Cap. 6. *Impoſſibile eſt, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, &c. iterum renouari ad pœnitentiam.* 535
11. *Accedentes ad Deum oportet credere, quòd eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator eſt.* 769
12. *Ne quis deſit gratiæ Dei.* 463

EX II. EPISTOLA PETRI.

Cap. 1. *Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam & pietatem donata ſunt, per cognitionem eius, &c.* 768
1. *Magna nobis & pretioſa promiſſa donauit, vt ſimus diuinæ conſortes naturæ.* 569

EX

Digitized by

EX EPISTOLA IACOBI.

Cap.1. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis.* 218
1. *Omne datum optimum,& omne donum perfectum de ſurſum eſt.* 673

EX APOCALYPSI.

Cap. 3. *Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis aperuerit mihi, introibo.* 732
4. *Quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant,& creata ſunt.* 331

Finis Indicis Locorum S. Scripturæ.

Digitized by Google

INDEX
PRÆCIPVARVM, ET NOTABILIVM RERVM, AC SENTENtiarum, quæ in hoc opere continentur.

A.

ABVLENSIS teſtimonia circa libertatem, & determinationé humanorum actuum expenduntur, & explicantur. pagin. 364.nu.64.& ſequentibus.

Actiones ſunt ſuppoſitorum, non autem formarum. 612.n.28

Actus pij qualiter infundantur nobis à Spiritu ſancto. 541.n.4.& 5

Actus noſtri pij, qua ratione peculiari modo tribuantur Deo. 550.nu.10

Actus indeliberatus non poteſt eſſe principium effectiuum actus deliberati. 640.nu.9

Actus dupliciter poteſt eſſe ſupernaturalis, vel ſecundum ſubſtãtiam, vel quantum ad modum. 755.nu.6

Actus liberi arbitrij neceſſitas, quæ dicitur conſequentiæ, fundari non poteſt in ſcientia media, ſed in decreto abſoluto diuinæ voluntatis, tanquam in prima radice, & cauſſa. 810.nu.2. & ſequentibus.

Adæ

Adæ cur non fuerit datum auxilium efficax. 664. n.9
Adæ, & Chriſti differentia. 407.n.10
Adæ conceſſum fuit donum perſeuerantiæ in actu primo in ſtatu innocentiæ. 485.n.5
Adæ cur non fuerit datum auxilium efficax ad vitandum peccatum. 644.n.9
Agentia naturalia, & libera, qualiter diſtinguantur. 208.n.10
Alexandri Alenſis teſtimonia, quæ allegantur aduerſus prædeterminationem voluntatis diuinæ, examinantur. 360.n.61
Alfonſi de Caſtro ſententia, circa libertatem arbitrij, & neceſſitatem gratiæ explicatur. 378.n.63
Ambroſij Catherini ſententia circa prædeſtinationem refertur, & à Sixto Senenſi reprobatur. 345.n.50
Amor viæ, qualiter diſtinguatur ab amore patriæ. 797.n.9
de Amoris ratione eſt, vt ſit intrinſecè voluntarius. 589.n.6
Anſelmi ſententia circa neceſſitatem antecedẽtem, & conſequentem expenditur. 341. n.49. & latius 847. & ſequ.
Arbitrij influxus, qualiter ſit in eius poteſtate. 476.n.9
Ariſtotelis ſententia circa motionẽ prædeterminantem. 282
Auguſtini teſtimonia quibus ſcientia media impugnatur. 10.n.7.& 228.n.24. &337.n.47. eius ſententia circa diuinæ ſcientiæ cauſſalitatem.287.n.18.& circa poteſtatem quam habet ſupra liberum arbitrium creatum. 24. n.17. & 470. nu.6. & 472. nu. 6. ſenſus illius circa neceſſitatem præcedentem & conſequentem. 876.n. 1.& ſequ.

Ariſtotelis ſententia circa motionem prædeterminantem. 282.n.14

Arnobij teſtimonia, quæ afferuntur contra prædeterminationem diuinæ voluntatis. 330. n.44.& 45

Athanaſij teſtimonia in fauorem prædeterminationis decreti abſoluti,& efficacis voluntatis diuinæ. 272.n.8

Aureoli teſtimonia circa ſcientiam futurorum contingentium conditionatorum expenduntur. 180.num.21

Auxilium primũ præuenientis gratiæ non eſt formaliter actus vitalis ſed cauſſaliter. 485. nu.5

Auxilium verè ſufficiens ſaluatur ſine auxilio efficaci prædeterminante. 659 n.5. & ſeq.

Auxilium ſufficiens,qualiter ſaluetur ſine efficaci. 677,n.18

Auxilium ſufficiens ad actum bonum per accidens coniungitur cũ efficaci ad actum malum, vt actus eſt. 689. num.23

Auxilium ſufficiens tribuit facultatem expeditam, & proximam ad piam operationem. 696.n.28.

per Auxilij ſufficiẽtis bonũ vſum, qualiter poſſit homo auxilium efficax acquirere, vel impetrare à Deo. 736.nu. 11. & ſequ.

Auxilium excitantis gratiæ non influit phyſicè in operationẽ piam. 638.n.6

Auxilia ſufficientia non dantur fruſtra non habentibus efficax. 670. n.14

Auxilium præuenientis gratiæ excitantis phyſicè concurrere ad piã operationem liberam, ad quam excitat, quidam ſentiunt.629.n.1. & ſequentibus. Hæc ſententia impugnatur, & oſtenditur ſolùm concurrere moraliter. 638.n.6. & ſequentib.

Auxi

Auxilium efficax facit nos velle. 408.n.10

Auxilium efficax præuenientis gratiæ, vt eſt inſtrumẽtum Dei volentis hominem ad ſe conuertere, habet intentionaliter aliquam virtutem, quæ non eſt in ſolo auxilio ſufficienti. pagin. 404. num.5

Auxilium efficax, qualiter dicat reſpectum ad liberam cooperationẽ arbitrij. 475.nu.9.& 516.num.27

Auxilium efficax qualiter differat à medicamento. 475.n.9

Auxilium efficax habet duo. 846.n.20

Auxilij efficacis collatio non dependet ex aliqua diſpoſitione negatiua, vel non reſiſtentia noſtri arbitrij. 703.num.3

Auxilium efficax præuenientis gratiæ non eſt in poteſtate noſtra, 730.num.8

Auxilium efficax non habenti imputantur peccata. 664.n.8

B

BONAVENTVRÆ ſententia circa concurſum præuium, & efficaciam præuenientis gratiæ expenditur. 361.num.62

Bruta non mouentur liberè. 799.n.10

Bruta non habent idem genus indifferentiæ, quod inuenitur in voluntate hominis. 798. num.10.

C

CAIETANI teſtimonia circa ſententiam futurorum contingentium conditionatorum examinantur. 178.n.20

Caluini hæreſis detegitur. 385.n.7

Caluini error circa gratiam efficacem aperitur. 389.n.8.& 277. n.25

Capreoli teſtimonia circa ſcientiam futurorum contingentium expenduntur. 176.nu.19.eius ſententia circa concurſum Dei præuium expenditur.370. & ſequent.

Cartagenæ ſententia circa concurſum Dei præuium,& prædeterminationem voluntatis diuinæ expenditur, & examinatur. 351.n.55

Cicero dum homines voluit facere liberos, facit ſacrilegos. 700.

Cauſſa duplex,propriè,& metaphoricè.644.n.11.

Cauſſa efficiens non pendet ab effectu. 499.n.14

Cauſſa remota remouetur effectus. 499. n.14

Conradi ſententia circa determinationem voluntatis humanæ. 375

Cordubæ ſententia circa concurſum præuium expenditur. 347.n.53

Chriſtus an crucifixus fuiſſet ab aliis, ſi Iudæi non occidiſſent illum? 293.n.22

Chriſtus non ex neceſſitate, ſed ſua libera voluntate mortuus eſt. 528

Chryſoſtomi teſtimonia, quæ afferuntur contra prædeterminationem diuinæ voluntatis. 333.n.45

Cyrilli Alexandrini teſtimonia,quæ afferuntur contra prædeterminationem diuinæ voluntatis examinatur. 334.n.46

Clementis Romani teſtimonia, quæ adducuntur contra prædeterminationem diuinæ voluntatis examinantur, & legitimus eius ſenſus aperitur. 325.num.41

Cognitio fieri non poteſt, niſi cognoſcenda præcedant. 231.n.25

Cognitio futurorum cõtingentium in hominibus, ſolũ eſſe poteſt cõiecturalis. 88.n.49

Concilia quid intelligãt nomine

nomine *infuſionis* & *inſpirationis*. 545.n.8

Concilij Tridentini plura decreta circa gratiā præuenientem expenduntur. 415. n.14. & Conc.Petrichien.319. n.38.&Enchirid.Chriſtianæ inſtitutionis. Concil. Colonienſis 318.n.37

Conditionales propoſitiones ſunt in duplici differentia. 90.n.49

Confirmatos in gratia liberè ſaluari, & mereri oſtenditur.527. n.8.9. & 10

Confirmationis in gratia, cùm ſit ſpeciale donū, quare non meminit Auguſtinus inter diſputandum cum Pelagianis. 531.n.12

Confirmationem in gratia realiter diſtingui à dono perſeuerantiæ oſtenditur pluribus rationibus. 523. n.5. & ſeq.& rationes in contrarium diſſoluuntur. 525. num. 6. & ſequ. oſtenditurque differentiam non eſſe de ſolo nomine, vt quidā exiſtimant. 517.n.28

Concordia liberi arbitrij cum gratia vtriuſque partis innuitur.19.nu. 14. & in quo poſita ſit differentia potiſſima inter eius auctores aperitur. pag. 897. & ſeq.

Conſilia,præcepta & exhortationes non ſunt fruſtra comparatione reproborum. 671. nu. 14

Corripiēdi cur ſint etiam reprobi. 675.n.16

Cornelius antequam doceretur à Petro, fidem habebat implicitam Chriſti. 770.n.17

Creare quare in nobis dicantur opera pietatis. 554.n.12

D

DAMASCENI teſtimonia in fauorem prædeterminationis decreti abſoluti & efficacis voluntatis di-

 uinæ

uinæ expenduntur, & defenduntur.267.n.7. & 340. n.48
Decreta conditionata eſſe actualiter in Deo comparatione futurorum contingentium conditionatorum, quæ reuelantur in ſcripturis, docent multi doctores.65.n.38. probatur ex profeſſo. 131.n.4. Qualiter ſint intelligenda, & explicanda eiuſmodi decreta. 132. nu.5.& 6. obiectionibus in contrarium fit ſatis. 142.n.10
Determinatio duplex qualiter ſit in libero arbitrio. 395. n.6
Dionyſij Areopagitæ teſtimonia in fauorem prædeterminationis decreti abſoluti, & efficacis voluntatis diuinæ expenduntur, & defenduntur.266.n.6. & 328.n.42
Domini vniuerſalis, & particularis differentia. 285.num.16
Diſpoſitio proxima ad iuſtificationem, quæ ſit. 651.n.16
Deus non decreuit, quid eſſet futurū poſitis quibuſlibet conditionibus poſſibilibus. 124. n.9
in Deum referenda ſunt omnia bona opera noſtra etiam naturalia, tanquam in primum motorem. 772.n.18
Deum prædeterminaſſe omnia futura cōditionata excepto peccato, eſt probabile.81.n.46
Deus ſcit omnia futura in prædeterminatione ſuæ voluntatis. 288.n.18. In quo decreto cognoſcat peccata futura. 647.n.11.
Deus in quo decreto cognoſcat peccata futura. 667.n.11
Deus peccare non poteſt. 528
Deus influit agenti, & vt agat, & vt bene agat. 556
Deus operatur dupliciter ad noſtrā volitionem. 544.n.7.
Deus non eſt autor peccati

cati. 774.n.20.
Deus certò cognoſcit futura contingentia, & prout actu exiſtunt in æternitate,& prout sũt in ſuis cauſſis determinatis, & nõ impeditis, nec impediendis. 162.n.11.& 12. Expenduntur,& explicãtur quædam teſtimonia S. Th. quæ adducũtur in cõtrariũ.173.n.17. & alia teſtimonia Capreoli, Ferrarienſis, Caietani, Aureoli,Scoti, Durandi. 176. nu. 19.& ſequent.
Deus non ſolùm cauſas, ſed eorũ actiones præfiniuit. 126.n.9
Deus qualiter relinquat libero noſtro arbitrio vt conſentiat gratiæ vocanti. 411
Deus trahit hominem ad cooperandum ſecum, non econtra. 457.n.2
Deus non propterea ſcit res futuras, quia futuræ ſunt. 287.nu.18
Deus eſt primũ mouens. 279
Deus quare non cõcedat diabolo gratiã.499.n.14
Deus operatur in nobis velle,& perficere,mouendo voluntatem, & cum illa efficienter cõcurrendo. 393.n.3.
Deus trahit nos ad cooperandum ſecum, & non è contra. 616.n.1
Deus iuſtum non deſerit, niſi ipſe prius deſerat Deum. 669.n.12
Deus cauſſat omnem diſpoſitionem ſubiecti. 712.n.11
Deus per baptiſmũ quibuſdam ſubuenit;quia vult, aliis non ſubuenit,quia non vult. 721. num.4.
ex Dei parte requiſita, vt volũtas operetur ſunt in duplici differentia. 790.nu.5.& 6.
ex Dei abſoluto decreto ſequitur infallibiliter actus liber prædefinitus. 382.num.3
Deus non eſt omnino extrinſecum principium, ſed internũ humanorum actuum. 886.n.8

Differentia gratiæ Adæ & Chriſti. 409.n.10
Differentia perſeuerātiæ viæ & patriæ. 520.n.3
Diſpoſitio proxima ad iuſtificationem quæ ſit. 651.n.16
Domini vniuerſalis & particularis differentia. 285.n.17
Donum perſeuerantiæ cōtumaci hominis voluntate amitti non poteſt. 503.n.17
Driedonis teſtimonia quæ adducuntur in fauorem ſcientiæ mediæ, examinantur. pag. 43.n.30.
Dupliciter aliquis in bono confirmari poteſt. 524
Dupliciter poteſt quis perſeuerantiſſimè ſtare. 531.n.12
Durandi ſententia circa prædeterminationem diuinæ voluntatis expenditur. p.182.n.21

E

Exhortationes, conſilia non ſunt fruſtra comparatione reproborum. 671.n.14
Error Pelagij detegitur. 648.n.12.

F

Ferrarienſis teſtimonia circa ſciētiām futurorum contingentium conditionatorum expendūtur. 142.n.10
Fides qualiter ſit à Deo, & noſtræ iuſtificationis initium. 767.n.15
Finis eſt prior in intentione, poſterior in executione. 295.n.23
Forma equi prior eſt in genere cauſæ formalis, & tamen non poteſt eſſe ſine illa. 294
Fruſtra eſt potentia, quæ nō reducatur ad actū. 758.n.8
Futura conditionata reuelata in Sacra Script. ſunt certa. 83.n.46
Futura conditionata cognoſcuntur à Deo in decreto ſuæ voluntatis. p.84.n.47.ante idē decretum nullum futurum contingens, etiā conditionatum habet deter

determinatam veritatem. 169.nu.15
Futura contingentia conditionata, quæ abſolutè non ſunt futura, nullam habent actualem exiſtentiam, etiam ex hypotheſi in menſura æternitatis, ratione cuius cognoſcantur à Deo. 289.numer.19
Futurum quare hoc ſit quærenti, multipliciter reſponderi poteſt. 289.nu.19

G.

Gabrielis teſtimonia, quæ adducuntur in fauorem ſciētiæ mediæ, expenduntur. 55.n.35
Generatio vnius eſt corruptio alterius. 796.nu.8
Gratia præueniēs eſt duplex, alia excitans; alia verò adiuuans. 318.n.37.& 639.n.4
Gratia tam excitãs, quàm adiuuans eſt præueniens. 487.n.7
Gratia primò præueniens noſtrum intellectum, & voluntatem debet eſſe ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam. 756.nu.7
Gratia excitans, quando habet coniunctam adiuuantem, eſt efficax moraliter; ſed gratia adiuuans eſt efficax efficienter, & phyſicè. 682.nu.20
Gratia efficax prædeterminans vſum libertatis non impedit, ſed perficit. 308.nu.31
Gratiæ efficacis congruitas, qualiter à quibuſdam explicetur. 312.nu.33
Gratiæ efficacis congruitas vnde proueniat. 313.nu.33
Gratiæ intenſio vnde menſuretur. 422.numer.16
Gratiæ efficacia à liberi arbitrij cooperatione non pendet. 465.numer.3
Gratiæ actualis influxus

qualiter ab influxu habituum ſupernaturalium differat. 469.numer.5
Gratiam nobis collatam ex meritis Chriſti eſſe diſtinguendam in gratiam ordinis ſupernaturalis, & gratiam naturalem ſecũdum ſubſtantiam à dono creationis diſtinctam quidam ſentiunt. 748.nu.1. ſed eorum ſententia impugnatur.755.nu.6. & ſeq.
Gratiam Diabolo quare Deus non concedat. 499.n.14
Gratiæ Adæ&Chriſti differentia. 409.n.10
Gratia, & liberum arbitrium non ſunt duæ cauſſæ partiales piæ operationis, ſicut duo trahentes nauem.487.nu.7
Gratia confirmans in bono,addit aliquam perfectionem intrinſecam ſuper gratiã non confirmantem. 534.n.14
Gratia Dei per Ieſum Chriſtum debet eſſe ordinis ſupernaturalis, ſecundũm ſubſtãtiam. 757.nu.8
Gratia efficax, in quantum efficax, non eſt pediſſequa, nec ſubiicitur humilitati, aut obedientiæ humanæ. 510.n.22
Gratia efficax, & ſufficiens debet eſſe eiuſdem ordinis. 766.n.15
Gratia Dei per Ieſũ Chriſtum qualis eſſe debeat. 775.n.21
Gratia creationis, quam admiſit Pelagius, in quo conſiſtat.759.numer.10
Gratia efficaci attracti omnes veniũt ad Chriſtum. 621.n.3
Gregorij Ariminenſis teſtimonia, quæ adducuntur in fauorẽ ſcientiæ mediæ examinantur. 55.nu.35
Gregorij magni ſententia circa efficacem gratiam. 339.n. 48
Gregorij Nyſſeni teſtimonia, quæ afferũtur contra

contra prædeterminationem diuinæ voluntatis. 332.nu.45

H.

HABITVS tripliciter poſſunt iuuare potentias. 581.n.1
Habitus non determinat potentiam ad operandum infallibiliter.476.nu.10
Hæreſes extremæ vitandæ. 408.nu.10
Hæreticorum doctrina lepræ confertur. 403.nu.4
Hæreſis Caluini detegitur. 385.n.7
Hæretici abutuntur locris Scripturæ ad ſuos errores tegendos.401.nu.3.
Homo qualiter dicatur relictus in manu conſilij ſui. 284.nu.16
Homo qualiter nihil habeat de ſuo, niſi mendacium. 772.n.19
in Hominis poteſtate multa ſunt ex auxilio gratiæ. 713.nu.12

I.

IMPECCABILITAS diuerſimodè competit habentibus donum perſeuerantiæ,& beatis. 524.nu.5
Impoſſibile idem ſignificat multoties in ſacris litteris quod valdè difficile. 535.n.15
Impoſſibile eſt idē ſimul eſſe,& nō eſſe.855.n.6
Inpoſſibile eſt viſis non tangi. 798.n.9
Infunditur tripliciter aliquid nobis à Spiritu ſancto. 540.nu.4
Infuſionis, & inſpirationis nomine, quid intelligant Concilia, & Patres. 545.nu.8
Inſpiratio Spiritus ſancti duplex. 540.nu.3
Inſpirationis nomine quid ſignificetur.539.num.3
Inſpiratio propriè quid ſignificet. 538.numer.1
Influit Deus agenti, vt agat, & vt bene agat. 556.n.2

ad In

ad Inſtrumenti rationem quatuor cõditiones requiruntur. 563.n.4
Intenſio gratiæ vnde mẽſuretur. 422
Inſpiràtio Spiritus ſancti duplex. 540.n.4
Infunditur tripliciter aliquid nobis à Deo. 540.n.4
Intentio Dei deficere nõ poteſt. 88.n.49.
Iuſtum Deus non deſerit,niſi ipſe prius deſerat Deum. 659.n.12
Irenęi teſtimonia in fauorem prædeterminationis decreti abſoluti, & efficacis voluntatis diuinæ expenduntur, & defenduntur, 269.nu. 8. & alia teſtimonia, quæ referuntur pro contraria ſententia expenduntur. 328. nu. 43

L.

LEONARDI Leſſij argumenta in fauorem ſcientiæ mediæ proponuntur, & diſſoluuntur. 72. 73.nu. 43.& ſequent.
Lex vetus magis iubet; quàm iuuat. 773.nu. 19
Libero noſtro arbitrio qualiter relinquat De⁹, vt conſentiat gratiæ vocanti. 411.n.10
Liberum arbitrium non poſſe diſſentire in ſenſu compoſito præuenienti gratiæ efficaci, ſed ſolum abſolutè, & in ſenſu diuiſo oſtenditur,414. num.13.& obiectioni in contrarium,præſertim ex Sacro Concilio Tridentino petitæ diſſoluuntur, & earum fallacia detegitur.415.nu. 14. & ſeq.
Liberi arbitrij conatus eſt magis vel minus intenſus, quo auxilium efficax præuenientis gratiæ fuerit magis,vel minus intenſum. 451. nu.3.& 4
Libertatem efficit motus Dei efficax. 283
Libertas eſt triplex, videlicet

licet à culpa, à ſeruitute, ſeu ſubiectione, & à neceſſitate, & hæc eſt de intrinſeca ratione libertatis, ſi intelligatur de neceſſitate abſoluta. 699.nu.28

Libertas actus ſupernaturalis procedit, vt quo à principio ſupernaturali. 601.n.18

Liberum arbitrium ad diligendum Deũ primi peccati granditate perdidimus. 772.n.19

Liberum arbitrium qualiter ſe habeat actiuè & liberè in ordine ad ſuam determinationẽ. 397.n.9

Liberum arbitrium non eſt cauſſa, quod gratia hîc, & nunc influat. 616.nu.1

Liberum arbitrium circa obiecta ſupernaturalia nullum actum bonum elicere poteſt abſque auxilio gratiæ. 726.nu.6

Liberum hominis arbitrium poſitis omnibus prærequiſitis ex parte Dei ad operandũ, qualiter poſſit operari, & non operari, ſi velit. 793.nu.7.& ſequentibus.

Liberi arbitrij illa deſcriptio, quod ſcilicet poſitis omnibus prærequiſitis ex parte Dei ad operandum, poteſt operari, & non operari malè à quibuſdam explicatur. 780.nu.1. & ſequentibus. Eiuſdem deſcriptionis legitimus ſenſus aperitur, & defenditur 789.nu.5. & ſequentibus.

Liberum arbitriũ de potentia abſoluta poſſe moueri à Deo medio iudicio rationis indifferenti ad operandum actum determinatum ex neceſſitate abſoluta, abſque vſu libertatis, quidam ſentiunt. 821. numer. 1. & ſequẽtibus. Eorum ſentẽtia impugnatur. 829. numer. 8. & ſequentibus.

MARSI

M.

MARSILII teſtimonia, quæ adducuntur in fauorem ſcientiæ mediæ expenduntur. 50.nu.33

Martyrum paſſiones, qualiter prædefinitæ. 292. nu.21

Materia in genere cauſæ formalis eſt prior forma. 294

Meritum abſque vſu libertatis non poteſt conſiſtere. 527.n.8

Modalis compoſitæ ſenſus compoſitus, qualis ſit. 311.nu.35

Modi decem quibus hæretici ſuos errores ſtudent obtegere. 403. nu. 3

N.

NECESSITAS antecedens, & conſequens ſecundũ Anſelmum, quæ dicatur, & quænam ſit illa neceſſitas antecedẽs, quæ libertati arbitrij repugnat, & actuali vſui illius. 847.nu.1.& ſequ.

Quid ſentiant SS. Auguſtin. & Thomas circa eandem neceſſitatem antecedentẽ, quæ aliàs dicitur neceſſitas abſoluta, & per neceſſitatem cõſequentem, ſiue ex ſuppoſitione. pag. 889. & ſequentibus.

Neceſſitas actus in ſenſu compoſito, & diuiſo, quæ dicatur, & qualiter explicandus ſit, & intelligendus ſenſus compoſitus, & diuiſus: 406.nu.9. pag. 802.& 803.nu.12

Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum. 772.n.19

Nihil fit niſi Deo volente, aut permittẽte. 709. n.6.& 836.n.14

Nullum futurum contingens etiam cõditionatum habet determinatam veritatem ante decretum diuinæ voluntatis. 169.n.15

Nullum obiectum in via mouet efficaciter voluntatem. 645.n.11

OBIE

O.

OBIECTVM nullum in via mouet efficaciter voluntatem. 645.nu.11

Obiectum beatificũ mouet efficaciter volũtatem beati. 646.n.11

Ocham teſtimonia, quæ adducũtur in fauorem ſcientiæ mediæ, examinantur. 51.n.34

Oecumenij ſententia circa libertatem arbitrij explicatur. 340.nu.49

Opera plura operari poteſt homo, quàm quæ operatur. 666.nu.10

Opera pietatis quare dicantur creari in nobis. 554.n.12

Operari habet ab alio, qui nõ habet eſſe à ſe ipſo, ſed ab alio; ideo filius Dei, quia nõ habet eſſe à ſe ipſo, ſed à Patre: habet etiã à Patre operari, imò & hoc ipſum, quod eſt ſpirare Spiritum ſanctum. 895.numer.6

Origenes non bene ſenſit circa efficaciam gratiæ, & operationis diuinæ. pag.330.nu.44

Oracula dæmonũ mendacia. 83.n.46

P.

PARVVLIS aliquibus ſubuenit Deus, per baptiſmum, quia vult, aliquibus non ſubuenit, quia non vult. pa. 720.nu.4

Peccatum, vt & omne aliud malum eſt præter intentionem naturæ. 759.num.9

Peccatum Deus nõ cauſſat decreto formali, aut virtuali. 66.num. 39.& 40

Peccata futura vt Deus cognoſcat, quæ decreta præſupponantur in illo 667.nu.11

Peccati omnes actus, in quantum actus, prædefiniti ſunt à Deo. 668.n.12

Pelagij error aperitur, 648. nu. 13. Potiſſima

contro

controuerſia, quam habuit Sanctus Auguſtinus cum illo, quæ fuerit. 650. nu. 14

Perſeuerantiæ donū non pendere ex libera cooperatione arbitrij, oſtēditur pluribus rationibus. 491. n. 9. & 10. & ſolutiones, quibus illa adiuuetur, impugnantur. 495. num. 12. & 13. & ſequentibus.

Perſeuerantia in Scriptura confirmatio appellatur. 519. n. 1

Perſeuerantiæ donū qualiter ſit inamiſſibile. 503. nu. 17. & pag. 507. nu. 19. 20. & 21

Perſeuerantiæ donum ex eo, quod quis non habet non rectè infertur, quod ſaluari non poſſit. 515. nu. 26

Perſeuerantia eſt in poteſtate Dei. 674. numer. 15

Perſeuerantiæ dono tribuit Deus prædeſtinatis actu perſeuerare, & non ſolum poſſe perſeuerare, ſi velint. pag. 513. nu. 24. & 25

Petere gratiam eſt à gratia. 731. nu. 9

Potentia exequutiua non diſtinguitur in Deo, etiam ratione ratiocinata ab eius intellectu, & voluntate. 207. nu. 8. & latius 242. & ſequentibus, præſertim nu. 6

Potentia naturalis conſideratur dupliciter. 579. nu. 18

Potentiæ tripliciter iuuātur ab habitibus. 581. nu. 1

Prædeſtinatio ſupponit præſcientiam futurorum, quomodo intelligendum. 113. nu. 12

Prædeterminationis phyſicæ, & moralis nomine quid ſignificetur. pag. 309. nu. 32

Prædeterminationis phyſicæ nomē aptiſſimum eſt ad tollēdas omnes æquiuocationes ſententiæ contrariæ, quāuis in verbo non ſit facienda vis, ſed in re,

quæ

Digitized by Google

quæ aptè per illud ſignificatur. 309. n. 32. 33. & 34.

Prædeterminauit Deus æterno ſuo, & immutabili decreto omnia, & ſingula bona, quæ fiunt in vniuerſo, ſiue pertineant ad ordinem naturæ, ſiue ad ordinē gratiæ, quòd probatur teſtimoniis ſcript. 265. n.5. & S. Dionyſij, & Damaſc. 266. n.6. & 7. & Irenæi, atque Cyrilli. 269. num. 8. nec non Auguſtini, Proſperi, Athanaſij, Theodoreti, S. Thomæ, Scoti, Gabrielis, & Ferrariēſis. 270. num. 9. & 10. Sancti Leonis Papæ. 273. n. 11. & teſtimonia Doctorum, quæ in contrarium afferūtur, examinantur, & expēduntur. 289. nu. 26. & ſeq. Præſertim S. Aug. 316. nu. 34. Clementis Roma. 325. n. 41. Dionyſij. 328. Iuſtini Martyris. 328. n. 43. Origenis. 330. Arnobij eadem p. Greg. Nyſſeni. 332. n. 45. Chryſ. Cyrilli Alexādrini & Proſperi. 334. Gregorij Magni, & Damaſceni. 339. n. 48. Oecumenij, & Anſelmi. 340. 341. n. 49. & oſtenditur nihil fauere auctoribus contrariæ ſententiæ: Pro qua etiam adducuntur quatuor claſſes Scholaſticorum; ſed eorum teſtimonia etiā examinantur, & oſtenditur cuius partis ſententiæ adhæreant. 343. & ſequentibus.

Prædeterminati ſunt à Deo omnes actus boni. 382

Prædeterminat Deus motione præuia omnes cauſſas ſecundas ad operandum, quod probatur multis teſtimoniis ſcripturæ, adiuncta explicatione S. Aug. 275. n. 12. & teſtimoniis S. Thom. 278. num. 13. Et Ariſtotelis, Gregorij Ariminenſis, Capreoli, Caietani, &

Ferrarienſis p. 281. nu. 14. Obiectionibus in contrarium fit ſatis. 283. nu. 15. & ſequentibus.

Prædefinitæ ſunt omnes particulæ corporum electorum. 291. nu. 21

Prædefinitæ ſunt abſoluta voluntate paſſiones Chriſti & omnium martyrum. 291. num. 21

Prædeterminata ſunt à Deo finis, & media. pag. 296. n. 23

Præſcientiam contingentium habet Deus, & non ſolùm neceſſariorum. 72. n. 42

Prius non ſemper poteſt eſſe abſque poſteriori. 294

Prius non pendet à poſteriore. 499. n. 14

Propoſitio conditionalis dupliciter poteſt eſſe neceſſaria ex vi illationis. pag. 70. n. 41

Propoſitio conditionalis ſemper eſt coniunctione vna. 168. n. 14.

Propoſitio conditionalis libera, quæ dicatur. 119. num. 4

Prophetia conſideratur dupliciter. 576. n. 15

Proſperi teſtimonia in fauorem prædeterminationis decreti abſoluti, & efficacis voluntatis diuinæ. 271. nu. 9. & 16. & latius 334. num. 46

Q

QVIA Deus præſciuit aliquid futurum eſſe, ideo futurum eſt, & non è contra. 221. num. 20.

R

REGVLA generalis in cauſis fidei obſeruanda. 60

Reprobos non ideo conſeruat Deus, vt cadant. 70. n. 41

Reprobi cur ſint corripiendi. 675. n. 16

Res quádo eſt, neceſſe eſt eſſe. 809. n. 1. & 848. n. 1

Ruardi

Ruardi Taper teſtimonia, quæ adducuntur in fauorem ſcientiæ mediæ expenduntur. 46.n.31

S

SCIBILE non eſt à Deo ante omne liberum decretum ſuæ voluntatis, quid faceret creata voluntas ex hypotheſi, quod conſtitueretur in talibus circunſtantiis. 12. n.8. & ſequentibus. Variæ ſolutiones, quæ ab aſſertoribus ſcientię mediæ adhibentur, proponuntur, & impugnantur. 13. n.9. & ſequentibus.

Scientiam futurorũ contingentium eſſe in Deo certam, & infallibilem ex duplici capite probat S. Thomas. 73.n.42

Scientiam quam Deus habet futurorum contingentiũ conditionatorũ fundari in actuali decreto conditionato ex parte obiecti voliti, quo ſtatuit, vt ſint futura, ſi conditio impleatur, probatur, & obiectionibus in contrarium occurritur. 119. n.4. & ſequentibus.

Scientia Dei eſt cauſa rerum. 288

Scientia futurorum contingentium conditionatorum eſt libera. 123.n.6.

Scientiam Dei liberã eſſe cauſſam efficientem rerum oſtenditur. 207. 9. & 18. Idem oſtenditur de ſcientia viſionis. 204.n.7

Scientia Dei eſt cauſſa exemplaris aliarum ſcientiarum: non autem aliarum rerum. 214.n.15. & 16

Scientia Dei per imperium eſt cauſſa efficiens rerũ. 217. n.18

Scientia Dei eſt cauſſa rerum. 288.n.18

Scientiam viſionis, in quantum practica, eſſe cauſſam rerũ efficientem,

tem probatur. 22. nu. 19. & argumenta in contrarium ſoluuntur nu. 20. & ſequentibus.

Scientia ſimplicis intelligentiæ, qualiter ſit cauſſa rerum 211. n. 13

Scientia approbationis non diſtinguitur à ſcientia libera etiam ratione ratiocinata. 205. num. 7. & p. 237. num. 28

Scientiam mediam non fuiſſe cognitam Sanctis Patribus, vel antiquis Scholaſticis, neq; aliquid de illa tractaſſe fatentur aliqui defenſores illius, pag. 30. nu. 24

Scientia media non eſt vtilis, vel neceſſaria ad perfectam Dei gubernationem. p. 86. nu. 47

Scientiam mediam, nunquam admiſiſſe Sanctum Thomam, probatur latè. pag. 94. nu. 2. & ſequentibus, & ſoluuntur argumenta, quæ in contrarium adducuntur. num. 3. & ſequentibus, ſed præſertim num. 12

In ſcientiæ mediæ fauorem adducuntur multa teſtimonia, ſanctorum, & ſcolaſticorum, præſertim Damaſceni, quæ expenduntur, & examinantur. pag. 239. num. 30. Et Euſebij, Hieronymi, Leonis Papæ & Cyrilli. pagin. 227. nu. 23. & Auguſtini. pag. 228. num. 24. & 25. Et Boëtij, & Anſelmi. pag. 232. nu. 26. Expenduntur etiam alia teſtimonia Scholaſticorum, qui pro eadem ſcientia media afferuntur, præſertim M. Lorcæ. pagina 34. numero 26. M. Zumel pag. 35. nu. 27. M. Soti pag. 37. num. 28. Driedonis pag. 43. num 30. Ruardi Taper. pag. 46. num. 31. Vualdenſ. 48. & 242. num. 31. Marſilij. 50. num. 35. & pag. 241. nu. 31. Ochá. 51. n. 34. Gab. pag. 55. n. 35.

Digitized by Google

Grego.ibidem, & pag. 241.num.31. Argentinæ.58.nu. 36. Ægidij. pag.61.& 241. nu.31. & Ioan.Arbor.pag.61. Mag.Ledeſma.pag.62. numer. 38. Mag. Sententiarum.pagin. 241. num. 30.Durandi.pag. 241.nu. 31

Scoti teſtimonia in fauorem prædeterminationis decreti abſoluti,& efficacis voluntatis diuinæ. 273.nu.10

Senſus compoſitus,compoſitionis modalis quomodo ſit intelligendus. 406.n.9

Senſus diuiſus & compoſitus malè à quibuſdā explicatur. 803.nu.11. & 880.n.1.& ſequentibus.

Signa rationis diuerſa. 290.nu.20

Similitudo Regis, qui ea quę facta ſunt per ſuos miniſtros, ratificat. 208

Sixti Senenſis ſententia circa prædeterminationem. 345.n.51.&52

Soti teſtimonia, quæ adducuntur in fauorem ſcientiæ mediæ diſcutiuntur.pag.37.nu.28.

Alia teſtimonia eiuſdem, quæ allegantur contra prædeterminationem diuinæ voluntatis expenduntur.353. n.56. 57. 58.&ſequentibus,& pag.374

Sol prius natura eſt,quàm radius. 294

Sol nunquam reperitur ſine radio, non tamen dependet ab eo, ſed radius dependet à ſole. 475

Supernaturale quantum ad modum quid dicatur. pa.762.nu.13

T.

THEODORETI teſtimonia in fauorem prædeterminationis decreti abſoluti, & efficacis voluntatis diuinæ. 272.n.9

Teſtimonia Sanctorum Patrum, & Scholaſticorum, qui adducūtur

contra prædetermina-tionem voluntatis diuinæ,& efficacis auxilij præuenientis gratię, examinantur, & expēduntur. pa.308.n.22. & ſeq.vſque ad p.297

S. Thomæ ſententia circa motionem prædeterminantem. 278

Sanctum Thomam nunquam docuiſſe, vel inſinuaſſe mediam ſcientiam, nec eam in Deo præſuppoſuiſſe, oſtenditur. 94.n.2.& ſeq.& pag.110.n.10.& ſeqq.

Thomiſtarum ſententia circa præuenientē gratiam efficacem diminutè nimis, & abſque debitis terminis refertur à quibuſdam. 305. nu. 29. & ſeq. & pag. 504.nu.18.& pa.789. num.45. & pag. 820. nu.8.& pag. 843.nu. 19. Sed verus ſenſus prædictę ſentētiæ aperitur, & explicatur proprijs terminis, quibus Thomiſtæ vtuntur. 307.nu.30

Tyrij,& Sidonij conuerſi fuiſſent, ex hypotheſi, quod apud eos facta fuiſſent prodigia & ſigna,quæ apud Corozaim, & Bethſaida facta ſunt: Infallibilitas tamen eiuſdē conuerſionis futuræ ex hypotheſi fundatur in decreto conditionato ex parte obiecti voliti præexiſtente in Deo, quo ſtatuit eos cōuertere ex hypotheſi,quòd apud eos ſigna illa facta fuiſſent. 185.nu.23

Tractio Dei qualis ſit & qualiter intelligatur illud Io.6.Nemo poteſt venire ad me, niſi pater,qui miſit me,traxerit eum. pa.618.nu.3

Trahit nos Deus ad cooperandum ſecū,& non è contra. 616.nu.1

Trahit Deus hominē ad cooperandum ſecum, non è contra. 457.n.2

V.

VINCENTIVS Lirinenſis ſcripſit librum contra profanas hære

hæreſum falſitates. 313. nu. 34

Vitalitas actus ſupernaturalis procedit efficienter, vt quo, à principio ſupernaturali, pag. 591. nu. 7. & 9. & ſequent. Obiectiones in contrarium diſſoluuntur. 602. nu. 19. & ſequent.

Vnumquodque eſt propter ſuam operationem. 758. n. 8

Voluntas ſe determinans ad aliquod obiectum ſibi propoſitũ per iudicium rationis indifferens, ſtãte eodem iudicio indifferenti ſemper fertur in illud liberè, quãtumuis à Deo efficaciter moueatur. Nec eſt poſſibile, etiam de potentia Dei abſoluta, quod per tale iudicium ſe determinet abſque vſu libertatis, p. 628. num. 8. & ſequ.

Voluntaté, qualiter Deus poſſet neceſſitare; ita vt operetur abſq; vſu libertatis. 844. nu. 20

Voluntas vna, & eadem determinatione determinat ſe ipsá, vt cauſſa proxima, & determinatur à Deo, vt à cauſſa prima. pag. 394. n. 4. ſi loquamur de determinatione, qua formaliter in actu ſecundo ſe determinat, vel determinatur à Deo. pag. 293. Si verò ſit ſermo de determinatione virtuali, quæ eſt vltimum complementum actus primi, talis determinatio, ſeu præmotio eſt à ſolo Deo. pa. 294.

Z.

ZVMELIS teſtimonia, quæ adducũtur in fauorem ſciẽtiæ mediæ, diſcutiuntur: Oſtenditúrque prædictam ſcientiã mediam potius impugnaſſe. pa. 35. nu. 27

Finis indicis rerum notabilium, & ſententiarum.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google